S. CAROLI BORROMEI

S. R. E. CARDINALIS ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI

HOMILIÆ

NUNC PRIMUM E MSS. CODICIBUS BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ IN LUCEM PRODUCTÆ

JOSEPH ANTONII SAXII

PRÆFATIONE ET ANNOTATIONIBUS ILLUSTRATÆ.



TOMUS TERTIUS.



MEDIOLANI MDCCXLVII.

EX TYPOGRAPHIA BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ

APUD JOSEPH MARELLUM

SUPERIORUM FACULTATE AC PRIVILEGIO.





S. CAROLI
BORROMEI
S. R. E. CARDINALIS
ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI
HOMILIÆ

NUNC PRIMUM E MSS. CODICIBUS BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ
IN LUCEM PRODUCTÆ

JOSEPH ANTONII SAXII
PRÆFATIONE ET ANNOTATIONIBUS
ILLUSTRATÆ.



TOMUS TERTIUS.




MEDIOLANI MDCCXLVII.
EX TYPOGRAPHIA BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ
APUD JOSEPH MARELLUM
SUPERIORUM FACULTATE AC PRIVILEGIO.



ELENCHUS
HOMILIARUM,

Quæ in hoc Tertio Volumine continentur.

HO-



HOMILIA LXXV.

IN FESTO DEDICATIONIS SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI

Habita in Templo Maximo Mediolani inter Miſſarum Solemnia

Feria V. Dominicæ IV. poſt Decollationem

ANNO MDLXXXIII. XXIX. SEPTEMBRIS.



Ltissimus, infinitè pius ac miſericors Dominus, qui nihil intentatum reliquit, quod ad ipſum nos poſſet adducere; quique animarum noſtrarum ſalutem multò, quàm nos ipſi, ardentiùs deſiderat, hac quoque ratione mortalium generi plerumque conſuluit, ut nempe variis Angelorum apparitionibus eorum mentes de cœleſtibus inſtruerentur, & ad ea perquirenda atque appetenda miro quodam modo inflammarentur. Sic in

Sacris utriuſque Teſtamenti paginis plurimas hujuſmodi viſiones Angelorum factas fuiſſe edocemur. Inter has tamen illa fuit, quæ hodiernæ Feſtivitati cauſam dedit, Michaëlis videlicet cœleſtis Militiæ Principis, ùt olim Synagogæ, ſic èt nunc Catholicæ militantis Eccleſiæ Patroni ac Protectoris præcipui. Ea verò hujuſmodi fuiſſe perhibetur. Gelaſio Primo Petri ſedem tenente, in Apulia ad radices Gargani montis, quem locum incolunt Sipontini, factum eſt, ut ex gregibus Armentorum Gargani cujuſdam Taurus longè diſcederet, quem diu conquiſitum, in aditu ſpeluncæ hærentem invenerunt. Cùm verò quidam ex illis, ut Taurum configeret, ſagittam emiſiſſet, retorta ſagitta in ipſum recidit ſagittarium; quæ res, cùm præſentes, ac deinceps ceteros tanto timore affeciſſet, ut ad eam ſpeluncam propiùs accedere nemo auderet, Sipontini Epiſcopum conſulunt, qui, indicto triduano jejunio & orationibus (quod in gravioribus rebus omnibus adhiberi ſumma cum utilitate conſuevit) reſpondit, a Deo rem quæri oportere. Poſt triduum Michaël Archangelus Epiſcopum monet, in ſua tutela eſſe eum locum; eoque indicio demonſtraſſe, velle ſe ibi cultum Deo, in ſuî & Angelorum memoriam exhiberi. Quare Epiſcopus unà cum Civibus ad ſpeluncam acceſſit, quam, cùm Templi cujuſdam ſimilitudine formatam vidiſſent, locum illum Divinorum Officiorum celebratione colere cœperunt, qui multis poſtea miraculis illuſtratus eſt. Hujus verò Apparitionis memoriam quotannis agit menſe Majo Sancta Mater Eccleſia (*a*). Hinc ſumpta occaſione, non multò poſt Bonifacius Pontifex Maximus Romæ in ſummo Circo, Sancti Michaëlis Eccleſiam dedicavit tertio Calendas Octobris, qui hodiernus eſt dies; quo omnibus etiam Angelis cultum eadem Sancta Eccleſia ſolemniter præſtat, licèt propriè dies hic Dedicationis Eccleſiæ Michaëli Archangelo Romæ conſtructæ memoriam referat (*b*): Unde non abs re arbitror, Ambroſiano Ritu noſtro,

(*a*) De hac Apparitione fusè agit Cardinalis Baronius in Annotationibus ad Martyrologium VIII. Idus Maji. Sanctus Carolus Hiſtoriam ejuſdem hauſit a Libello, quem inſeruit Surius Operi ſuo de Sanctorum Vitis, ad diem XXIX. Septembris. De tempore, quo miraculoſa hæc Apparitio contigit, non eadem eſt Scriptorum ſententia. Franciſcus Maria Florentinius in Notis ad ſuum Martyrologium varias opiniones expendit, eaſque ad chronologicam veritatem reducere nititur, aſſerens, eamdem figi debere ad annum CCCCXCIV., vel proximum, ſi verè peracta eſt, Gelaſio I. Pontifice Maximo, & Zenone Imperatore regnantibus. Bollandiſtæ de hac re criticum examen ſe acturos pollicentur, cùm inſigne Opus de Actis Sanctorum ad memoratum Septembris diem pervenerit.

(*b*) Leguntur iſta in Addonis Martyrologio hæc ſcribentis: *Non multò poſt Romæ venerabilis Bonifacius Pontifex Eccleſiam Sancti Michaëlis nomine conſtructam dedicavit in ſummitate*

noſtro, & Evangelium, & Epiſtolam, & omnia quæ in Miſſæ hodiernæ Sacrificio proponuntur, ad Dedicationem Eccleſiæ potiùs, quàm ad Angelos pertinere. Patientur, benigniſſime Deus, hi filii mei, quos tu mihi paſcendos tradidiſti, ſacri ſe hodie Evangelii declaratione fraudari, dum munerum erga nos tuorum amplitudinem animo revolvens, circa Angelos tantùm Sanctiſſimos ſermone verſabor. Per ipſos abundè tu nobis oſtendiſti & quanta ſit eorum dignitas atque præſtantia, & noſtra itidem excellentia, quibus tu illos Cuſtodes fidiſſimos, atque diligentiſſimos voluiſti eſſe Miniſtros; quàm illi ſint de nobis ſoliciti, quantam noſtrì curam gerant, quot denique grati animi officiis eorum ſint rependenda beneficia. Erunt hæc, amatiſſimi filii, concionis noſtræ argumenta, quæ in nobis Dei amorem, Angelorum reverentiam, Divinæ dignationis agnitionem, & pium in Angelos, ac in primis eorum Dominum Deum, grati affectùs excitabunt ardorem. Tu Sanctiſſime Michaël labia mea tange; tu intellectum inſtrue, ac linguam meam move, ut digna te, & Populo huic utilia hodie loquatur os meum, in Omnipotentis Dei honorem ſempiternum & gloriam.

Veriſſima eſt Apoſtoli Pauli, & infallibilis regula, quòd nempe *invìſibilia Dei a creatura Mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur* (*a*). Cùm enim *poſteriora* tantùm *Dei videre poſſimus* (*b*), eò quòd cauſas aſſignare erroneum ſit ac ſtultum, ex effectuum tantùm conſideratione in aliqualem ſupremæ Cauſæ poſſumus devenire cognitionem. Quis Mundi hujus amplitudinem, varietatem, pulchritudinem, ordinem aſpiciens, in Mundi Opificis ſapientiæ, potentiæ, atque majeſtatis admirationem non rapitur? Sed quid? Inferiora hæc omnia ſunt, ſi cœleſtibus corporibus conſerantur; ſi ſyderibus illis & ſplendidiſſimis Aſtris comparentur. Nonne vileſcunt gemmæ omnes lapideſque pretioſi, ſi cujuslibet minimæ ſtellæ intueamur ſplendorem? Nonne univerſa

mitate Circi, cryptatim miro opere altiſſimè porrectam. Cùm autem non exprimat, quinam fuerit Bonifacius Eccleſiæ illius conditor, Baronius in Annotationibus ad Martyrologium ſub die XXIX. Septembris indagare nititur, quinam fuerit hic Bonifacius, ac primò ait, eam minimè tribui poſſe Bonifacio I., cùm multis ante Gelaſium annis ſederit; adeòque conſtructionem illius Eccleſiæ libentiùs tribuit Bonifacio III. vel IV. Etiam de loco Baſilicæ memoratæ dubitationem movet, atque in eam ſententiam non invitum ſe adduci ſcribit, ut opinetur, Templum Sancti Michaelis, cujus Addo meminit, fuiſſe olim ſitum in ſummitate Molis Adriani, cryptatim miro opere altiſſimè porrectum, ut meritò dictum fuerit *Inter nubes*; & cenſet, loco *Circi* legendum eſſe *Circuli*; Moles enim illa in orbem ducitur, niſi fortaſſe *Circus Domitiæ* eidem proximus indicetur.

(*a*) *Ad Roman. I. v. 20.*

(*b*) *Exod. XXXIII. v. 23.*

hæc terra, quam ita admiramur, Cœlo collata, exiguus eſt punctus? Quid jam verò, ſi Angelicos Spiritus oculis mentis cernamus? Attoniti certè efficiemur; multò enim illi magis præſtant corporibus cœleſtibus, quàm iſta terreſtribus: Et hi tamen factura ſunt Dei, *opus manuum illius* (*a*), ab ipſo creati, ipſius milites, & ſervi domeſtici. Si talis eſt ſervus, qualis eſſe putandus eſt Dominus? Hic deficit omnis intellectus; neque enim ulla poteſt eſſe creaturæ ad Creatorem proportio. Sed quando oculi noſtri tam altè dirigi nequeunt, cùm *ſcrutator majeſtatis opprimatur a gloria* (*b*); laudemus ſaltem hodie Dominum Angelorum in Angelis Sanctis ejus, ac illorum dignitatem meditantes, in Auctorem tantæ excellentiæ & pulchritudinis animum erigamus.

Verùm quibuſnam verbis de illorum ego nobilitate atque præſtantia diſſerere aggrediar, quorum ne nomen quidem, quale ſit, noſco? Manue fortiſſimi Samſonis Pater, cùm ab Angelo, qui ejus filii ortum prædixerat, his verbis illius nomen perquiſiſſet: *Quod eſt tibi nomen, ut, ſi ſermo tuus fuerit expletus, honoremus te?* reſponſum accepit: *Cur quæris nomen meum, quod eſt mirabile* (*c*)? Quantæ ergo dignitatis erit ejus natura, cujus vèl ipſum nomen ignotum eſt atque admirabile? Neque enim cenſendum, beatiſſimos illos omnes Spiritus unico hoc Angeli nomine compellari; officii namque dumtaxat illud eſt nomen, ſoliſque iis competit, qui ad revelanda Dei conſilia atque arcana Nuncii mittuntur. Sunt ergo nomine mirabiles Angeli; at dignitate profectò longè mirabiliores.

Nam cùm nobiliſſimorum Spirituum tria ſint genera, Deus ſcilicet, Angelus, & hominis anima; Angeli certè, ut liquet, medium obtinent locum; Deo quidem inferiores, ſed creatis omnibus rebus ſuperiores atque præſtantiores: Licèt enim excellens opus ſit homo, utpote quidam parvus Mundus, cetera omnia in ſe concludens; præſtat tamen longo intervallo homini Angelus: ille enim ſpiritu conſtat & corpore, hic verò ab omni terrenæ fæcis admixtione ſecernitur. Nec eſt, quod objiciamus, ſcilicet hominis animam ſpiritum eſſe; nam anima totum non efficit hominem, ſed ei tantummodo, tamquam forma, vitam inſpirat: univerſa autem Angelorum ſubſtantia in ſolo ſpiritu conſiſtit. Unde Propheta inquit: *Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem urentem* (*d*). Inſu-

(*a*) *Pſalm. XVIII. v.* 2.
(*b*) *Proverb. XXV. v.* 27.
(*c*) *Judic. XIII. v.* 17.
(*d*) *Pſalm. CIII. v.* 4.

Insuper potest anima corpori sociari, licèt spiritus sit; quod tamen ab Angelorum natura absonum est: quapropter ex hac etiam parte Deo similiores sunt nobis, & sublimitate sua nos longè excedunt. Quo loco permittite me, obsecro filii, hominum deplorare cæcitatem pariter atque stultitiam, qui animæ nobilitatis obliti, de eo dumtaxat gloriantur, de quo contristari debuissent; inde nobilitatis suæ jactandæ occasionem arripientes, unde eorum est ignobilitatis origo. Quem enim se ostentantem audimus, quòd animam adeo nobilem sortitus, quòdque ad Dei imaginem conditus sit, & ad cœlestem incolendam Patriam fuerit designatus? Esset hæc sanè sancta jactantia, quæ peccatum abominari compelleret, ac tantorum bonorum Largitori perpetuas gratias referre. Pia ista superbia, humilitatem gigneret, & mundanam elationem prorsus expelleret. At gloriantur homines, quòd nobilioribus sint, quàm ceteri, orti parentibus; quòd antiquior sit eorum familia; alii quòd opibus magis abundent; quòd in juventutis flore viribus præstent: cùm hæc tamen omnia, uti corporea, ignobilitatem arguant potiùs in homine, eorumque intuitu, se longè demissiorem Angelis fateri cogatur, in quibus hoc est præstantissimum, quòd eorum omnium sint expertes atque incapaces.

Sed quid ego corpus hoc nostrum ignobilitatis caput appello? Imo malorum omnium est veluti fœtida quædam sentina. Annon carceris loco id habemus? Nonne membra hæc, durissima vincula sunt? Audiamus Davidem cum lacrymis dicentem: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est* (*a*)*!* Audiamus Paulum deprecantem: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*b*)*!* Ergo eras Paule, ob corpus *infelix;* & nos aliquam in hoc infelicitatis fonte reperiri posse felicitatem arbitramur? At ille denuo: *Desiderium habeo*, inquit, *dissolvi, & esse cum Christo* (*c*). Nonne eras solutus Apostole? Aut quibus vinculis dissolvi cupiebas? Certè corporis hujus, & carnis. Ergo vincula sunt, ergo carcer est; ergo infelices sunt homines, quamdiu in eo sunt.

Neque est, quòd dicat quispiam, adhuc tamen animæ (si in corpore vivat, quasi extra corpus, si cœlestem in terris vitam ducat), hujusmodi corpus felicitatis potiùs, ac meriti ansam porrigere; libenter enim concedimus, meritum inde nobis augeri, si carnem rationi subjicientes, Deo ipsi subjiciamur. At certè inficiari

non

(*a*) *Psalm. CXIX. v.* 5.
(*b*) *Ad Roman. VII. v.* 24.
(*c*) *Ad Philippens. I. v.* 23.

non possumus, Paulum hujusmodi virum fuisse, qui adhuc vivens, ad tertium usque Cœlum est raptus: *Et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui* (*a*); Et tamen veluti aviculam irretitam se agnoscebat; quò vellet, liberè evolare non valens; imo *legem* experiebatur *in membris suis repugnantem legi mentis suæ* (*b*), nec poterat agere quidquid secundùm Deum volebat, sed continuam ei pugnæ materiam corpus hoc, quod stulti nos tantì facimus, præbebat. En igitur apertè, quanta sit Angelorum nobilitas, qui ab omni corpore liberi, nullatenus possunt umquam eo concludi; ideoque hominibus simpliciores conditi sunt, & Deo similiores. Quòd èt ille se nosse apertè indicabat, qui, quamvis hominis dignitatem describeret, eum tamen Angelicis Spiritibus inferiorem esse ostendebat, dicens: *Minuisti eum paulominus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum* (*c*).

Verùm ut quid hoc ego diutiùs prosequor, cùm sexcenta sint, quibus Angeli præstent hominibus? Angeli primo dierum omnium formati sunt, quo nempe Deus creavit Cœlum & terram; aut si cum aliis sentiamus, tunc fuisse quando Divinus Opifex dixit: *Fiat lux* (*d*), adhuc certè, homine sunt antiquiores (*e*), qui die ultimo, ceteris omnibus consummatis, ad Dei est imaginem fabricatus; unde èt ipsis nos tempore præcedentibus, potior locus debetur. Sed etiam ob locum, in quo cujusvis fuit perfecta creatio, illi sunt digniores; in Cœlo quippe Empyreo, cujus sunt incolæ, creati fuerunt (*f*); at nos de limo terræ extra Paradisum terrestrem: unde quantum terræ præstat Cœlum, tantum illis nos sumus inferiores, ex crassissimo & infimo elemento procreati. Quod creationis nostræ principium, magnos nobis ad piè sanctèque vivendum stimulos adderet, si vèl hoc ipsum cognosceremus, naturali scilicet jure non Cœlum nobis, sed terram deberi: Spirituum quippe, & incorporeorum sedes est Cœlum, terra autem, quò tendere potest nisi ad

(*a*) *II. ad Corinth. XII. v. 4.*
(*b*) *Ad Roman. VII. v. 23.*
(*c*) *Psalm. VIII. v. 6.*
(*d*) *Genes. I. v. 3.*
(*e*) In hac sententia fuisse videtur Sanctus Augustinus Libro imperfecto de Genesi num. 21., ubi hæc habet: *Fortasse quod quærunt homines, quando Angeli facti sunt; ipsi significantur hac luce, brevissimè quidem, sed tamen convenientissimè, & decentissimè.* Sanctus Carolus adhæsit doctrinæ Sancti Thomæ, quam omnes Theologi complexi sunt, præsertim post Concilium Lateranense IV. in Cap. *Firmiter*, ubi asseritur: *Deum omnipotenti sua virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidisse naturam spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & Mundanam, & deinde Humanam.* Utrum autem definitum id fuerit tamquam Fidei dogma, controvertitur inter Doctores. Suarez Libro I. Cap. III. de Angelis censet cum Sancto Thoma, non fuisse mentem Concilii, hanc sententiam definire de Fide.

(*f*) Etiam in hac re Sanctus Carolus Borromeus secutus est Sanctum Thomam in I. Part. quæst. LXI. art. IV. Dissentit tamen Suarez Libr. I. Cap. V. de Angelis, qui verisimile satis esse ait, Angelos non fuisse creatos in Cœlo Empyreo: Argumenta, quibus fulcire nititur opinionem suam, videri possunt apud ipsum.

ad centrum? Terra igitur cùm ſimus, ad terram tendimus, niſi brachium gratiæ ſuæ ſupponens, terram hanc elevet Dominus in Cœlum, qui humilia exaltat, ſuperba verò deprimit (a). Sed nec id ipſe præſtat, niſi èt nos ipſi extolli nos permittamus; hoc enim habet hominis natura, ut ordinem ſuum numquam tranſgrediens, etiam ſi nolit, ad infima ſemper deſcendat. Si verò velimus, nos etiam ad ſupremos Angelorum omnium Choros, Deo dante, qui dare ſemper paratus eſt, evolare valemus.

Illi præterea ampliorem ſunt nobis gratiam adepti, qua non modò eorum fuit abundè exornata voluntas, verùm èt intellectûs acies; unde illi majora, quàm nos poſſumus, percipiunt. Ipſi acriùs multa myſteria intelligunt, quæ nos latent; ipſi, ad hoc ut ſciant, longo non egent diſcurſu, prout homines, quorum omnis cognitio pendet a ſenſu. Ipſi omnem aëris norunt diſpoſitionem, omnes ſtellarum influxus, corporum paſſibilitates, herbarum atque lapidum vires; ac, licèt aliquid neſciant, continuò tamen Deo revelante perdiſcunt. Quid enim non videant, qui videntem omnia vident? At nos, cùm etiam plurimum laboraverimus, ſumus tamen ignari ſemper diſcipuli, & ad agnitionem veritatis vix umquam pervenîmus. Sunt, auditores, Angeli immortales, inviſibiles, indiſſolubiles, incommutabiles, ſimplices, hoc eſt ab omni corporea mole ſecreti, in genere ſuo perfecti, mente puri, affectu benigni, religione pii, unanimitate indiviſi, pace ſecuri, diviniſque laudibus & obſequiis ſemper intenti; inter quos majores ſine elatione præſunt, & minores ſine murmure ſubſunt; qui cùm ad exteriora exeunt, ab interiori Divinitatis contemplatione non recedunt. Semper ſunt in deliciis, ſemper beati; quidquid in votis habent, continuò conſequuntur; nulla in ipſis alicujus rei indigentia, qui Deo ſemper abundè ſatiantur. O qualis & quantus, ac quàm nobilis Angelorum eſt hic cibus!

Quæcumque enim vivunt, aliquo opus habent, quo vitam ſuſtineant atque conſervent, quod tamen naturæ eorum ſit non abſimile; quædam enim terrâ nutriuntur, alia aquâ, nonnulla (ùt fertur) aëre veſcuntur, aut igne ſuſtentantur. Verùm his omnibus præſtantiora exiſtunt, quæ nobiliori quoque cibo paſcuntur, Dei videlicet viſione, qua Angelis perpetuò frui datum eſt, ùt Raphaël apertè ſignificavit, cùm Tobiæ dixit: *Videbar quidem vobiſcum manducare & bibere: ſed ego cibo inviſibili, & potu, qui ab hominibus*

(a) *Luc. I. v. 51. & 52.*

nibus videri non potest, utor (*a*). Quamvis autem èt animas nostras, utpote spirituales eodem cibo pasci negandum non sit, ac visione & Dei contemplatione nutriri; attamen talis utriusque est vita, qualis est visio. Sicuti verò Angelorum visio est clara, nostra verò obscura: *Videmus* enim *per speculum in ænigmate* (*b*); ideo illorum vita perfecta est, nostra autem imperfecta; eorumdem vita gloriæ, nostra vita est gratiæ; illis cibus tam nobilis numquam deesse potest, nos eo, sæpiùs peccando, sponte privamur. Manna, cibus erat suavissimus, omnes in se continens sapores; sed illud, Populus ex Ægypto egressus fastidivit (*c*). O quale manna est, Dei summa bonitas atque potentia! Verè cibus est fortium, nempe Angelorum, qui fortissimi Principes sunt, quorum ministerio universum hunc Mundum regit Dominus Deus.

Regina Saba Salomonis domum ingressa, cùm ipsius *sapientiam* ac majestatem animadvertisset, *& domum, quam ædificaverat, & cibos mensæ ejus, & habitacula servorum, & ordines ministrantium, vestesque eorum, non habebat ultra spiritum, dixitque ad Regem* inter reliqua: *Beati viri tui, & beati servi tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam* (*d*). At quantò Salomone major est Deus! quàm Cœlum empyreum terrestri illa domo præstantius! Salomonis sapientia divitiæ magnitudo splendor, nonne obscuritas infirmitas paupertas atque stultitia, si Deo conferantur, existunt? Quàm ergo *beati viri* illi censendi sunt, quàm felices *servi* illi, de quibus ipsemet Deus, Christus Jesus testatur, quòd vident semper faciem Patris cœlestis (*e*)! Cur aliunde probem, illos Deo semper assistere? Cur testimonium unius ex ipsis hac de re proferam, dicentis: *Ego enim sum Raphaël, unus ex septem, qui astamus ante Dominum* (*f*), quando ipsiusmet Dei Filius, ejusdem cum Patre substantiæ atque divinitatis, irrequisitus id docuit? Verè beatissimi Principes, indeficienti felicitate fruentes Angeli, quia ab initio creationis statim in gratia confirmati ac gloria; quia, peccare cùm possent, ac malos Angelos imitari, constantissimè semper in Dei obsequio sese continuere, ac Christo etiam, uti homini passuro, libero voluntatis affectu sese subdiderunt; de cujus jam tum Passionis meritis abundè communicarunt; unde èt *in sanguine agni vicisse* (*g*) perhibentur. Quid excogitari potest, o cœlestes Spiritus, quod bea-

(*a*) *Tob. XII. v.* 19.
(*b*) *I. ad Corinth. XIII. v.* 12.
(*c*) *Numer. XXI. v.* 5.
(*d*) *III. Reg. X. v.* 4. *& seqq.*
(*e*) *Matth. XVIII. v.* 10.
(*f*) *Tob. XII. v.* 15.
(*g*) *Apocal. XII. v.* 11.

beatitudini vestræ desit? Vos gratiâ & gloriâ repleti, divitiis omnibus abundatis; vos, pulchritudine vestra, terrena omnia, imo etiam Solis Astrorumque lucem longo exceditis intervallo. Inter vos est summa tranquillitas, summa quies, summa pax: nec multitudo (quemadmodum inter nos) ullam in vobis perturbationem, atque animarum discordiam parit. In Dei viventis laudibus omnes pariter convenitis, & vestrâ non solùm estis singuli felicitate beati, sed etiam de aliorum commodis vobis fit summæ jucunditatis augmentum.

Quæ, si ita sunt, ùt necesse est, Christifideles omnes profiteantur; quis jam mente concipiat illorum beatitudinem, qui innumeris millibus sociorum stipati, novam semper a singulis felicitatem recipiunt? Et sanè quis Angelorum numerum exprimat? *Numquid est numerus militum* Dei (*a*), cùm certè nemo, nisi qui illos creavit, eum possit attingere? *Currus Dei*, dicebat Propheta, *decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in sancto* (*b*). *Millia millium*, Daniel inquit, *ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei* (*c*). Joannes *turbam magnam* se postea narrat *vidisse, quam dinumerare nemo poterat* (*d*). Quæ quidem Angelorum multitudo humanum superans captum, quando etiam Sacrarum Literarum auctoritate nobis manifesta non fieret, solâ tamen ratione innotesceret, cùm multò plures illi sint, quàm dici possit a nobis. *In multitudine populi*, inquit Sapiens, *dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia Principis* (*e*). Quòd si Princeps tenebrarum innumeros in horribili illo suo carcere occlusos tenet, ut de illis dicatur: *Stultorum infinitus est numerus* (*f*): Si Mundi hujus Princeps tam multos famulos habet; (Deus bone!) quàm erit æquum, ac rationi consentaneum, Regum omnium Regem, altissimum Deum, innumeris Angelorum millibus undequaque circumdari?

Quòd si tantus est malorum spirituum & Dæmonum numerus, ut unus tantùm in obsesso corpore adjuratus, se Legionem esse professus sit; quantò copiosior erit cœlestium Spirituum numerus, quorum tertia solùm pars prolapsa de Cœlo est cum Lucifero? Hoc apertè innuit Joannes, scribens, se vidisse *draconem magnum, rufum, habentem capita septem, & cornua decem: caudam quoque ejus trahentem* secum *tertiam partem stellarum Cæli* (*g*).

(*a*) *Job XXV. v.* 3.
(*b*) *Psalm. LXVII. v.* 18.
(*c*) *Daniel. VII. v.* 10.
(*d*) *Apocal. VII. v.* 9.
(*e*) *Proverb. XIV. v.* 28.
(*f*) *Ecclesiastes I. v.* 15.
(*g*) *Apocal. XII. v.* 3. & 4.

Huc accedit, hunc esse Divinæ Sapientiæ ordinem, ut quæcumque creavit, quò fuerunt perfectiora, eò inferioribus & magnitudine & numero præstare voluerit. Sic infimum terræ elementum, Orbi terraqueo collatum, est veluti punctus; sic stellarum plures Mundo ipso sunt multò majores. Cùm igitur Angeli corporibus omnibus tum corruptibilibus, tum cœlestibus sint perfectiores, certè necessariò inferendum esse omnes fatentur, ab Angelis multitudine superari animalia omnia, quæ in terris, quæ in aquis, & quæ in aëre sunt, atque homines etiam, stellas Cœli, & quæcumque alia Opifex Cœlestis e nihilo eduxit (*a*).

O quàm gloriosus, & tremendus es Domine Deus exercituum, qui tam copiosos habes exercitus, tam fortes atque præstantes! Quis potentiam tuam non metuat? Quis jam peccando ultra te offendere præsumat, qui tot sub te potentissimos milites habes & Principes, qui *dicis huic Vade, & vadit: & alii: Veni, & venit* (*b*); *qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem urentem* (*c*)? cujus a nutibus singuli pendent; cui semper concinunt laudes, *dicentes: Amen. Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum, amen* (*d*); cujus denique Majestatem venerantur, & incessanter deprædicant, *& requiem non habent die, ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est* (*e*). *Dignus es Domine, Deus noster, accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt* (*f*).

O felix Patria, quæ tam multis, tam decoris atque nobilibus incoleris Civibus! quàm *gloriosa dicta sunt de te, Civitas Dei* (*g*)! *Deficit* in me *caro mea, & cor meum* (*h*); spiritum ultra non habeo, dum recordor tuì, Sion (*i*); dum civem tuum esse me potuisse recolo, nisi Parentes mei interemissent priùs, quàm peperissent, nisi peccato suo exulare me a te compulissent; dum ad te adhuc redire in manu mea positum video, nec tamen, quod volo hoc statim facio, sed video meliora proboque, deteriora verò sequor, quia volo: Siquidem omne malum omnisque perditio ex me est tantùm, qui ad quodcumque maluero, possum manus exten-

(*a*) Hanc pariter doctrinam hausit S. Carolus ex S. Thoma I. Part. quæst. L. artic. III.
(*b*) *Matth. VIII. v.* 9.
(*c*) *Psalm. CIII. v.* 4.
(*d*) *Apocal. VII. v.* 12.
(*e*) *Ibidem IV. v.* 8.
(*f*) *Ibidem v.* 11.
(*g*) *Psalm. LXXXVI. v.* 3.
(*h*) *Psalm. LXXII. v.* 26.
(*i*) *Psalm. CXXXVI. v.* 1.

tendere; & tamen, dimiſſo Deo Rege tuo, hoſtem acerrimum Dæmonem, homicidam meum amplector; dimiſsâ te nobiliſſimâ Patriâ, in regione umbræ mortis magis habitare delector; dimiſſo nobiliſſimorum Angelorum conſortio, Dæmonum magis & infernalium monſtrorum converſatione uti appeto.

Sed unde digreſſi ſumus, eò redeamus: Hoc quoque Angelorum ſummam commendat nobilitatem, quòd non tantùm numero maximo ſunt creati, ſed etiam viribus maximis atque potentia præditi; quam qui Sacras Literas diligenter fuerit meditatus, valde procul dubio mirabitur. Ac, ut cetera omittam, quanta Angeli unius, etiam ex inferioribus, fuit vis, quantum robur, *nocte* una *centum octogintaquinque* hominum bellatorum *millia* de exercitu Sennacherib occidiſſe (*a*)? Eſtque tanta naturæ Angelicæ dignitas atque præſtantia, ut èt Angeli perverſi, qui non naturam amiſerunt, ſed gratiam & gloriam, adhuc multa habeant (quæ tamen habere ſe ignorant, ne exinde lætitiæ quidpiam, cujus omnino ſunt expertes, percipiant) ob quæ ſint omnibus hominibus ſuperiores; ipſi enim & multò plura ſciunt, quàm omnes quotquot umquam fuerint Mundi ſapientes: unde & Dæmones, quaſi *ſcientes*, ſunt dicti, & tanta eſt eorum vis atque poteſtas, ut niſi Divina bonitate prohiberentur, ictu oculi Mundum univerſum poſſent ſubvertere; ac nos, quos habent infenſiſſimos, mille modis laniare ac deglutire.

Hæc omnia, quæ de Angelorum præſtantia audiviſtis, habuit infeliciſſimus Lucifer. Hic omnibus fuit donis inſignitus, quæ tamen, ſuperbiendo non ſolùm amiſit, ſed èt creaturarum omnium miſerrimus evaſit. Hujus primatûs eminentiam conſpexit Propheta cùm dixit: *Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiſo Dei, abietes non adæquaverunt ſummitatem ejus, & platani non fuerunt æque frondibus illius: omne lignum Paradiſi Dei non eſt aſſimilatum illi, & pulcbritudini ejus. Quoniam ſpecioſum feci eum, & multis, condenſiſque frondibus* (*b*). *Quid namque accipi in cedris, abietibus, & platanis poſſunt* (ùt pulchre & pie Gregorius (*c*) Sanctiſſimus Pontifex explicat) *niſi illa virtutum cœleſtium proceræ celſitudinis agmina, in æternæ lætitiæ viriditate plantata? Quæ quamvis excelſa ſint condita, huic tamen nec prælata ſunt, nec æquata. Qui ſpecioſus factus in multis, condenſiſque frondibus eſſe dicitur,*

(*a*) *IV. Reg. XIX. v. 35., & II. Machab. VIII. v. 19.*
(*b*) *Ezech. XXXI. v. 8. & 9.*

(*c*) Libr. XXXII. Moralium in Cap. XL. Beati Job; Edition. Pariſienſis anni MDCCV. pag. 1072.

citur, quia prælatum ceteris legionibus, tanta illum species pulchriorem reddidit, quanta èt supposita Angelorum multitudo decoravit. Ista arbor in Paradiso Dei, tot quasi condensas frondes habuit, quot sub se positas supernorum spirituum legiones attendit. Qui idcirco peccans, sine venia damnatus est, quia magnus sine comparatione fuerat creatus.

Hinc ei rursum per eumdem Prophetam dicitur: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiâ, & perfectus decore, in deliciis Paradisi Dei fuisti* (*a*); Divinus enim vates multa de ejus magnitudine locutus, primo verbo cuncta complexus est. Quid namque boni non habuit, qui *signaculum* Dei *similitudinis* fuit? De sigillo quippe annuli eadem prorsus similitudo in imagine extrahitur, quæ in eo impressa continetur: Et licèt homo ad similitudinem Dei creatus sit, Angelo tamen quasi aliquid majus tribuens, non iste ad similitudinem Dei conditus, sed ipsum *signaculum similitudinis* dicitur; ut quò nobilior est natura, eò pleniùs similitudo Dei credatur in eodem expressa. Hinc est, quòd ejus excellentiam adhuc insinuans idem Propheta, subjungit: *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum: Sardius, Topazius, & Jaspis, Chrysolithus, & Onyx, & Berillus, Sapphirus, & Carbunculus, & Smaragdus* (*b*). Novem dixit genera lapidum, quia nimirum in novem classes ordo Angelorum distribuitur: nam, cùm per sacra eloquia, Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Virtutes, Principatus, & Potestates, Cherubim, & Seraphim apertà narratione memorantur, supernorum civium quantæ sint divisiones ostenditur. His omnibus Lucifer *opertus* fuisse describitur, quia eos quasi vestem ad ornamentum suum habuit, quorum dum claritatem transcenderet, ex eorum comparatione clarior est habitus.

Hujus descriptionem prosequens Propheta subjungit: *Aurum opus decoris tui, & foramina tua in die, qua conditus es, præparata sunt* (*c*). *Aurum opus* extitit *decoris ejus*, quia sapientiæ claritate canduit, quam creatus accepit; *foramina* verò idcirco in lapidibus fiunt, ut connexi auro in ornamenti complementum jungantur, & nequaquam inter se diffideant, quos interfusum aurum repletis foraminibus ligat. Hujus ergo lapidis *in die* creationis suæ *foramina præparata sunt*, quia videlicet capax caritatis est conditus, qua si repleri voluisset, Angelis stantibus, tamquam positis in Regis ornamento lapidibus, potuisset inhærere. Si enim caritas auro sese penetrabilem præbuisset,

(*a*) *Ezechiel. XXVIII. v.* 12. & 13.
(*b*) *Ibidem v.* 13.
(*c*) *Ibidem.*

ſet, Sanctis Angelis ſociatus in ornamento (ùt diximus) regio, lapis fixus maneret. Habuit ergo lapis iſte *foramina*, ſed ſuperbiæ vitio, non caritatis *auro* repleta; namque idcirco ligantur auro, ne cadant: Ideo autem iſte cecidit, quia etiam perforatus manu Artificis, amoris vinculis ligari contempſit. Nunc verò ceteri lapides, qui ſimiliter fuerunt perforati, penetrantes ſe invicem, caritate ligati ſunt; atque in ea perſeverantes meruerunt, ut numquam ab ornamento regio per lapſum ſejungerentur. Principatûs Luciferi celſitudinem iterum intuens Propheta inquit: *Tu Cherub extentus, & protegens, & poſui te in monte Sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulaſti. Perfectus in viis tuis &c.* (*a*) *Cherub* quippe plenitudinem ſcientiæ deſignat; & idcirco iſte *Cherub* dicitur, quia tranſcendiſſe cunctos ſcientiâ non dubitatur; qui *in medio ignitorum lapidum perfectus ambulavit*, quia inter Angelorum corda caritatis igne ſuccenſa, clarus gloriâ conditionis extitit; quem bene *extentum* & *protegentem* appellat, (omne enim, quod extentè protegimus, obumbramus) quia comparatione claritatis ſuæ obumbraſſe ceterorum claritatem creditur: Præterea fuiſſe *extentus*, & *protegens* dicitur, cùm reliquos, quaſi obumbrando operuerit, qui eorum magnitudinem excellentiâ majore ſuperavit.

Hæc tam multa de Luciferi præſtantia commemoravimus, tam mira, quibus enituit, quæque amiſit, inſinuavimus, ut vobis, filii, oſtendamus, quam ipſi pœnam, ſi ſuperbiatis, de elationis veſtræ culpa daturi ſitis. Si illi Deus parcere noluit, quem creando ad gloriam tantæ claritatis extulerat, ſi illum tam elatum, ob ſuperbiam ſic alliſit; conſideret homo ſeſe exaltans, quid ſupplicii mereatur in terra. Si Angelorum Princeps de Cœlo in terræ centrum detruditur (utar Apoſtolorum Principis verbis, & opto, ut ea veſtris pectoribus inſculpantur): *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus Inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reſervari* (*b*); quomodo cum illis fiet, qui multò inferiores Angelo illo nobiliſſimo, ejus tamen animi elationem atque ſuperbiam viliſſimi homunculi operibus exprimunt, ac Tyrii Regis vocibus dicunt: *Perfecti decoris ego ſum* (*c*)?

Eſſet hic, filii, ampliſſimus de ſuperbia malorum omnium origine diſſerendi campus; id jure potiſſimo locus hic requireret: Sed permittite, obſecro, ut in præſentiarum hæc dixiſſe ſufficiat, & ad

(*a*) *Ezechiel. XXVIII. v.* 14. & 15.
(*b*) *II. Petri II. v.* 4.
(*c*) *Ezechiel. XXVII. v.* 3.

ad summam Dei benignitatem, qua nos non modò *paulò minus ab Angelis minuit* (*a*), sed èt quadam etiam ratione supra illos extulit, contemplandam accedam, simulque huic sermoni finem imponens, reliqua sub initium orationis nostræ proposita in pomeridianum differam tempus.

Inter ceteras causas, ob quas Deus hominem creavit, una hæc fuit, ut scilicet ex hominibus restauraretur Angelorum ruina; quod attendens Apostolus, *instaurare*, inquit, *omnia in Christo*, *quæ in Cœlis*, *& quæ in terra sunt in ipso* (*b*), quia per Christum, redemptum est humanum genus, de quo fit reparatio Angelicæ ruinæ. Hoc Regius Propheta fore prænoscens, Divino afflatus spiritu cecinit: *Judicabit in nationibus*, *implebit ruinas* (*c*); discernet scilicet *in nationibus* tot homines bonos & electos, ut de ipsis *impleat* Angelorum *ruinas*. Hinc fit, ut post humanam carnem a Filio Dei assumptam, miro quodam modo Angeli ipsi ament homines ac revereantur, utpote quos sibi socios futuros, imo plerosque etiam ad altiores gradus ascensuros agnoscant, eorumque sedes per ipsos implendas. Cupiebat Sponsa, quem diligebat osculari, dicens: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ*, *ut inveniam te foris*, *& deosculer te*, *& jam me nemo despiciat* (*d*)? Osculatus est Christus Dei Filius humanam naturam, cùm eam sibi copulare dignatus est, ac Verbum carnem fieri. Quis eam ultra præsumat despicere? Joannes Evangelista *postquam* multa *audisset*, *& vidisset*, *cecidit*, *ut adoraret ante pedes Angeli*, qui statim ei dixit: *Vide*, *ne feceris: conservus enim tuus sum*, *& fratrum tuorum Prophetarum*, *& eorum*, *qui servant verba prophetiæ libri hujus* (*e*): Et quid mirum, si Angeli venerentur homines, eosque diligant, per quos nova illis quotidie fit lætitiæ & consolationis accessio? quotquot enim homines in Cœlum ascendunt, iisdem novi gaudii occasionem præbent: *Gaudium erit*, inquit Dominus, *coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente* (*f*). Si deliciæ Angelorum sunt, lacrymæ nostræ: ecquid erunt bonorum operum stipendia, hominibus in Cœlo collata? tunc enim vident *ædificantem Jerusalem Dominum*, & *dispersionis Israëlis congregantem* (*g*). O infinitam Dei bonitatem! *Quid*, quæso, *erat homo*, *quòd memor fuerit ejus* (*h*), a quo toties fuerat contempta; in quem tam multa contulerat beneficia, quibus omnibus tamen

(*a*) *Psalm. VIII. v. 6.*
(*b*) *Ad Ephes. I. v. 10.*
(*c*) *Psalm. CIX. v. 6.*
(*d*) *Cant. Cantic. VIII. v. 1.*
(*e*) *Apocal. XXII. v. 8. & 9.*
(*f*) *Lucæ XV. v. 10.*
(*g*) *Psalm. CXLVI. v. 2.*
(*h*) *Psalm. VIII. v. 5.*

tamen ille ſemper ingratus extiterat? Maximum fuit ſanè, hominem de nihilo creaſſe; ſed quantò majus ad ſui illum imaginem ſimilitudinemque formaſſe? At poſt peccatum æternas illi in Cœlo manſiones paraſſe; Angelorum illum adhuc ſocium, concivem, & pro meritorum ratione ſuperiores etiam illi ſedes non raro conſtituiſſe, quis ad id non ſtupeat? quis ſpiritu non deficiat? Ego certè dignationis hujus magnitudinem quibus exprimam verbis prorſus ignoro, niſi cum Davide Sanctiſſimo dicam: *Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in Cœlo, & in terra? Suſcitans a terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem: ut collocet eum cum Principibus, cum Principibus populi ſui* (*a*). Verè id nemo præſtare potuiſſet, niſi Dominus Deus noſter, *qui in altis habitat*, ut terra collocaretur in Cœlo, ut homo inter Angelos ſederet, ut viliſſimus vermis inter Principes domûs Dei numeraretur. At quonam præcedente in nobis merito id fecit? Imo verò, quibus non præcedentibus culpis, in Angelorum locum, quos ſuperbia dejecit e Cœlis, homines ſubrogare dignatus eſt, quos eadem ſuperbia a Paradiſo voluptatis detruſit in terram? Superbos in ſuperborum locum ſuffecit; ſed eos, qui jam ſuperbiam exuerant, & humilitatem induerant. Permanſerant in Cœlo ſoli, qui non ſuperbientes ſeſe Deo ſubjecerant. Inter eos adſcribendus erat homo, qui èt ipſe antea ſuperbierat, & ſua ſorte minimè contentus, Deo ſimilis fieri, bonum ſciens & malum (*b*), affectaverat. Sed quiſnam tanto munere donare illum potuiſſet? Nemo certè, niſi qui *in altis habitat Dominus*. Ipſe modum invênit, quo id perficeret: Pellibus involvit manus Jacob, eumque Patris benedictionem conſequi fecit (*c*). Humilitatis virtutem altiſſimam homines induere docuit; & ſic ſalubri quadam & efficaci ratione, ſapientiſſimus Pater Iſaac Deus, quodammodo ſeſe decipi permiſit. O ſancta deceptio! quam ipſe Dominus nobis expreſſit dicens: *Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cœlorum* (*d*). Quid hoc eſt, magnos *effici*, *ſicut parvulos*, niſi Jacob pellibus indutum, Eſau reputari? Eja igitur, filii, pelles has induamus; corde humiles ſimus, alta de nobis minimè ſentiamus, ut Beatorum Spirituum concives tamdem eſſe mereamur. Amen.

HO-

(*a*) *Pſalm. CXII. v. 5. & ſeqq.*
(*b*) *Geneſ. III. v. 5.*
(*c*) *Ibidem XXVII. v. 16.*
(*d*) *Matth. XVIII. v. 3.*

HOMILIA LXXVI.

IN FESTO DEDICATIONIS

SANCTI MICHAELIS

ARCHANGELI

Habita in Templo Maximo Mediolani in Veſperis

Feria V. Dominicæ IV. poſt Decollationem

ANNO MDLXXXIII. XXIX. SEPTEMBRIS.



Eus Optimus Maximus quemadmodum ſingulis horis, pietatis ſuæ in nos viſcera oſtendere, ac præcipuis nos quotidie donis cumulare numquam ceſſat; ita æquum ſanè, filii, eſſet, ut tantæ bonitatis memoria animo noſtro numquam excideret, ut recordaremur ſemper infinitæ illius benignitatis, nec aliud umquam os noſtrum & lingua noſtra, niſi ipſius laudes, perſonarent. Hinc eſt, quòd Propheta nobis longè ſapientior, *miſericordias Domini in æternum cantare* (*a*) ſtatuebat; cùm enim quidquam aliud tantæ miſericordiæ rependere non valeamus, verbis ſaltem & laudibus liberales eſſe debemus; & quod ſoli ipſi nos minimè poſſe conſpicimus, id ut nobiſcum faciant, omnes alias Dei creaturas invitare nos oportet, ac dicere: *Benedicite* nobiſcum *omnia opera Domini Domino* (*b*). Sed (proh dolor!) ſingula in genere ſuo, pro viribus ſuis & modo, Deum laudant & benedicunt, præter hominem, qui illis exemplo ac ſtimulo eſſe debuiſſet; & qui magis diligere deberet, utpote cui fuit magis donatum, is amore friget. Verùm quid inquio

(*a*) *Pſalm. LXXXVIII. v.* 2. | (*b*) *Daniel. III. v.* 37.

inquio non amat? Imo odio prosequitur, imo *retribuit mala pro bonis* (*a*), & pro beneficiis (horreo dicere) contumelias plerumque reddit. Sed quorsum hæc? Meritò sanè, filii, hodie hæc a nobis auditis; hodierna quippe solemnitas tanti nobis exhibens memoriam beneficii, ad id nos potissimùm invitat, ne ingrati animi vitio notemur. Quale sit tantum hoc Dei munus, quidve a nobis requirat (quæ duo hoc mane proposueramus, sed temporis angustiis in hanc horam differre fuimus coacti) jam Deo dante percipietis.

Ac primùm quidem, ut muneris magnitudinem, ac Dei summam dignationem intelligatis, perpendamus, obsecro, in quem sit munus collatum; nam fortè is adeò dignus erit & nobilis, ut non multum fuerit, eum ita honorari, cùm ei multò majora deberentur. Sed dum hæc dico, Angeli, aut Dei potiùs vox verba mea intercipit dicens: *Intelligite insipientes, & stulti aliquando sapite* (*b*). Ostendam ego vobis, quisnam is sit, quem Deus adeò honoravit, ut beneficii sublimitatem, nisi cæci sitis, ex recipientis indignitate ac vilitate metiamini. Et certè hujusmodi cogitatio ad id proderit plurimùm, eò quippe beneficium quodvis censendum est majus, quò a nobiliori in viliorem & magis ingratum confertur. Juvabat Davidem plerumque hæc considerare, ideoque clamabat: Domine, *quid est homo, quòd memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum* (*c*)? Sed breviter videamus nos primùm, quid est homo, quàm sit dignus & nobilis.

Ejus dignitas, filii, duplici ex capite potest comprehendi, vel ex corpore, vel ex anima, quibus tanquam partibus constat. Hæc autem, licèt fortè sciatis, ac omnes sæpius audieritis, utile tamen admodum est frequentiùs recensere, ut in vestri cognitionem, quæ potissima est scientiarum omnium, facilè deveniatis. Ac quoad corpus quidem, cùm homo formatus sit ex terra, terra autem ex nihilo, apertè infertur, inter hominem & nihil, solam terram esse interjectam. Hæc est nostra progenies, hæc nostræ nobilitatis origo & claritas; hæc sunt nostra stemmata, & antiquæ familiæ monumenta. Hoc perpendens Ecclesiasticus, his verbis exclamat: *Quid superbit terra, & cinis* (*d*)? Ad hanc salutarem & excellentem contemplationem nos

(*a*) *Psalm. XXXIV. v.* 12.
(*b*) *Psalm. XCIII. v.* 8.
(*c*) *Psalm. VIII. v.* 5.
(*d*) *Ecclesiastici X. v.* 9.

nos tamquam oblitos nostri, quotannis Sancta invitat Ecclesia iis verbis: *Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reverteris*; ac si diceret: Accipe hanc considerationem, quam tibi tribuo, veluti clavem admirabilem, qua poteris ostium tui ipsius aperire, teque intimè intueri & penetrare; resera januam, ingredere te ipsum, qui a te longè abes, & aspicies totam domum, cinere ac pulvere repletam. Nec te decipiat corporis pulchritudo, & insignis ornatus; nam omnia hæc interibunt, & in pulverem tamdem revertentur. Hæc autem æquè dicta scitote celsissimis Regibus, & abjectissimis mendicis, Magnatibus, & e media plebe, ac obscura progenie hominibus; quoniam nullum est hac in re inter magnos, & parvos discrimen.

Quoad animam verò, quam nobilissimam quidem fuerat sortitus, quid est homo, nisi is, cui supplicia omnia & cruciatus debeantur, cùm eam adeò deformaverit, cùm speluncam Dæmonum illam effecerit, quæ Spiritus Sancti fuerat templum, cùm Dei imaginem & similitudinem tam indignè fœdaverit? Denique, ut ad propositam materiam accedamus, audite Job Sanctissimum, qui hominem describit, & Dei in ipsum benignitatem admiratur: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & numquam in eodem statu permanet. Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos* (*a*)?

Sed quid Job diceret, si Deum *super hujuscemodi oculos suos* non modò *aperientem* videret, sed etiam ipsius maximè solicitum, omnes ejus vias & opera custodientem, ac demum ipsius curam nobilissimis Principibus Angelis (qui post Deum primum inter creata omnia inferiora obtinent locum) committentem; eosque veluti Pædagogos, custodes, comites perpetuos, atque ministros hominibus tradentem? Hæc certè summa dignatio, hoc maximum est Dei in nos beneficium: Hoc vobis hodie ex multiplicibus bonis, quæ ab Angelis ipsis accipimus, considerandum propono.

Apostolus de Angelis loquens, dicebat: *Nonne omnes sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis* (*b*)? Licèt enim non omnium ordinum Angeli, sed infimi tantùm, hominum sint custodiæ deputati; omnes tamen, etiam supremi, hominum ministrant saluti, cùm in inferiores influunt, cùm illos erudiunt atque illuminant, nobis per inferiores

(*a*) *Job XIV. v. 1. & seqq.* | (*b*) *Ad Hebr. I. v. 14.*

riores illud obſequium exhibendo, quod per ſe ipſos præſtare non poſſunt: Id verò multiplex eſt atque diligentiſſimum, utpote qui Divinæ omnes ad nutum obtemperant voluntati, quibus *mandavit, ut cuſtodiant nos in omnibus viis noſtris, in manibus portent nos, ne fortè offendamus ad lapidem pedem noſtrum* (*a*).

Magna ſanè dignitas animarum, ut unaquæque ab ortu ſuo habeat Angelum ad ſuî cuſtodiam deputatum, qui in matris utero ipſum infantem quoque cuſtodit (*b*), & ad ultimum uſque ſpiritum numquam derelinquit. Verùm non modò ſinguli ſingulos homines dirigunt, ſed etiam univerſis Provinciis, Civitatibus, Collegiis, atque Conventibus ſinguli deputati ſunt Angeli, qui ſingulos in iis comprehenſos, præter peculiares eorum Angelos, etiam ipſi defendunt. Quanta verò ipſi officia hominibus exhibeant, id utriuſque Teſtamenti paginæ apertè declarant. Angeli ob beneficium hoſpitalitatis a Lot acceptum, ipſum unà cum uxore, & duabus ejuſdem filiis a Sodomæ incendiis liberarunt, & fugam, quam præcipiebant, capere differentem, quodammodo compulerunt, & manuduxerunt. Ejuſdem hoſpitis ſui precibus Civitatem Segor, ad quam confugere decreverant, ab immiſſo divinitùs igne exemerunt. Imo videte, quàm eſſent de illius ſalute ſoliciti: *Cùmque eſſet mane*, inquit Scriptura, *cogebant eum Angeli dicentes: Surge, tolle uxorem tuam, & duas filias, quas habes: ne è tu pariter pereas in ſcelere Civitatis. Diſſimulante autem illo, apprehenderunt manum ejus, & manum uxoris, ac duarum filiarum ejus, eò quòd parceret Dominus illi. Eduxeruntque eum, & poſuerunt extra Civitatem: ibique locuti ſunt ad eum dicentes: Salva animam tuam: noli reſpicere poſt tergum, nec ſtes in omni circa regione: ſed in monte ſalvum te fac, ne è tu ſimul pereas* (*c*). Magis illi de ejus ſalute anxii videbantur, quàm ipſe de ſe ipſo. Lot ſalvum fecerunt a flamma; & nos a peccatorum incendiis fugere docuerunt, ac præſertim eorum, quæ inſidioſa caro noſtra, & blanda

(*a*) *Pſalm. XC. v.* 11. & 12.

(*b*) Controverſum eſt inter Theologos, utrum Angelus deputetur a Deo cuſtodiæ Infantum, ab ortu eorumdem, an etiam in utero Matris. Sanctus Thomas in II. Sententiarum diſtinct. XI. quæſt. I. artic. III. ad III. hanc poſtremam ſententiam docuit; in Summa verò Theologiæ I. parte quæſt. CXIII. art. V. ad III. oppoſitum tuetur Sancti Hieronymi teſtimonio, & hac præſertim ratione, quòd puer, dum eſt in utero, ſit veluti pars matris, adeòque ab ejuſdem Angelo cuſtodiatur. Franciſcus tamen Suarez in Tractatu de Angelis lib. VI. cap. XVII. num. XVIII. quærens, an nativitas Infantum intelligenda ſit intra, vel extra uterum matris, ait, meliùs eam intelligi de infuſione animæ, adeòque primæ Sancti Thomæ ſententiæ libentiùs adhæret, permotus etiam auctoritate Anſelmi, qui in Elucidario hæc ſcribit: *Unaquæque anima, dum in corpus mittitur, Angelo committitur*. Eadem quoque placuit Sancto Carolo, proinde illam in hac Homilia eſt amplexus.

(*c*) *Geneſ. XIX. v.* 15. & *ſeqq.*

hostis semper insinuat; nempe longè ab illa fieri; *post tergum minimè aspicere*, quod est præteritarum voluptatum numquam recordari; nec *in omni circa regione* habitare, non modò peccata ipsa vitando, sed etiam occasiones omnes, atque ea, quæ ad libidinem ullo pacto possint inducere, omni studio ac diligentia cavendo.

Agar ancilla Abrahæ, ab ipso unà cum ejus filio, Saræ uxoris hortatu, domo pulsa, cùm, aqua deficiente, quam secum in utre detulerat, degeret in deserto, ac puer ejus in proximo esset siti periturus; jam de ejusdem, ac sua quoque salute desperans, abjecerat illum subter unam arborem, quæ ibi erat: *Et abiit, seditque e regione procul, quantum potest arcus jacere, dixit enim: Non videbo morientem puerum: & sedens contra, levavit vocem suam, & flevit* (*a*). Sed numquid in tanto mœrore, in tanta animi dejectione, dereliquit eam Angelus ejus? Absit; imo mœrentem erexit, animum addidit, spe & gaudio dolentem replevit: *Vocavitque Angelus Dei Agar de Cœlo dicens: Quid agis Agar? noli timere* (*b*). Puteum aquæ illi ostendit, ex quo utrem implevit, & filium siti jam pene extinctum in vitam reduxit, simulque illi promisit, quia *in gentem magnam* facturus esset Deus puerum illius (*c*). Quoties, filii carissimi, multi nostrùm in deserto hoc sedentes, adversa sibi omnia accidere animadvertentes, spem omnem abjicerent, nisi Angelus eorum Custos accedens, proprio illos nomine vocaret, dicens: *Quid agitis* amici? *nolite timere*; adversis prospera, tristibus læta succedent, & *faciet* vobis Dominus *cum tentatione proventum* (*d*).

Elias vir Dei cùm Prophetas Baal occidisset, ad ipsum impiissima *Jezabel nuncium misit, dicens: Hæc mihi faciant Dii, & hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam sicut animam unius ex illis. Timuit ergo Elias, & surgens abiit quòcumque eum ferebat voluntas: venitque in Bersabee Juda, & dimisit ibi puerum suum, & perrexit in desertum viam unius diei. Cùmque venisset, & sederet subter unam Juniperum, petivit animæ suæ, ut moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior sum, quàm patres mei. Projecitque se, &* dolore ac mœrore confectus *obdormivit in umbra Juniperi*. Sed quid? *Ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, & comede. Respexit, & ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ: Comedit ergo, & bibit, & rursum obdormivit. Reversusque*

(*a*) *Genes. XXI. v.* 16.
(*b*) *Ibidem v.* 17.
(*c*) *Ibidem v.* 18.
(*d*) *I. ad Corinth. X. v.* 13.

ſuſque eſt Angelus Domini ſecundò, & tetigit eum, dixitque illi: Surge, comede: grandis enim tibi reſtat via. Qui cùm ſurrexiſſet, comedit, & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, uſque ad montem Dei Horeb (*a*).

Verè diligunt nos amore tenerrimo Angeli, & cùm in afflictione poſitos cernunt, nos viis omnibus conſolari ſtudent: ac licèt non ſtatim ab initio levamen præſtent, quin etiam aliquantulum terrere videantur; eorum tamen diſceſſus conſolationem in nobis maximam, omni metu ſublato, relinquit. *Turbata* fuerat *in* primo Angeli *ſermone* (*b*) Mater Dei Maria; ſed adfuit ejuſdem Angeli conſolatio, dicentis: *Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum* (*c*). Verùm non ita malus Angelus ſe gerit in homines, quorum hoſtis eſt infenſiſſimus: nam èt ipſe diſcipulos ſuos conſolatur, dum falſa promittit, vana ſuggerit, impunitatem pollicetur; terret autem in fine, cùm *extrema* illius *gaudii luctus occupat, & riſus dolore miſcetur* (*d*). Viam quidem a principio latam oſtendit, ſed *noviſſima ejus deducunt ad mortem* (*e*); Angeli verò boni conſolatio, poſt modicum ſalutarem dolorem, ſpiritum lætitiâ perfundit. Sic pias mulieres, quæ ad Chriſti Domini monumentum acceſſerant, Angelus recreàvit dicens: *Nolite timere vos, nolite expaveſcere, ſcio enim, quòd Jeſum quæritis* (*f*).

Annon Angelus (*g*) Iſraëliticum populum a Pharaonis furore fugientem ex Ægypto eduxit, ſtans inter caſtra Ægyptiorum, & caſtra Iſraël; illis quidem tenebras maximas offundens, his verò clariſſimum lumen præbens, cujus ſplendore inter denſiſſimas noctis tenebras ſicco veſtigio mare pertranſierunt? Quis ab ingenti illa clade eidem populo Jeroſolymis illata, fideles Dei ſervos liberavit, niſi Angelus, Domini juſſu, *ſuper frontes virorum gementium Thau ſignans* (*h*)? Quis pro eiſdem veniam ac miſericordiam a Domino aſſiduè poſtulabat, niſi Angelus clamans: *Domine exercituum, uſquequo tu non miſereberis Jeruſalem, & Urbium Juda, quibus iratus es? Iſte jam ſeptuageſimus annus eſt* (*i*).

Sed eadem, quæ univerſo illi populo præſtabant, ſingulis quoque hominibus beneficia præſtiterunt. Sic (ſi recolitis) Eliſeum

(*a*) *III. Regum XIX. v. 2. & ſeqq.*
(*b*) *Lucæ I. v. 29.*
(*c*) *Ibidem v. 30.*
(*d*) *Proverb. XIV. v. 13.*
(*e*) *Ibidem v. 12.*
(*f*) *Matth.XXVIII.v.5., & Marc.XVI.v.6.*
(*g*) *Exodi XIII. & XXIII. v. 23.*
(*h*) *Ezech. IX. v. 4.*
(*i*) *Zachar. I. v. 12.*, a cœpta nempe extrema Jeroſolymæ obſidione per Nabuchodonoſor.

ſeum undequaque obſeſſum, ipſi acerrimè defendebant; quod èt ejus *miniſter* manifeſtiſſimè agnovit: nam *diluculò conſurgens vidit exercitum in circuitu Civitatis*, *& equos*, *& currus*, *nunciavitque* Eliſeo, *dicens: Heu*, *heu*, *heu*, *Domine mi*, *quid faciemus? Reſpondit* illi Eliſeus: *Noli timere*, *plures enim nobiſcum ſunt*, *quàm cum illis*. *Cùmque oraſſet Eliſeus*, *ait: Domine aperi oculos hujus*, *ut videat*. *Et aperuit Dominus oculos pueri*, *& vidit: & ecce Mons plenus equorum*, *& curruum igneorum*, *in circuitu Eliſei* (*a*). Circumdant nos, dilectiſſimi filii, undequaque Dæmones infernales, & inteſtino in nos odio furentes, animas noſtras debellare tentant. Sed numquid Angeli pro nobis adversùs illos ſtrenuè non depugnant? Ita ſanè: &, ſi quatenus poſſumus illis adhæreamus, victoriam ſemper de hoſtibus reportant. Sunt quidem Dæmones validiſſimi, & virtute ſua naturali poſſunt mira facere, niſi Deus ipſorum vires coërceret. Vidimus hoc in Angelo Chriſtum tentante, dum eum a deſerto ſublatum tranſtulit *in Sanctam Civitatem*, *& ſtatuit eum ſuper pinnaculum Templi*, & de Templo ſtatim aſportavit *in montem excelſum valde* (*b*). Quis enim homo virtute ſua hoc facere poſſet? Certè nullus: unde etiam de malo Angelo dicitur: *Non eſt ſuper terram poteſtas*, *quæ comparetur ei*, *qui factus eſt*, *ut nullum timeret* (*c*); poteſtas quippe Diaboli ſuper terram, cunctis eminentior perhibetur, quia, etſi rebellionis ſuæ culpâ infra homines ceciderit, omne tamen genus humanum propter Angelicam conditionem tranſcendit; & quamvis internæ felicitatis beatitudinem perdiderit, nihilominus naturæ ſuæ dotes minimè amiſit, cujus adhuc viribus humana omnia ſuperat. Si igitur tanta poteſtas in malis remanſit Angelis, quid credendum eſt de bonis, in quibus per gratiam natura eſt longè fortior effecta? Certè *ſunt nobiſcum plures*, *quàm cum illis* (*d*). Dicere ergo nos poſſumus: Unus ex his validior eſt omnibus illis. Quòd ſi Dæmones adversùm nos pugnant perpetuò, etiam Angeli pro nobis adversùm illos pugnare nullo umquam temporis momento ceſſant, donec eoſdem turpiſſimæ ſe fugæ dedere compellant, atque in infernum ſe dejicere. Apertè id omne deſcribitur in revelationum libro, ubi dicitur: *Factum eſt prælium magnum in Cælo* (hoc eſt in Eccleſia militanti, in qua nos ſumus. *Michaël*, *& Angeli ejus præliabantur cum dracone*, *& draco pugnabat*, *& Angeli ejus: & non valuerunt*,

(*a*) *IV. Reg. VI. v.* 15. *& ſeqq.*
(*b*) *Matth. IV. v.* 5. *&* 8.
(*c*) *Job XLI. v.* 24.
(*d*) *IV. Reg. VI. v.* 16.

runt, neque locus inventus est eorum ampliùs in Cœlo. Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui seducit universum Orbem (*a*). Magnum sanè & diuturnum prælium est hoc, filii. Cujuslibet nostrûm anima, est inclyta & munitissima Civitas, impetunt eam hinc inde multi; est nobilissima præda, illam arripere omnes contendunt: Stat a læva parte draco infernalis cum satellitibus suis; a dextra verò Christus, & omnes Angeli ejus perpetuò præliantur. Sed hic quidem, ùt naturalis & legitimus Dominus, quod suum est, repetit; ille verò, uti fur & latro, alienum per vim rapere studet. Quis horum, filii, est potior; ad quem inclinat victoria? Ad eum certè, cui voluerit anima se sociam dare, cui ingressum aperuerit, cui sese ultro ac plenè concesserit, cùm a spontanea ejusdem deditione ac consensu pendeat Christi, & Angelorum victoria. Quòd si sejungi voluerit, eamque Dæmon in suam redigat tyrannidem, non est, cur ipsa de quopiam jure doleat, quàm de se ipsa. Pares hostibus defensores Dominus nobis constituit, singulis singulos, plures pluribus, millenos millenis; contra Diabolum est Angelus Custos, contra Dæmones omnes, multò plures Angeli, contra tentationes, Dei gratia; sed in his omnibus gratia redundat.

O filii, si quæ circa vos fiunt continuò videretis; si veluti pueri illius Eliseum comitantis, oculos vestros aperire Dominus dignaretur; quot currus igneos, quot equos, quot milites, quot duces, quot, inquam, Angelos in subsidium vestrum venientes, vobis suppetias ferre paratos videretis! Sed quod corporeis oculis cernere non valetis, Fidei saltem lumine aspicite, & quod in Eliseo factum auditis, hoc erga vos quotidie fieri firmissimè credite.

Neque minus de necessitatibus corporeis soliciti Angeli nobis subveniunt. Hujus rei testimonium ferat Daniel in lacu leonum positus, fame laborans, & jejunis feris expositus; qui tamen ab utroque malo evasit incolumis: nam & a Leonibus illum Dominus liberavit, & esurienti Angelus benignè cibos præstitit. *Erat Habacuc Propheta in Judæa, & ipse coxerat pulmentum, & intriverat panes in alveolo, & ibat in campum, ut ferret messoribus. Dixitque Angelus Domini ad Habacuc: Fer prandium, quod habes, in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum. Et dixit Habacuc: Domine, Baby-*

(*a*) *Apocal. XII. v. 7. & seqq.*

Babylonem non vidi, & lacum nescio. Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice ejus, & portavit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylonem super lacum in impetu Spiritus sui (*a*), ac postmodum *restituit Habacuc confestim in loco suo* (*b*).

Angeli quoque cum tribus illis pueris Sidrach, Misach, & Abdenago *in fornacem descenderunt, & excusserunt flammam ignis de fornace, & fecerunt medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit* (*c*). Væ nobis quidem, filii, nisi continuò nos Angeli tuerentur! Væ corporibus nostris, nisi ea custodientes a Dæmonum rabido furore defenderent! Laniarent isti profectò nos, ac millies dilacerarent multò crudeliùs, quàm furens fame agitatus leo occurrentem prædam: Sed immittit Angelum Dominus in circuitu nostro, & eripit nos (*d*); circumquaque protectione nos vallat, & ab omnibus Dæmonum tuetur insultibus.

Verùm præcipuâ quadam curâ a peccatis liberare nos student, utpote quæ potiora atque graviora esse mala cognoscunt. Hoc se ab Angelo suo recepisse vidua illa sanctissima Judith fatebatur dicens: *Vivit autem ipse Dominus, quoniam custodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem, & non permisit me Dominus Ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati revocavit me vobis gaudentem in victoria sua, in evasione mea, & in liberatione vestra* (*e*).

Nec a peccatis solùm, sed ab occasionibus etiam, per quas in peccatum labi possent, solicitè homines custodiunt; quod non obscurè Regius Vates designavit, cùm ait: *Angelis suis* Deus *mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, in manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum* (*f*). *In manibus* autem *portare*, est peccandi occasiones abscindere, ne in peccatum præcipites proruamus. „ *In manibus portant* nos Angeli Sancti, in„ quit Bernardus (*g*), quia non patiuntur nos tentari supra „ quàm sustinere possumus; sed *in manibus* (idest in auxiliis „ suis) tollunt nos, ut pertranseamus offendiculum. Quàm fa„ cilè transit foveam, qui portatur manibus? quàm mundè lu„ tum transit, qui manibus sustinetur? quàm facilè natat, cu„ jus alter sustinet mentum? Qui ergo Angelorum portatur au„ xilio,

(*a*) *Daniel. XIV. v.* 32. *& seqq.*
(*b*) *Ibid. v.* 38.
(*c*) *Ibidem III. v.* 49. *& seq.*
(*d*) *Psalm. XXXIII. v.* 8.
(*e*) *Judith XIII. v.* 20.
(*f*) *Psalm. XC. v.* 11. *& seq.*
(*g*) Sermone XII. in Psalm. *Qui habitat*, num. 7. Edition. Parisiensis anni MDCCXIX.

„ xilio, *ad lapidem*, nisi velit, *non offendit* „. Hoc idem hostis antiquus testatur, cùm de Beato Job ad Dominum loquens ait: *Nonne tu vallasti eum, ac domum ejus* (*a*)? hoc est omnes aditus occlusisti, ne ego in illum erumpere, illum lædere, aut in peccatum præcipitem agere possem.

Ut autem quæ agenda, quæ item fugienda sint, homines norint, id Angelis præcipuè est curæ; illos enim hæc omnia docent, abdita illis aperiunt, legem Dei proponunt, salutaria demum consilia suggerunt, & monent quæcumque illis sint usui futura. Peculiarem hanc diligentiam exemplis, & variis apparitionibus illi nos clarè docuerunt. Testatur Daniel apertè, se ab Angelo edoctum, ac arcana sibi manifestata, cùm dicit: *Factum est autem, cùm viderem ego visionem, & quærerem intelligentiam: ecce stetit in conspectu meo quasi species viri. Et audivi vocem viri inter Ulai: & clamavit, & ait: Gabriel fac intelligere istam visionem. Et venit, & stetit juxta ubi ego stabam: cùmque venisset, pavens corrui in faciem meam, & ait ad me: Intellige fili hominis, quoniam in tempore finis complebitur visio. Cùmque loqueretur ad me, collapsus sum pronus in terram, & tetigit me, & statuit me in gradu meo: Dixitque mihi: Ego ostendam tibi quæ futura sunt in novissimo maledictionis: quoniam habet tempus finem suum* (*b*). Hinc est, quòd qui sacris literis operam dant, Gabrielem Archangelum singulari obsequio prosequi deberent, ejusque sæpius opem implorare; cujus auxilio, quæ ipsi intelligere nequeunt, faciliùs ediscerent. Sic ab Angelo revelata fuerunt Joanni mysteria, cùm ipsemet referat: *Significavit Deus, quæ oportet fieri citò, mittens per Angelum suum servo suo Joanni* (*c*).

Legem Dei quoque proponunt: Nec mirum, cùm èt illam populo proponendam Moysi tradiderint; & quæ in veteri Testamento per Deum & a Deo facta dicuntur, per Angelos facta fuisse intelligantur. Hanc tamen legis traditionem Angelo potissimùm tribuit Stephanus Protomartyr in eo, quem ad Hebræos habuit sermone, cùm dixit de Moyse loquens: *Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto Montis Sina Angelus in igne flammæ rubi. Moyses autem videns, admiratus est visum* (*d*); & infra: *Hic est, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in Monte Sina, & cum Patribus nostris: qui accepit verba vitæ dare nobis* (*e*).

(*a*) *Job I. v.* 10.
(*b*) *Daniel. VIII. v.* 15. *& seqq.*
(*c*) *Apocal. I. v.* 1.
(*d*) *Actor. VII. v.* 30. *&* 31.
(*e*) *Ibid. v.* 38.

Suggerunt nobis ſemper meliora, a malis verò retrahunt, ac de iis monent, quæ ſi efficiamus, ad eam, qua ipſi fruuntur, felicitatem pervenire poſſimus. Nam ſicuti Dæmones ſemper mala inſinuant, ita e converſo iſti ſemper honeſta ſuadent. Loquitur intra te Dæmon, & dicit: ne inimico tuo parcas, ne reddas, quod alteri debes, ne pauperi opem tribuas, ne inimicum alloquaris; ſupervacaneum eſt, toties communicare & confiteri, te digito oſtendent; puerile eſt & vile, adoleſcentulos Fidei rudimenta docere; omnibus viis divitias para, congere pecunias, quibus in poſterum hilarem vitam ducas; voluptatibus, & deliciis incumbe. Sed altiſſima voce reſpondet Angelus, pectus tuum percutit, & clamat: Parce veniam petenti, redde quod alteri debes; *eleemoſynis redime peccata tua* (*a*), *benefac bis, qui oderunt te, & ora pro perſequentibus & calumniantibus te* (*b*); quotidie peccas, quotidie confitere; panis eſt quotidianus, quotidie ſume; voces hominum contemne; Chriſtum ne erubeſce, ut *èt ipſe te coram Patre ſuo, qui in Cœlis eſt, confiteatur* (*c*); Angelicum eſt & noſtrum munus ignaros erudire; nobiliſſimum eſt mercaturæ genus, Chriſto animas lucrari; *ne ſolicitus ſis in craſtinum, ſufficit* enim *diei malitia ſua* (*d*); ſpinæ ſunt divitiæ, quæ continua ſolicitudine eas poſſidentes feriunt; lilia agri & fœnum campi Deus veſtit, & corvos a parentibus rejectos paſcit; multò magis èt te modicæ fidei nutriet; *nullus* umquam *juſtus ab eo derelictus fuit* (*e*); pœnitentiam hìc age, dum ſuppetit tempus; vigiliam hìc perfice, ut æternum in Cœlo Feſtum celebres. Hæc, & his ſimilia, dilectiſſimi, inſinuant Angeli pædagogi noſtri, magiſtri, paſtores, medici, nutrices, matres, parentes, amici, benefici.

Quanto autem illi gaudio perfunduntur, cùm nos eorum conſiliis obtemperamus, cùm, prout Chriſtianos decet, vivimus; *Ita dico vobis*, quia *gaudium* magnum *erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente* (*f*). Lacrymæ noſtræ ſunt illorum deliciæ; fletus noſtri, eorum riſus; opera noſtra, illorum cibus. Quantæ illis eſt delectationi, nos Deum laudantes audire, nos Divini Verbi panem parvulis proponentes reſpicere! De hoc Sponſam Sponſus ipſe monebat: *quæ habitas in hortis* (ad te inquam loquor, o Anima Chriſti ſanguine redempta) *amici auſcul-*

tant

(*a*) *Daniel. IV. v.* 24.
(*b*) *Matth. V. v.* 44.
(*c*) *Ibidem X. v.* 32.
(*d*) *Ibidem VI. v.* 34.
(*e*) *Pſalm. XXXVI. v.* 25.
(*f*) *Lucæ XV. v.* 10.

tant te, & enixè petunt; *fac me audire vocem tuam (a)*, vocem, inquam, quæ vocis humanæ nomen mereatur, hoc eſt, quæ in Dei laudem, & proximorum tuorum tendat ſalutem; nam ſi ab hac differat, ſi obſcœna & impudica verba effutias, ſi Deum blaſphemes, ſi abſentibus detrahas, ſi mentiri aſſueſcas, non voces hæ, ſed porcorum ſunt potiùs grunnitus, aut horribiles Dæmonum inconditi clamores & ululatus.

Sed mœrerent profectò Angeli, & acerbiſſimè dolerent (ſi mœroris ac doloris eſſent capaces) quotieſcumque nos a Dei via deflectentes aſpicerent. Animo quodammodo cadere videntur, & ſpem abjicere, ipſorum fore ruinas reparandas, cùm nos per viam latam incedentes cernunt, quæ non ad eorum ſedes, ſed ad æternæ damnationis barathrum tendit. Hoc eſt quod Iſaias perhibuit dicens: *Ecce videntes clamabunt foris, Angeli pacis amarè flebunt (b)*; licèt enim, beati cùm ſint, dolere non poſſint, ob noſtra tamen peccata, accidentali illa gaudii acceſſione, quam audiviſtis, volentibus nobis, fraudantur; & quodammodo ad exercenda officii ſui munera inutiles redduntur, dum quæ Deo offerant, a nobis minimè recipiunt.

Nam èt hoc præcipuè faciunt, quod non modò orationibus noſtris aſſociantur, unde dicitur: *Aſtiterunt (c) Principes conjuncti pſallentibus (d)*, ſed & preces noſtras, & opera bona hilares ac ſoliciti Deo repræſentant, utpote qui fructum etiam ipſi ex iis percepiſſe ſibi videntur, quæ eorum ſuaſionibus & monitis piè ac laudabiliter ab hominibus fiunt. Hoc Joannes deſcripſiſſe videtur, ubi dixit: *Venit Angelus, & ſtetit ante Altare, habens thuribulum aureum: & data ſunt illi incenſa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium ſuper Altare aureum, quod eſt ante thronum Dei. Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum, de manu Angeli coram Deo (e)*. Hoc ipſe met Angelus Tobiæ teſtificatus eſt, inquiens: *Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino (f)*. Conſiderant ipſi minutim bona omnia, quæ agimus, nec quid minimum ex iis perire ſinunt, quod fructu fraudetur. Contra verò Dæmon mala omnia attentè perſcrutatur, pœnam illis debitam infligi curaturus.

(a) *Cant. Cantic. VIII. v.* 13.
(b) *Iſaiæ XXXIII. v.* 7.
(c) In vulgata legitur *Præveneruns*.
(d) *Pſalm. LXVII. v.* 26.
(e) *Apocal. VIII. v.* 3. & 4.
(f) *Tob. XII. v.* 12.

Sed quamdiu vivimus, de ſalute noſtra neutiquam deſperant, neque ſegniùs nos cuſtodiunt; cùm ignorent quis noſtrî futurus ſit finis. Vident Publicanum juſtificatum; vident Magdalenam divino amore ardentem, & ſanctimoniæ exemplar effectam; vident Paulum ex perſecutore Apoſtolum; vident latronem in ultimo vitæ momento ab ipſomet Chriſto, cœleſti Regno donatum. Idem de nobis fieri poſſe confidunt; ideo numquam curam remittunt, licèt quandoque pœnas aliquas ob delicta perpetrata nos ſubire permittant; atque ita videantur noſtrûm veluti obliti dicere: *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam* (*a*). Imo èt Deus ipſe quandoque, ſua exigente juſtitia, id evenire decernit, quodammodo minas illas adhibens: *Auferam ſepem ejus, & erit in direptionem* (*b*). Cavendum tamen valde nobis eſt, ne pravis operibus ac contumacibus culpis Angelos a nobis cogamus prorſus recedere, atque opportunis, in extremo vitæ conflictu, beneficiis nos privare.

Et ſanè non omittunt illi adeſſe morientibus, & eorum animas in Cœlum portare. Feliciſſime Lazare (*c*), qui in oculis hominum fueras mendicus atque pauperrimus, ab omnibus derelictus, imo deſpectus; qui tolerantià tuà, virtutibus tuis, humana obſequia Angelicis commutaſti; cui morienti Angeli Sancti adfuerunt; quem jam mortuum in Abrahæ ſinum iidem detulerunt! Utinam nos tuî ſimiles ſimus, & etiam te mendiciores! dummodo in hora extrema, quæ totius vitæ erit terminus, hujuſmodi ſortiamur portitores; dummodo in regionem nobis adeò ignotam proficiſcentes, tales habeamus duces.

Habebimus, filii, quicumque illos minimè contriſtaverimus, Michaëlem præſertim Archangelum, cujus hodie Feſtum Sancta Mater Eccleſia præcipuè colit; illi enim [canit ipſa (*d*)] data eſt poteſtas ſuper *animas Sanctorum, ut perducat eas in Paradiſum exultationis*. Nam ſi dum vivimus, Deo adverſati fuerimus, in mortis articulo conſtituti, quos habueramus amicos atque cuſtodes, adverſarios ſentiemus & punitores. Tunc Angelus cujuſque peccati reo dicet: *Ego veni, ut adverſarer tibi, quia perverſa eſt via tua, mihique contraria* (*e*). Tunc eodem officio nobiſcum fungentur, quod olim in veteri lege aliis præſtiterunt, vel peſte popu-

(*a*) *Jerem. LI. v. 9.*
(*b*) *Iſaiæ V. v. 5.*
(*c*) *Lucæ XVI. v. 20. & ſeqq.*
(*d*) Eccleſia nempe Romana, quæ ad Matutinas horas, poſt Lectionem V., Reſponſorium hoc adhibet.
(*e*) *Num. XXII. v. 32.*

populum e medio tollentes (*a*), vel Ægyptios interficientes (*b*), vel Sennacherib numerosum exercitum delentes (*c*). Tunc veluti messores triticum separabunt a paleis, justos ab injustis secernent; tunc zizania in fasciculos colligent, ignique comburenda tradent (*d*); tunc *Cœlorum virtutes commovebuntur* (*e*). O qualis furor, quanta in ipsis tunc ultio! Tunc omnis amor in odium, omnis dilectio in punitionem, omnis honor in contemptum (ut ita dicam) commutabitur. Quî fieri poterit, Custos mi fidissime Angele, ut meî, quem ita nunc diligis, cujus tu infirmitati adeò compateris, pro quo tam solicitam adhibes curam, tunc (quod Deus avertat) ita obliviscaris, ita sim tibi fastidio, me ita persequaris, ad meî supplicium æternamque perniciem ita sis promptus, & sic *veloces* sint *pedes tui ad effundendum sanguinem* meum (*f*)? Ne hoc mihi & vobis accidat, curemus filii; quæ enim nunc nobis exhibent Angeli, Dei jussu & gratiâ exhibent, cùm Deo magis debeant quàm nobis. Si Deum vos oderitis, cur ipsi vos diligant? si Deum contemnitis, cur vos ipsi prosequantur honore? Si armabitur omnis creatura contra insensatos ad Dei gloriam vindicandam (*g*); cur ipsi, qui inter creaturas omnes primatum obtinent, primi quoque arma non sumant? Vultis, tunc ipsi non sumant? Desinite vos jam, gigantum more, adversùs Cœlum, contra ipsorum Dominum culpis armari, desinite eorumdem Regem probris afficere; sic enim èt ipsi, quæ vobis viventibus beneficia conferunt, in obitu quoque, & in extremo judicii die abundantiùs præstabunt.

O socios officiosissimos! Quis umquam dilectionem, ac eorumdem erga nos solicitudinem mente, ne dicam verbis, assequi valeat? Quis amicus fuit umquam ipsis studiosior? Quis veras firmiùs servavit amicitiæ leges, Angelo cujusque Custode? Angelus Tobiæ comes & dux itineris divinitus datus, illum duxit, & reduxit incolumem (*h*): Angelus ei adjumento fuit, ne ab immani pisce devoraretur, &, quanta esset in ejus piscis jecore felle & corde vis, demonstravit: Angelus Dæmonem expulit, & sublatis impedimentis, ac compressâ ejus potestate, ne Tobiæ noceret, effecit: Ille verum & legitimum Matrimonii jus & usum Adolescentem edocuit (*i*): Ille Tobiæ Patri oculis capto, lumen Cœli restituit; ille demum ejusdem familiam bonis

(*a*) II. Regum XXIV. v. 15.
(*b*) Exodi XIII. v. 15.
(*c*) II. Paralip. XXXII. v. 21.
(*d*) Matth. XIII. v. 30.
(*e*) Ibidem XXIV. v. 29.
(*f*) Psalm. XIII. v. 3.
(*g*) Sapient. V. v. 18.
(*h*) Tobiæ V.
(*i*) Ibidem VI.

nis omnibus cumulavit (*a*). Angelus carceris tenebras illustravit, & Petrum, percusso ejus latere, e somno excitavit; Angelus catenas solvit, vinculaque abrupit; Angelus Petrum, ut surgeret, monuit, seque sumptis caligis, & reliquo vestitu sequi jussit; Angelus demum per custodias liberè illum eduxit e carcere, & apertâ januâ in tuto collocavit (*b*). Magna quidem videntur vobis, quæ modò recensui: Sed non solùm eadem ista, at longè quoque majora Custos Angelus cuilibet vestrûm in dies præstat.

Quantò, quæso, majus est, vos a gehenna, hoc est a faucibus truculentissimi draconis, si sanctis ejus monitis pareatis, eripere, quàm a devoratione piscis Tobiam liberare? Quantò præstantius est, clausos animæ vestræ oculos aperire, quibus Deum agnoscere possitis, quàm oculos corporis, quibus communi cum vermiculis conditione, terrena conspicitis, luce donare? Quantò nobilius est, animarum vestrarum conjugium in Baptismo sanctissimo statutum, ac in cœlesti gloria consummandum, inviolatum servare, quàm initum Tobiæ cum Sara matrimonium liberum facere, quod alterius morte dirimi semel debuerat? Quanto majora sunt bona tum gratiæ, tum gloriæ, quæ vobis assiduâ Angelorum operâ procurantur, quàm interitura hujus seculi bona, quæ in Tobiam collata sunt? Quàm vobis utilius, sanctis inspirationibus corda vestra tangere, ac vos e peccati vinculis educere, quàm Petri tacto latere, eum a custodia liberare?

Angeli nos præcedunt, lucem nobis præferentes ad veritatis cognitionem; ipsi rectam ad Cœlum viam ostendunt, nos tuentur ab hostibus, revocant a peccatis, ad honesta semper propellunt; ipsi nos regunt ac monent, & apud Deum continuò intercedunt pro nostra emendatione, donisque aliis ab ejus miseratione impetrandis. Angeli adjuvant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus, pro nobis, inquam, gaudentibus, compatiuntur patientibus, pro nobis scilicet patientibus.

Ubi Tobias junior domum rediit, rogat eum Tobias senior dicens: *Quid possumus dare viro isti sancto, qui venit tecum?* Cui Filius inquit: *Pater, quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus? Me duxit, & reduxit sanum, pecuniam a Gabelo ipse recepit, uxorem ipse me habere fecit, & Dæmonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus ejus fecit, me ipsum a devoratione*

(*a*) *Tobiæ XI.* (*b*) *Act. Apost. XII. v. 7. & seqq.*

tione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen Cæli, & bonis omnibus per eum repleti sumus. Quid igitur *illi ad hæc poterimus dignum dare? Sed peto te, pater mi, ut roges eum, si forte dignabitur medietatem de omnibus, quæ allata sunt, sibi assumere* (*a*). Hæc invicem Pater Filiusque tractabant, quando oculos suos in solum beneficium, non in benefactoris personam conjiciebant. Ceterùm ubi Angelus Domini se illis cognoscendum præbuit, & quis esset aperuit, dicens: *Ego sum Raphaël Angelus, unus ex septem, qui astamus ante Dominum* (*b*), tantus eos stupor invasit tum ex dignitate personæ, tum ex admiratione divinæ bonitatis ac providentiæ, quæ tam nova & insolita ratione illis consulere voluerat, ut in terram abjecti atque prostrati, trium horarum spatio immobiles ibidem attonitique permanserint (*c*); nec toto illius temporis intervallo vel loco moveri, vel cum domesticis loqui, vel a divinis laudibus umquam cessare potuerint.

O filii dilectissimi, & *quid condignum reddere poterimus* nos huic tantæ Dei de nobis curæ, paternæ huic ejus de nobis providentiæ? quid tantis Angelorum beneficiis, atque muneribus? Quàm turpe est ingrati animi vitium! Sed qua ratione gratiam rependere valebimus? Breviter audite, quid a nobis Angelorum Dominus requirat, quid item Sanctorum exemplis doceamur. Stupere in primis nos decet, ac attonitos reddi, singulare hoc Dei munus, summamque illius in nos dilectionem perpendentes; quòd scilicet tam propitius & dulcis Pater sit nobis, ut adeò fidos & nobiles nobis dederit custodes atque magistros.

Verùm insuper admirari debemus, ac semper habere præ oculis eximiam animæ nostræ dignitatem. Hanc enim Deus, quasi non satis fuisset ad sui imaginem atque similitudinem creasse, omniaque ei subjecisse, Angelis etiam quadam ratione superiorem effecit, dum ejus ministerio Principes nobilissimos deputavit. Num contemnenda hæc vobis videntur? Inde profectò tot enormia profluunt scelera ac tot abominationes, quia dignitatem nostram atque præstantiam non agnoscimus, quia perverso judicio ducti, unde esset humilitatis causa sumenda, gloriam captamus; unde verò sanctæ elationis tribuitur nobis occasio, id non perpendimus, propter eaque dicitur nobis: *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum* (*d*). Si Rex in agrestem quempiam hominem oculos conjiciens, in Aula sua eumdem instituendum atque educandum præcipe-

(*a*) *Tob. XII. v. 1. & seqq.* | (*b*) *Ibid. v. 15.* | (*c*) *Ibid. v. 22.* | (*d*) *Cant. Cantic. I. v. 7.*

ciperet, eique in perpetuum comitem ac magistrum deputaret, primarium Regii cubiculi Optimatem, qui illum continuò sequeretur, eique in omnibus præsto esset, necessaria omnia suppeditans: Is verò rusticus & inurbanus homo, Principe illo viro relicto, per omnem diem in plateis cum sycophantis, latrunculis, & vilissimis homuncionibus versaretur; arctissimam amicitiam cum præcipuis & intestinis Regis hostibus foveret; qua, obsecro, severitate agendum cum illo esset? Certè, ut in malam crucem abiret, permitti mereretur; e Regia domo ejiciendus foret, omnibus demum malis afficiendus. Hujusmodi sumus nos, filii, quotiescumque peccamus. Adhæremus Dæmoni, in sterquilinio peccatorum habitare volumus; & poterit Angelus Domini, omnis fæcis expers, tantaque nobilitate & excellentia præditus, inter sordes consistere? Fœtent nimis, dilectissimi, Angelicis naribus peccata nostra, obscœna verba, turpes cogitationes, enormia facinora. Agnoscamus igitur dignitatem hanc nostram, existimationis nostræ curam habeamus, nobis ipsis & honori nostro ne simus inimici; & tunc Deo, atque Angelis condignum aliquid rependere incipiemus. Alioquin divina beneficia ignorantes, ingratè nimis delinquimus, & supernæ propemodum bonitatis fontem exsiccamus; Deum enim, licèt liberalissimum, a conferendis in nos ulteriùs donis suis manum retrahere cogimus, atque ad eadem recipienda ineptos nos reddimus.

Supersunt tamen adhuc alia, quæ a nobis requirit Deus, ut Angelorum Custodum beneficentiæ respondeamus. Qua in re non tam in hoc divina benignitas mirè elucet, quòd illos magistros nobis dederit, sed etiam summus erga nos amor ostenditur, dum media quoque suggerit, quibus eorumdem gratiam inire possimus, ne infructuosa nobis sit ipsorum custodia. Inquit ergo hic benignissimus Dominus: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem paravi. Observa eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes* (*a*). Videte, quæ nobis agenda præscribat. Requirit, ut Angelum *observemus*, & revereamur, ut eum *audiamus*, *nec contemnendum* illum *putemus*. Et non immeritò quidem hæc omnia requirit; Angelus enim *nos præcedit* (ùt audivistis) & *custodit in via* hac, tot & tam variis periculis plenâ, ac demum *introducit in locum*, *quem* nobis ille *paravit*, qui nos de nihilo eduxit.

Certè

(*a*) *Exodi XXIII. v. 20. & seq.*

Certè nullus aut minimus a discipulis illis fructus esset sperandus, qui Magistri humanitate abutentes eum non observarent, nec ullo pacto timerent, nam *initium sapientiæ* procul dubio *timor est* (*a*). Revereri igitur in primis & observare Angelum debemus, ejusque vultum timere; cavere ea, quæ ab ipso videri indignum putamus, qui, cùm sit semper nobiscum, nostra omnia cogitur intueri sive bona sive mala, sive decora sive turpia, sive honesta sint sive obscœna: Et profectò indignissimum est, ut ea nos, præsentibus & inspectantibus Angelis facere præsumamus, quæ coram vilissimis homunculis peragere non auderemus. Si in conspectu gravis alicujus viri quis cavet peccatum verecundiâ ductus, quantò magis in præsentia beati Angeli, qui semper & ubique animæ, quam custodit, præsens est, turpe aliquid committendo quilibet debet erubescere? Quocirca piè monet Bernardus (*b*): *In quovis loco, in quovis angulo reverentiam exhibe Angelo tuo; ne audeas illo præsente facere, quod me vidente non auderes.* Daniel ad Angeli intuitum terrore totus repletus, de se ipso testatur, quòd *non remansit in ipso fortitudo, sed èt species ejus immutata est in eo, & emarcuit, nec habuit quidquam virium* (*c*). Id èt nos facere deberemus, præsertim verò quotiescumque Dæmonis suggestiones animum nostrum invadunt, & dicere: Ego-ne audebo coram Angelo tam nobili, qui Judicii die in me accusator ad Dominum insurget, tam fœdum scelus patrare? Ego illum ita contristabo, qui me adeò amat? Proderit vobis plurimum continua hæc Angeli ante mentis oculos salutaris præsentia, quam si qui vestrûm assequi non possunt, utpote rudiores; hi Primatem aliquem maximæ apud eos auctoritatis, quemque ipsi valde revereantur, mente concipiant; eum se a dextris semper habere fingant, tamquam diligentissimè ipsorum opera scrutantem atque inspicientem, & quod illo verè præsente patrare erubescerent, attentè caveant, ne illius oculos, quem sibi adesse effingunt, peccando feriant. Habet sanè hoc plerumque nonnullorum hominum gravitas & auctoritas, ut a malefaciendo homines retrahat; ex eorum enim oculis igneæ quædam sagittæ emittuntur, quibus impiorum etiam hominum corda ac voluntates sauciantur, ut a turpibus peragendis abstineant. Id (ut ceteros omittam) de Laurentio viro sanctissimo, Prædecessore nostro, hujus Sanctæ Ecclesiæ olim Episcopo audivimus, ex Epistola

(*a*) *Ecclesiastici I. v. 16.*
(*b*) Comment. in Psalm. *Qui habitat.*
(*c*) *Daniel. X. v. 8.*

Symmachi, ad ipsum in hæc verba transmissa: *Illa monita Discipulorum conscientiam erudiunt, quæ probantur exemplo; sine pudore invitat ad innocentiam, qui illam fuerit ipse sectatus. Te inter secreta penetralium quasi testem metuunt, qui peccare disponunt; nascentibus culpis metus & reverentia tua negat effectum, qui inter exordia occurrit vitiis, & occasionem lapsuum adimit, & concupiscentiæ purgat auctorem* (*a*).

Quòd si hominis viventis, qui peccare adhuc poterat, præsentia tantum valebat, quantæ erit efficaciæ gloriosissimi Angeli, potentissimi Principis jugis conspectus, præ mentis oculis habitus? Illum ergo *observare* debemus. Nec modò ipsum, sed in ejusdem gratiam peculiari quodam honore omnes homines quantumvis minimos, prosequi nos oportet; nam èt id in Evangelio, quod Romano Ritu in hodierno Missæ Sacrificio perlegitur, Dominus præcepit dicens: *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in Cælis semper vident faciem Patris mei, qui in Cælis est* (*b*). Quid enim est hoc aliud, quàm dicere: Cavete, ne cuipiam ullam inferatis injuriam, ne ejus Angelum offendatis, qui potens est, severam nimiùm vindictam sumere de vobis; *semper* enim *videt* Dei *faciem*, in qua omnis residet gloria & potestas. Vos illum læditis; ipse verò a Domino ultionem postulabit; eamque obtinere facilè poterit, quin aliena indigeat ope: assistit enim Solio illius Domini, qui visione sua eumdem dignum efficit, atque ideo statim exaudiet.

Alia quoque ratione Angelos nostros *observabimus* potissimùm, si nempe ita vitam instituerimus, ut ejus nos familiaritate non reddamus indignos; nam èt ideo Apostolus mulieres præcipit velato capite ingredi Ecclesiam, ob Angelorum reverentiam (*c*); neque enim virum aliquem *observare* dici ille potest, qui eo præsente turpia tractat, aut indigna committit. Sed licèt ubique observandi sint Angeli, omnique tempore, id præcipuè in oratione faciendum existimo,

(*a*) Epistola hæc inter alias Symmachi Summi Pontificis legitur in collectione Conciliorum tum Binii, tum Labbei. Papebrochius tamen, & Bollandistæ in Vita Sancti Laurentii Episcopi Mediolanensis ad diem XXVII. Julii, aliique eruditi Viri, eam rejiciunt tamquam malè adscriptam memorato Pontifici Maximo, *utpote a Symmachi stylo, ab adjunctis temporis, & a rebus Laurentianis omnino abhorrentem;* quin imo in postrema Conciliorum editione ad marginem adnotatum est, epistolam, quæ Symmacho tribuebatur, nihil aliud esse, quàm *Dictionem* tertiam ab Ennodio compositam, & traditam Stephano Viro Spectabili Vicario, dicendam in laudem Maximi Episcopi Ticinensis. Ejusdem sententiæ est etiam Syrmundus in Notis ad Ennodii opera, qui ait: *Errore manifesto ceteris Symmachi epistolis insertam hanc esse, rùm Symmacho minimè congruat, & epistola non sit, sed oratio.* Eam, uti genuinum Symmachi fœtum tueri contendit Puricellus in Vita Sancti Laurentii, sed infeliciter; validis enim argumentis refellitur (ùt diximus) a Bollandi Sectatoribus. Ætate Sancti Caroli, Epistola illa censebatur legitima.

(*b*) *Matth. XVIII. v.* 10.

(*c*) *I. ad Corinth. XI. v.* 10.

mo, ut cum Propheta dicere possimus: *In conspectu Angelorum psallam tibi (a)*; cùm præsertim, èt nos id enixè postulemus a Domino, aut pro nobis Sancta Mater Ecclesia, in quotidiano Missæ Sacrificio dicens: *Cum quibus èt nostras voces ut admitti jubeas deprecamur*. Si ergo cum illis desideramus orare, & cum illis simul exaudiri, consequens profectò est, ut eamdem integritatem & puritatem, qua illi orant, nos similiter assequi studeamus.

Observantia ista efficiet, ut Angelos quoque *audiamus*; contemnere enim quempiam quis videtur, quem loqui permittit in vacuum, ejus verba non audiens, nec quid dicat attendens. Cùm ergo (ùt supra innuimus) duo sint, qui ad animam nostram loquuntur, serpens antiquus Dæmon, & Custos noster Angelus; illum quidem ne audiamus, *aurem nostram spinis sepire (b)* debemus, ad hoc ut venenata ejus jacula minimè nos feriant, aut exitiali & pernicioso ejusdem sibilo conscientia inficiatur: Hic verò est a nobis diligenter audiendus, ejusque monitis obtemperandum; quod facere jubemur, ne frustra nos custodire videatur, ne omnes ejus labores reddamus inanes, scientes quoniam, qui ejus vocem non audiunt, æterni subjiciuntur Inferni cruciatibus; prout Generi Lot (c), qui ad Angeli vocem Sodomâ non egressi, cum Sodomitis cœlico fuerunt igne consumpti; & ejusdem Uxor, eò quòd ei minimè obediens post terga respexit, in statuam salis est immutata (d). Insipientes enim fiunt & insensati, qui Angeli sui voces non exaudiunt, & quæ ante ipsos sunt, negligentes, retrò tantùm aspiciunt. Loquetur Dæmon profana, suggeret iniqua, venenata proponet eloquia. Sed nos convertamur ad Dominum, in vanum loqui illum sinentes, & dicamus: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ùt lex tua (e)*: Diffident admodum ab eloquiis tuis *dulcioribus super mel, & favum (f)* ejus sermones. *Loquere* tu *Domine*, loquatur mihi tantùm Angelus tuus bonus, *& audiet servus tuus (g)*.

Cavendum est nobis demum, ut paucis omnia perstringam, ne *contemnendos* Angelos *putemus*; neque enim id eorum in nos collata beneficia patiuntur, neque id fert illorum singularis præstantia, & eximia naturæ nobilitas: quin potiùs omnibus illos, & unumquemque eorum (ac præsertim quilibet Custodem suum) & omnium Principem Michaëlem honoribus prosequamur. An non contemnendos putare videntur Angelos, nonne Michaëlem nobi-

(a) *Psal. CXXXVII. v. 1.*
(b) *Ecclesiastici XXVIII. v. 28.*
(c) *Genes. XIX. v. 14.*
(d) *Ibidem v. 26.*
(e) *Psalm. CXVIII. v. 85.*
(f) *Psalm. XVIII. v. 11.*
(g) *I. Regum III. v. 9.*

nobiliſſimum deſpicere, qui inſignem hanc hodiernam ſolemnitatem violant, qui omni eam religione non obſervant, qui hujus cum aliis diebus nullum exiſtimant intereſſe diſcrimen? Semel quotannis non Angeli tui Cuſtodis ſolius, verùm etiam Michaëlis, nec Michaëlis tantùm, ſed omnium inſimul celebratur Angelorum memoria (*a*), a quibus ſingulis horis atque momentis tot commoda percipis: Et ſicco pede, o Chriſtiane, diem hunc pertranſibis, ne dicam profanis tantummodo & ſervilibus negotiis conteres? Indignitas profectò eſt hæc maxima, & enorme ingrati animi vitium. Michaël Princeps Angelorum, & Eccleſiæ totius, ùt olim Synagogæ Patronus atque Protector, dignus fuit, quem in conſolatorem Chriſtus Dei Filius, in horto mœrens & contriſtatus non recuſaret: Imo vèl ſolo nomine maximam ſuì dignitatem oſtendit; ſiquidem Lucifero affectanti ſe Deo æqualem facere, obſiſtens, ac neminem Deo æquiparari poſſe inclamans, Michaëlis nomen ſortitus eſt. Ipſe pro nobis continuò cum dracone præliatur; ipſi poteſtas eſt tradita ferendarum in Cœlos animarum. Demum cum Daniele dicere poſſumus: *Nemo eſt adjutor noſter in omnibus his, niſi Michaël Princeps noſter* (*b*): Et tantæ ignaviæ, atque ingratitudinis labem non extimeſcimus?

Eja igitur, dilectiſſimi, in poſterum quanto majore poſſumus animi affectu ac religione in Michaëlem & Angelos omnes, præſertim verò ſinguli in Cuſtodes noſtros, ſimus propenſi: Ad eos ſæpe confugiamus; eorum in omnibus opem imploremus, quam nobis denegare non poſſunt, in noſtrì miniſterium deputati; illos pro nobis ad Dominum oratores mittamus, qui Dei ſemper beatiſſimam faciem intuentur. Denique ſic vivamus, ut cum ipſis Deum in æternum collaudare poſſimus. Amen.

HO-

(*a*) Antiquitus Sanctorum Angelorum Cuſtodum, atque omnium Cœleſtium Spirituum memoriam Eccleſia colebat die Feſto Dedicationis Sancti Michaelis Archangeli. Cœpit poſtmodum in aliquibus Eccleſiis celebrari ſeorſim Feſtum Angelorum Cuſtodum die I. menſis Martii, quemadmodum tradit Carolus Guyetus de Feſtis propriis Locorum, & Eccleſiarum, Libro II. cap. IV. quæſt. II. Paulus V. Pontifex Maximus primus fuit, qui, edito ſub diem XXVII. Septembris anni MDCVIII. Decreto, conceſſit fieri poſſe Officium duplex a ſe approbatum, *ad libitum Cleri*, prima die non impedita Officio novem Lectionum poſt Feſtum Dedicationis Sancti Michaelis. Anno autem MDCXXVII. Sac. Rit. Cong. in gratiam Natalis Sancti Hieronymi, diem II. Octobris ſtatuit, relicto tamen Officio *ad libitum*, ùt idem Guyetus teſtatur Libr. IV. Cap. XIII. quæſt. IV. Demum Clemens X. eidem diei, tamquam hujus Feſti proprio, Officium *de præcepto* aſſignavit. Exceptæ fuere a Sac. Rit. Cong. Eccleſiæ, Imperii Dominio ſubjectæ, quæ ex Indulto Apoſtolico recitant Officium proprium Sanctorum Angelorum Cuſtodum Dominica prima Septembris, cum Octava; ejuſque declarationem factam XXX. Septembris anno MDCLXXIX. refert Pater Cajetanus Maria Merati in Commentariis ad Gavantum Tom.II. pag.540. editionis Romanæ. Eccleſia Mediolanenſis prædictæ diei II. Octobris Sanctorum Angelorum Cuſtodum cultum & celebritatem affixit, ſub poſtremis Card. Archiep. Alphonſi Littæ annis, ideſt Anno MDCLXXI. (*b*) *Daniel. X. v. 21.*

HOMILIA LXXVII.

POST TRADITIONEM
HABITUS RELIGIOSI
SERENISSIMÆ
MARGARITÆ FARNESIÆ,
SUB NOMINE
MAURÆ LUCENIÆ
IN COENOBIO SANCTI PAULI ORDINIS SANCTI BENEDICTI

Habita Parmæ a prandio

ANNO MDLXXXIII. XVIII. OCTOBRIS (*a*).



UID quæris Filia? His verbis, dilectissimæ Animæ, sacrum matutinum hodiernum Ministerium sumus aggressi: *Quid*, inquam, *quæris* Anima benedicta, Christi pretiosissimo redempta sanguine? quid tibi vis? quid est, quod hic adeo avidè perquiris? Respondit (ùt audistis) Anima illa: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: ut videam voluptatem Domini, & visitem Templum ejus* (*b*). *Dilexi decorem domus Domini, & locum habitationis gloriæ ejus* (*c*). O felix Anima, quæ hoc unum quærit! Cur tam multa atque diversa quærat? Quærant ii, qui post Mundum euntes, quid sibi velint, ignorant. *Unum*, unum solum *est necess-*

(*a*) Cur S. Carolus iter Mediolano Parmam susceperit, ut munus istud perageret, vide Annotationem in calce hujus Homiliæ signatam (†).

(*b*) *Psalm. XXVI. v.* 4.
(*c*) *Psalm. XXV. v.* 8.

necessarium (de Maria Magdalena (*a*) fuit dictum a Christo) cetera verò nihil ad nos. Unum est cor nostrum, una anima, una voluntas; una quoque omnium hæc debet esse veluti meta ac scopus, in quem nostra omnia dirigantur studia atque desideria; nempe Deum ac cœlestia requirere.

Id autem ex Sponsæ hujus responsione vobis innotuit. Istud est, in quo animæ nostræ salus consistit, quam, qui non assequuntur, quid, quæso, eis prodest, si quæcumque Mundus dare potest assequantur? Magnum est, dilectissimæ Sorores, negotium, animæ salus, imo solum negotium; & adeò solum, ut negligenda sint cetera omnia, quæ ad id minimè tendunt, aut aliqua ratione non conducunt: *Quid enim prodest homini, si Mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur* (*b*)? Cuncta hæc brevissimo temporis spatio permanent, citissimè transeunt; moritur homo, corrumpitur caro, nudus ex hac vita egreditur, nihil secum asportat: Sola anima in æternum perdurat, & vita hæc omnis *tamquam dies hesterna* est, *quæ præteriit* (*c*), ex qua nihil in perpetuum illum æternitatis diem deferimus, nisi animæ bona. Unum ergo hoc devota Anima ista quærit, ceteris omnibus neglectis, Mundo extremum vale dicens, Mundo moriens; extitura in Mundo, ac si non esset in Mundo; jam futura in posterum nova creatura, excutiens de pedibus suis, in hoc felicissimo exitu de Ægypto, etiam pulverem Mundi; ipsum quoque, quod in Mundo retinuit (licèt sanctissimum) nomen rejiciens, ut sibi ipsi æternam comparet gloriam. O verè felices, verè prudentes Virgines (iterum dico), quæ cetera omnia nihili faciunt, huic uni intentæ negotio! Unum hoc omnes quotquot adestis, cordi infixum habere deberetis: Unum hoc omnibus nobis opus esset omni studio ac diligentia perquirere, si quantum sit probè sciremus, & rem tantì, quantì est, faceremus. Sed, cùm ignari simus & imperiti rerum æstimatores, prudentissimum illum atque sapientissimum Judicem Christum consulamus; ejus de hac re consideremus judicium, & quantì ipse has animas fecerit, perpendamus.

Ipse mercator is fuit, qui *inventa hac pretiosa margarita abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit illam* (*d*): Et unde-nam *abiit*; nisi

(*a*) *Luc. X. v.* 42.
(*b*) *Matth. XVI. v.* 26.
(*c*) *Psalm. LXXXIX. v.* 4.
(*d*) *Matth. XIII. v.* 46.

nisi *a summo Cœlo egressio ejus* (*a*), a Patris dextera, a solio majestatis, a gloria illa immensa, a qua descendit, mare hoc Mundi annos triginta tres navigaturus, ut *margaritam hanc* repериret? Hæc ovis illa est, cujus, cùm amissa fuisset, tanto cœlestis Pastor captus fuit amore, ut ceteras nonaginta novem, quasi nihili in hujus comparatione eas æstimans, reliquerit (*b*). Et quanto margaritam hanc pretio comparavit? nempe *tradidit omnia, quæ habuit*, vestes, amicos, sanguinem, vitam, se ipsum denique totum in manus peccatorum. Considerabat in horto Christus hujus Animæ pretium, ejus salutem ardentissimè cupiebat, & præ ardore ac dolore, quòd quamplures Animæ sanguinis sui fructum, propriâ culpâ, non essent percepturæ, mœrebat & tristabatur, prolixiùs orabat, & exsudans sanguineas guttas (*c*) procidebat in terram. Magnum profectò erat, Dei Filium incomprehensibilem pro hujus Animæ salute dolere: Eum, qui est lætitiæ omnis fons & principium, tristari, ac eadem quoque de causa tam prolixè Patrem orare, & in agonia fieri, quàm magni fuit amoris & desiderii indicium! Sed quid erit, sanguinem instar sudoris e toto corpore veluti torrentem copiosissimum in terram defluentem videre? Nos autem pigebit, carissimæ, a Mundo separari, religiosam vitam amplecti, pœnitentiam agere, ad modicum tristari & dolere, orare, & sudore perfundi, ut animas nostras salvemus? Nostrum est, Filiæ, negotium, non Christi; nostræ sunt animæ, de quarum salute procuranda agitur; nostra sunt, quæ nobis promissa sunt præmia; nobis, si nos ipsos neglexerimus, parata sunt æterna incendia. Quòd si nostra illum felicitas in tuto ponenda, tantum vexabat, quanta nos de nobis ipsis solicitudine debemus impelli ad ea omnia libenti animo & strenuè subeunda, quibus propositum hunc finem assequamur? Quid Salvatorem nostrum Christum ad tot peregrinationes suscipiendas urgebat, nisi salutis nostræ amor? Quid tot miracula edere suadebat, nisi idem salutis nostræ desiderium? Quid illum tam multa compulit pati, nisi hæc ipsa salutis humanæ solicitudo? Animæ nostræ salus, totum ipsius corpus flagellis subdidit, spineâ coronâ redimivit, ignominiosæ atque asperrimæ Cruci confixit. Pro eadem hominum salute Christus totum suum sanguinem fudit; quidquid in terris egit, ad

(*a*) *Psalm. XVIII. v. 7.*
(*b*) *Matth. XVIII. v. 12., & Luc. XV. v. 4.*
(*c*) *Luc. XXII. v. 43. & seq.*

ad hoc unum direxit; millies etiam, si opus fuisset, mortem subire paratus. Denique hæc unica tot itinerum & laborum, tot vigiliarum, precum, & miraculorum, tot dolorum, injuriarum & suppliciorum causa fuit & finis.

Equidem, cùm Sacratissimam Missam celebrarem, Sacri Evangelii lectio hoc ipsum mihi miro quodam modo suggerebat; quòd nempe his omnibus nondum contentus Dei Filius, non per se solum, sed per alios etiam hanc salutem operari voluerit; ideo namque *designavit èt alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem Civitatem, & locum, quò erat ipse venturus* (*a*), nimirum quia, ùt ipsemet addebat: *Messis quidem multa, operarii autem pauci* (*b*); ideo divina hominibus concessa potestas, animas ligandi atque solvendi; ideo tot instituta Sacramenta, tot media exhibita, tot proposita adjumenta. Considerabam adhuc, quantâ diligentiâ Discipulos suos, hujus missos salutis ministros, idem Dominus instrueret; & animadvertebam, hæc omnia pro animabus nostris ab earum amantissimo Sponso Christo peracta fuisse. Dulcissime Jesu, nonne, cùm illos *nec sacculum portare* volebas, *neque peram, neque calceamenta, nec* quod plus videbatur, *quemquam per viam salutare* (*c*); nonne, inquam, in ipsis, duo quæ a nobis requiris, docebas? Nonne tuas has Sponsas in hoc Sacro Monasterio animarum suarum quærentes salutem erudiebas, qualiter in hac missione, & vitæ peregrinatione sese gerere debeant? Filiæ, quæcumque humanæ infirmitati necessaria fore videbantur, Discipulis suis Dominus vetabat, quos omnibus humanis auxiliis, imo èt auxiliorum spe destitutos, in se uno suam omnem spem atque fiduciam collocare jubebat. Idcirco èt alibi sic ipsis præcipiebat: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam* (*d*). Bone Deus! & unde cibum erant empturi, pecunia omni destituti? Quomodo se a frigore defensuri, tunicis carentes? Quomodo spinarum aculeis ac duris lapidibus non feriendi, calceamenta non habentes? Quomodo se a feris, & insilientibus canibus tutaturi, non baculum aut virgam deferre permissi? Magnam profectò Deo Regum Regi infert injuriam, qui ejus addictus obsequio, ac in familiam receptus, quidquam eorum, quæ fuerint ad finem suum obtinendum

(*a*) *Luc. X. v. 1.*
(*b*) *Ibidem v. 2.*
(*c*) *Ibidem v. 4.*
(*d*) *Matth. X. v. 9. & seq.*

dum necessaria, dubitat sibi umquam defuturum; qui ab alio, quàm a Domino Deo opem implorat. Sed quid dico, ab alio? imo a Domini sui intestino & perpetuo hoste, scilicet Mundo, de quo ipsemet Dominus dixit: *Si Mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit* (*a*).

Huic sanè Domini præcepto, Apostolis atque Discipulis suis indicto altera ex parte correspondet, ac ipsum efficacissimè refert, quod omnes emittitis solemne paupertatis votum, quo sponte, vos pauperrimum Christum in paupertate rerum omnium spondetis, esse prosecuturas; quo nobilissimam & altissimam perfectionis viam nemine cogente, sed proprii arbitrii delectu amplectimini, quæ non modò ab omni terrenarum rerum cupiditate vos abstrahit, sed nec ulteriùs umquam in Mundo, aut mundanis præsidiis sperare permittit. O quàm est dives ista paupertas, quæ pro temporalibus fluxisque bonis, æternorum & cœlestium confert thesaurorum abundantiam; quæ parva terræ portione carentes, Dei spiritu replet & gloria; quæ hominibus fortè contemptibiles, sed Deo vivo & vero *nimis honorificatas* (*b*) reddit! Quàm iis est utilis, qui eam ex corde & seriò complectuntur! Sed seriò, inquam, Filiæ, vobis agenda res est: nec satis esse arbitremini, quæ majora sunt Mundi reliquisse; verùm èt minima quæque ipsius rejicite: Est enim hæc magna tentatio, quæ plerasque vestrùm facilè possit subvertere, cùm èt communia adhibentes, ex Superiorum seu Abbatissæ facultate, non iis juxta Apostoli præscriptum, hoc est *tamquam non utentes* utamini (*c*). Unde paulatim subrepit maledicta proprietas, Religionum pernicies & pestis; Votum contemnitur, Idololatriæ scelus committitur: Quidquid enim cordis, sive amoris creaturis tribuitur, id omne Deo subripitur, qui cor vestrum totum, nulla ex parte diminutum poscit. Meminisse debetis, Filiæ, vos cœlestis Patris Jacob Christi non modò Sponsas, sed Filias esse. Fuistis quandoque Filiæ Laban, Mundi idololatræ; jam egressæ estis ex Ægypto, & in Patris vestri habitationis atrium introductæ. Quid ergo vobis cum Idolis Laban, quæ majorum vobis causa persecutionum sint futura? Nihil, nihil resideat in vobis, aut in animis vestris; nec locum detis Mundo, vos persequendi, ne, cogitationibus suis vel imaginibus apud vos existentibus,

(*a*) Joann. XV. v. 18.
(*b*) Psalm. CXXXVIII. v. 17.
(*c*) I. ad Corinth. VII. v. 31.

vestras substantias perscrutaturus ad vos maledictus accedat. Quòd si humana id fragilitate efficiente, *oblivisci* penitus non potestis *populum vestrum*, *&* *domum Patris vestri* (*a*), sed mundanas vobis imagines, perennis hostis vester repræsentare non cessat; in hoc certe Rachelem imitamini: Idola subter stramenta cameli ponite, & super ea sedete (*b*). Insideat corpori animus, sensui ratio; sit sub vobis appetitus vester, frænis equum domate, ac quæcumque vobis in mentem redierint eorum, quæ in Ægypto fiunt, firmo pede conterite.

Mihi credite, Sorores, quia magna est, ùt diximus, Religionum pestis, contempta paupertas, neglecta rerum communio, retenta proprietas; anguis est, draco & coluber in sinu Monialis, quidquid illa sibi retinet proprium. Vita vestra, continua debet esse cum Mundo pugna; nullas vobis cum ipso licet inducias sancire; impia sunt quæcumque vèl minima cum ipso, ad modicum etiam tempus, fœdera contrahuntur: Adeò intestinas vos decet, & opus est cum ipso exercere inimicitias, ut delere studeatis de cordis vestri terra, omnem ejus rerumque ipsius memoriam; sed quidquid ab eo profluere potest, sublimi caritatis igne in holocaustoma Deo gratissimum, est a vobis adurendum. Appositè totum id Sacræ Literæ, Israëlitici populi exemplo nos docent. Eo autem, quid a vobis præsertim peragendum sit omni studio; quæ in transgressores sententia feratur; & quanto sit ceteris detrimento præceptorum violatio, abundè instruimur. Indixerat Dominus populo suo infensissimum contra Jericho bellum, imo èt Civitatem ipsam, ac quæcumque in ea erant, diro anathemati subjecerat; omnia ferro flammisque consumi mandaverat; non virginibus, non matribus, non senibus, non infantibus erat parcendum; imo èt per os servi sui Josue dixerat: *Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit, & ædificaverit Civitatem Jericho. In primogenito suo fundamenta illius jaciat, & in novissimo liberorum ponat portas ejus* (*c*). Quamdiu contra Jericho Hebræus populus desæviit, cuncta illis prosperè contigerunt, comitata est illos semper victoria, nihil eorum armis obstitit. Verùm unus inter ipsos Achan de tribu Juda peccavit, usurpans aliquid de anathemate; & ecce statim ob unius delictum, totus populus animo concidit, pavere cœpit, solis hostium perspectis Insi-

(*a*) *Psalm. XLIV. v.* 11.
(*b*) *Genes. XXXI. v.* 34.
(*c*) *Josue VI. v.* 26.

Insignibus terga turpiter vertit, seseque fugæ commisit vilissimæ. Videns hæc Josue turbatus est, & cum ipso *omnes senes Israël, miseruntque pulverem super capita sua: Josue verò scidit vestimenta sua, & pronus cecidit in terram* (*a*); cùmque diutius cum lacrymis & singultibus orasset ad Dominum, tandem causam mutationis hujus dexteræ excelsi, idem Dominus aperuit, & cur videretur populum suum dereliquisse his verbis indicavit: *Surge Josue, cur jaces pronus in terram? Peccavit Israël, & prævaricatus est pactum meum, tuleruntque de anathemate, & furati sunt atque mentiti, & absconderunt inter vasa sua. Nec poterit Israël stare ante hostes suos, eosque fugiet: quia pollutus est anathemate: non ero ultra vobiscum, donec conteratis eum, qui hujus sceleris reus est* (*b*). Sed quænam justitiæ leges, justissime Deus, hoc permittunt, ut propter unius delictum totus populus pereat? Cur omnes a te fuerunt derelinquendi? Mirabilia sunt, Filiæ amatissimæ, Dei judicia; & non est, qui dicere possit ei: perperam judicasti, aut cur ita factum est? Intelligite hinc, quantum afferre possit damni ceteris omnibus, Mônialis una, Dei & professionis suæ oblita. Sed quales etiam ille transgressor Achan dederit pœnas attendite: nam *ait Josue ad Achan: Fili mi da gloriam Domino Deo Israël, & confitere, atque indica mihi, quid feceris, ne abscondas. Respondìtque Achan Josue, & dixit ei: Verè ego peccavi Domino Deo Israël, & sic & sic feci. Vidi enim inter spolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum: & concupiscens abstuli, & abscondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentumque fossa humo operui. Misit ergo Josue ministros: qui currentes ad tabernaculum illius, repererunt cuncta abscondita in eodem loco, & argentum simul. Auferentesque de tentorio tulerunt ea ad Josue, & ad omnes filios Israël, projeceruntque ante Dominum. Tollens itaque Josue Achan filium Zare, argentumque & pallium, & auream regulam, filios quoque & filias ejus, boves & asinos & oves, ipsumque tabernaculum, & cunctam supellectilem: (& omnis Israël cum eo) duxerunt eos ad Vallem Achor: ubi dixit Josue: Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidavitque eum omnis Israël: & cuncta quæ illius erant, igne consumpta sunt* (*c*).

Audite & replemini terrore, Filiæ: Vos Dei populus estis; Jericho (quod Luna interpretatur) Mundus est, Lunâ ipsâ instabilior, qui *numquam in eodem statu permanet* (*d*): Adversùs Mundum vobis

(*a*) *Josue VII. v. 6.*
(*b*) *Ibidem v. 10. & seqq.*
(*c*) *Ibidem v. 19. & seqq.*
(*d*) *Job XIV. v. 2.*

vobis est quamdiu vivitis pugnandum: Væ vobis, nisi universa ejus igne consumpseritis; si quidquam quod ipsius sit, abstuleritis! anathemati quippe omnia subjecta existunt; *totus enim Mundus in maligno positus est* (*a*): Ei omnino dissimiles vos esse oportet, nihil cum illo habere commune, ne æternis vos Dominus Deus tradat incendiis; ne alicujus vestrûm delicto, totius hujus Monasterii honoris & famæ fiat jactura; ne ceteras omnes unius culpâ deserat Dominus. Una hæc ratio est & via, ut spiritu Domini impleamini, Mundi spiritu penitus exinaniri; angustum quippe animi nostri vasculum diversissimos hos duos liquores continere non valet. Estque hoc adeo seriò a vobis faciendum, ut totum in id animum intendatis; *hoc est enim*, ùt Sapiens dixit, *omnis homo* (*b*): non hominis præcipuum, sed *omnis homo*; cetera verò nihil sunt omnia. Videte autem, quàm solicitas in hac rerum omnium abdicatione vos esse oporteat.

Præcepit (quod secundo loco ab initio observandum insinuavimus) Discipulis suis Dominus Jesus, *ut neminem per viam salutarent* (*c*), imo èt aliàs per servum suum Eliseum, multò adhuc apertiùs puero illius Giezi, ad suscitandum Viduæ Filium misso, in hæc ipsa verba jussit: *Si occurrerit tibi homo, non salutes eum: & si salutaverit te quispiam, non respondeas illi* (*d*). Quantum, mi Domine, urbanitati ac bonis moribus repugnare hoc videtur, ut nec *per viam* quemquam *salutem*, nec *salutanti respondeam? Durus est* sanè tuus *hic sermo* (*e*); sed non est *durus*, Filiæ: Lege quadam naturali omnes cogimur parentes diligere, & consolari; sed ecce, dicitis, èt hoc nobis interdicitur, nec eos alloqui permittimur; imo inclusæ hìc veluti in carceribus intra fortissimos muros, intra ferreas sepes detinemur. O felices januas, Filiæ, o felices cancellos, o felicissimos muros, quæ vos Deo conjunctissimas retinent, quæ tot impedimenta a vobis avertunt! O felix necessitas, quæ vos ad Deum ire compellit! Nehemias Domino Templum cùm reædificare statuisset, jamque aggressus esset murum erigere, tentatus a multis ut ab incœpto desisteret, immotus ad eorum clamores perstitit, unica ista responsione a se illos repellens: *Opus grande ego facio, & non possum descendere* (*f*); nec minis, nec terroribus, nec importunitate umquam a proposito potuit abduci; imo hanc ob

(*a*) *I. Joann. V. v. 19.*
(*b*) *Ecclesiastes XII. v. 13.*
(*c*) *Lucæ X. v. 4.*
(*d*) *IV. Reg. IV. v. 29.*
(*e*) *Joann. VI. v. 61.*
(*f*) *II. Esdr. VI. v. 3.*

ob causam *magis confortavit manus suas* (*a*). Sed quantò *grandius* est *opus*, quod vos *facitis*, Filiæ! Certè tantò grandius, quantò præstantius, quàm ille, vos Deo Templum ædificatis. Lapideum Nehemias corruptibilemque murum extruebat; vos verò spiritualem & immarcescibilem, in quo Dei conditoris vestri elucet imago: Huic ergo fabricæ solùm intentæ esse debetis, nec ab ea non modò ullatenus recedere, sed ne ad terrena quidem respicere; inficiunt siquidem solo aspectu suo, veluti basiliscus (ùt ajunt) atque ex eorum tantùm intuitu maximum imminet periculum. An Uxoris Lot estis oblitæ? Quid illa sceleris commisit, quid mali perpetravit? Retro solùm aspexit, & continuò in statuam est salis conversa (*b*). Mementote frequenter terribilium illorum Domini verborum: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & aspiciens retro, aptus est Regno Dei* (*c*). Non dixit, desinens arare, aut pejus quidpiam, sed tantùm *retro aspiciens;* nam ne minimum quidem temporis momentum fluit, quod Deo non debeatis: in eum oculos vestros jugiter oportet esse conjectos. Estis quidem *in atriis domus Domini* (*d*), & plurima habetis ad animas vestras salvandas adjumenta; sed quò iis majoribus abundatis, eò etiam ferventiùs vires suas omnes adversarius vester Diabolus intendit, ut vos, si possit, seducat, ut a Deo retrahat, ut secum præcipites trahat; idcirco *vereri* debetis *omnia opera vestra* (*e*), & semper *cum metu, & tremore vestram operari salutem* (*f*). Quid peccaverat Joannes Baptista, in Matris utero, sanctificante gratia donatus; ad tam nobile munus delectus, ut Christi Domini esset præcursor? Et tamen vix quinque annos natus in vastissimam se abdidit solitudinem, in eàque triginta annos permansit, in se adeo crudelis & rigidus. Benedictus Patriarcha Sanctissimus, vestri hujus Instituti Auctor & Patronus, tot annos in spelunca delituit, tam multimodè se ipsum afflixit; adeò erat Mundi oblitus, ut nec Paschatis esse diem sciret, cùm a Romano Monacho ad cibum capiendum suaderetur. Et erit-ne vestrûm aliqua adeo perniciosè curiosa, ut nihil fieri in Civitate, nullum ad hanc accedere, nihil novi contingere patiatur, quod statim rescire non curet, ac si nullum, præter clausuram, esset inter Monasterium & publicam plateam discrimen? Agnoscite, Filiæ, vocationem vestram, & Deo perpetuas gratias agite; studete, *ne in*

vacuum

(*a*) *II. Esdr. VI. v. 9.*
(*b*) *Genes. XIX. v. 26.*
(*c*) *Lucæ IX. v. 62.*
(*d*) *Psalm. CXXXIII. v. 1.*
(*e*) *Job IX. v. 28.*
(*f*) *Ad Philippens. II. v. 12.*

vacuum gratiam Dei recipiatis (*a*), ne quò majora hìc munera acceperitis, eò majora postmodum, & graviora pati tormenta cogamini. Precor Deum Optimum Maximum, & gloriosum Patrem vestrum Benedictum; Vas quoque electionis Paulum, cui vestra hæc dicata est Ecclesia; Sanctissimum etiam Lucam (cujus hodie solemnitatem celebramus) Pauli socium ac ejusdem ore commendatum, ut impetrent hi vobis a Domino lumen & agnitionem, ut percipiatis, quàm sit tutus portus Religio, quàm periculosum mare Mundus, & quantum Domino debeatis pro sua in vos benignitate; ut hæc omnia intelligentes, ex atrio, in quo consistitis, introduci mereamini a Sponso vestro *in cellam vinariam* (*b*), ubi *inebriemini ab ubertate domus ejus* (*c*); & Agnum Sponsum vestrum sequentes *hymnum novum* perpetuò *Domino canatis* (*d*). Amen.

HO-

(*a*) *II. ad Corinth. VI. v.* 1.
(*b*) *Cant. Cantic. II. v.* 4.
(*c*) *Psalm. XXXV. v.* 9.
(*d*) *Judith. XVI. v.* 15.

(†) Matrimonium inierat Margarita Farnesia, Alexandri Ducis Parmæ filia, cum Vincentio Gonzaga Principe Mantuæ anno MDLXXXII. Sed cùm proprio impedimento arceretur ab usu ejusdem, adhibitis probationibus, quas Sacri præscribunt Canones, Apostolica auctoritate missus est a Gregorio XIII. Summo Pontifice Mantuam Sanctus Carolus Borromeus, ut illud dissolveret. Quo peracto, a Ranucio Farnesio Margaritæ fratre, reducta est ad Urbem Parmensem, quemadmodum narrat Scipio Agnellus Maffeus in Annalibus Mantuæ ad annum memoratum. Interim consilium cepere Farnesiani Priocipes, eamdem Mediolanum dirigere, ut in aliquo Metropolis nostræ sanctiori Cœnobio moram duceret, donec controversiæ de Dote cum Sponso Vincentio amicè componerentur. Itaque Sanctus Carolus, de hoc ab ipsis rogatus, domicilium Margaritæ præbuit in Asceterio Monialium Sancti Pauli, quas ipse in deliciis habebat, utpote sicuti nomine, ita moribus Angelicam vitam Mediolani ducentes; illudque ingressa est Margarita anno MDLXXXIII. Sæpius illuc se conferre consueverat Sanctus Antistes, Sermones eos habiturus, qui editi sunt Patavii anno MDCCXX. Eorum duodecim recitatos fuisse, Farnesia præsente, adnotavit pag. 24. Angelica Agatha Sfondrata, quæ omnes excepit ab ore Sancti Caroli, ac privatim descripsit. Postremus ex illis fuit, qui pag. 99. editus est ibidem, in discessu Margaritæ Principis ab eo Cœnobio die XIII. Septembris. Inter Moniales illas moram traxisse Margaritam ferme per annum tradit Pater Franciscus Aloysius Barelli Tom. I. Libr. VI. Cap. V. Memoriarum Congregationis Sancti Pauli; verùm ex Archivo earumdem constat, nonnisi per quinque menses contubernium apud eas habuisse hanc Principem fœminam; idque etiam colligitur ex dictis Sermonibus superiùs memoratis, quos, teste Sfondrata, audivit Margarita dum ibi degeret, a mense Maji, usque ad Septembrem. Alterum etiam mendum irrepsit in Barelli Librum; nam ille subjungit, Monasticam vitam initam fuisse a Margarita in Monasterio Sancti Alexandri Parmæ, Ordinis Sancti Benedicti, cùm revera in altero ejusdem Urbis Cœnobio, nempe Sancti Pauli, Religionis habitum induerit; ùt manifestè docet præsens Sermo Sancti Caroli, qui eamdem Sacris indumentis operuit, ac Deo dicavit; & clariùs etiam patet ex sequenti formula Professionis, quam ibi edidit his verbis: „ Ego Maura Lu„ cenia Farnesia promitto stabilitatem meam, „ conversionem morum meorum, & obedien„ tiam coram Deo, & omnibus Sanctis, secun„ dùm Regulam Sancti Benedicti, in Monaste„ rio Sancti Pauli Apostoli Parmæ, in mani„ bus Reverendæ Dominæ Dominæ Blancæ „ Cantonæ Dei gratià Abbatissæ dicti Monas„ terii; & hoc in præsentia Illustrissimi & „ Reverendissimi in Christo Patris, & Domi„ ni, Domini Caroli Borromei Sanctæ Roma„ næ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis, Dei & „ Apostolicæ Sedis gratià Archiepiscopi Me„ diolani, & in hac parte Delegati Apostolici, „ & omnium circumstantium. Anno millesi„ mo quingeotesimo octuagesimo tertio, men„ se Octobris.

HOMILIA LXXVIII.

IN PROFESSIONE

AD MONASTICAM VITAM

DOMINÆ

MAURÆ LUCENIÆ

FARNESIÆ

IN COENOBIO SANCTI PAULI ORDINIS SANCTI BENEDICTI

Habita Parmæ (a)

ANNO MDLXXXIII. XXX. OCTOBRIS.



Eus Optimus Maximus (dilectissimæ Filiæ, vosque Auditores) qui infirmitatis nostræ summam novit inopiam, cuique probè manifestum est atque perspectum, quàm parum possimus ejus in nos continuò collatis immensis rependere muneribus, id a nobis exigit, quod nostræ, licèt exiguæ, vires assequi valent ; præsertim verò grati animi significationem, quam verbis & operibus, quatenus possumus, ostendamus. Idcirco populo suo prædilecto sic præcipiebat: *Cùm intraveris terram, quam Dominus Deus tuus tibi daturus est possidendam, & obtinueris eam, atque habitaveris in ea, tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo* (quod sportam, sive canistrum signabat), *pergesque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus: accedesque ad Sacerdotem, qui fuerit in diebus illis, & dices ad eum: Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quòd ingressus sum in terram, pro qua juravit Patribus nostris, ut daret eam nobis. Suscipiensque Sacerdos cartallum*

(a) De tam brevi religiosæ probationis tempore, vide Annotationem in calce signatam (†).

tallum de manu tua, ponet ante Altare Domini Dei tui (*a*). Cur verò hoc grati animi signum requireret Dominus, audite; &, post gratitudinem facto comprobatam, attendite, quomodo eamdem confirmandam verbo & muneris accepti confessione præceperit; prosequitur enim: *Et loqueris in conspectu Domini Dei tui: Syrus persequebatur patrem meum, qui descendit in Ægyptum, & ibi peregrinatus est in paucissimo numero, crevitque in gentem magnam, ac robustam, & infinitæ multitudinis, afflixeruntque nos Ægyptii, & persecuti sunt, imponentes onera gravissima: Et clamavimus ad Dominum Deum Patrum nostrorum, qui exaudivit nos, & respexit humilitatem nostram, & laborem atque angustiam: & eduxit nos de Ægypto in manu forti, & brachio extento, in ingenti pavore, in signis atque portentis. Et introduxit ad locum istum, & tradidit nobis terram lacte & melle manantem. Et idcirco nunc offero primitias frugum terræ, quam Dominus dedit mihi* (*b*). Hoc totum singulari Dei beneficio, ingenti nostra cum lætitia viderunt hodie oculi nostri. Locutus est hodie ad cor animæ hujus, quam sibi *elegit in populum* (*c*), ut sit ipse ei Deus in perpetuum; nec in vanum locutus est, nam dicenti obtemperavit ipsa continuò. *Beata, quæ audivit verbum Dei* (*d*)! *Descenderat* ipsa *in Ægyptum*, nempe in seculum; *Syrus* eam, idest Mundus, suis solitis technis atque fallaciis *persequi* cœperat; Principatum obtulerat; honores pollicebatur ingentes, immensas opes, deliciarum copiam, voluptates innumeras (o quales Syri lanceæ, quales hastæ Goliath ferro armatæ!): Sed placuit Altissimo eam in *terram* Promissionis educere, bonorum operum *lacte*, & sanctæ contemplationis *melle manantem*. *Clamavit ad Dominum Deum, qui exaudivit eam, & respexit humilitatem ejus, & laborem atque angustiam, eduxitque eam de Ægypto in manu* verè *forti, & brachio extento*. Neque enim nisi *dexteræ excelsi hæc tanta mutatio* (*e*); imo èt *in ingenti pavore, in signis atque portentis*; quando eam tam inusitata ratione, tam novo modo ad se vocavit. Verè felix Filia, quæ vocanti respondit, quæ trahenti consensit, quæ educentem secuta est, & tanti non ignara beneficii, mihi hodie indigno Domini *Sacerdoti in cartallo* corporis sui, *frugum primitias*, virginitatis, obedientiæ, & paupertatis tria dona sanctissima, Deo tradidit offerenda in Ecclesia hac, *quam Dominus Deus suus sibi elegit, ut* in ea *invocetur nomen ejus*. Professa est hilari voce & corde, se

(*a*) *Deuteron. XXVI. v.* 1. *& seqq.*
(*b*) *Ibid. v.* 5. *& seqq.*
(*c*) *Ibid. v.* 18.
(*d*) *Lucæ XI. v.* 28.
(*e*) *Psalm. LXXVI. v.* 11.

se de Babylone egressam, terram intrasse Chanaan, in eaque velle, quamdiu vixerit, persistere, propositamque sibi Sanctissimi Patris Benedicti Regulam sequi. *Beata es*, Filia, *quia caro, & sanguis non revelavit* hæc *tibi*, *sed. Pater noster*, *qui in Cœlis est* (*a*)! Verùm aspera te manent certamina; *militia* enim perpetua *est* Christiani *hominis vita*. Sed erit tibi acrior, quàm ceteris, pugna, quæ interiorem es cœlestis Sponsi thalamum ingressa. Habebis tecum semper, cui contradicas; multa tibi vèl in ipsis sese offerent initiis, quæ difficile & arduum reddent hoc a te propositum sanctæ Religionis Institutum. Cave tamen, ne quod Israëlitico Populo (cui te quoad ingressum promissæ Terræ similem dixi) accidit, tibi quoque contingat. Profectus Populus ille de Haseroth, tentoria fixit in deserto Pharan, jussuque Domini misit Moyses exploratores, qui considerarent totam terram Chanaan: Isti post quadraginta dies reversi, *ostenderunt fructus terræ*, *& narraverunt dicentes*: *Venimus in terram*, *ad quam misisti nos*, *quæ revera fluit lacte & melle*, *ùt ex his fructibus cognosci potest*: *Sed cultores fortissimos habet*, *& urbes grandes atque muratas*. *Stirpem Enac vidimus ibi*. *Amalech habitat in meridie*, *Hethæus*, *& Jebusæus*, *& Amorrhæus in montanis*: *Chananæus vero moratur juxta mare*, *& circa fluenta Jordanis*. *Inter hæc Caleb compescens murmur populi*, *qui oriebatur contra Moysen*, *ait*: *Ascendamus*, *& possideamus Terram*, *quoniam poterimus obtinere eam*. *Alii verò*, *qui fuerant cum eo*, *dicebant*: *Nequaquam ad hunc Populum valemus ascendere*, *quia fortior nobis est*. *Detraxeruntque Terræ*, *quam inspexerant*, *apud filios Israël*, *dicentes*: *Terra*, *quam lustravimus*, *devorat habitatores suos*: *populus*, *quem aspeximus*, *proceræ staturæ est*. *Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo*: *quibus comparati*, *quasi locustæ videbamur* (*b*). Unde flere & murmurare cœpit Turba, & dicere: *Utinam mortui essemus in Ægypto*, *& in hac vasta solitudine utinam pereamus* (*c*)!

Constas animâ & corpore, spiritu & carne, dilectissima in Domino, hodie Christo desponsata: utramque tuì partem ei devovisti; utràque ad portum Religionis appulisti, ad *Terram* hanc *lacte & melle manantem*. Libet nunc mihi utramque alloqui, ab utraque perquirere, quid de Civitate hac munitissima referat? Sit in te spiritus *Caleb*; obmurmurabit fortasse caro tua, non secus ac Israëlitica Turba; contrariatur quippe semper spiritui caro (*d*).

 Eja

(*a*) *Matth. XVI. v.* 17.
(*b*) *Numer. XIII. v.* 27. *& seqq.*
(*c*) *Ibidem XIV. v.* 3.
(*d*) *Ad Galat. V. v.* 17.

Eja ergo loquere, o caro, de Monasterio quid sentias? Considerasti-ne terræ hujus fructus uberrimos? Jam te audio respondentem: præstantissimi quidem sunt atque pulcherrimi fructus, quos ego vix degusto; sed heu! quia mœnibus stipatæ sunt Civitates in Regione hac, occlusæ januæ, clathris munitæ fenestræ, ferro & muris omnia undequaque circumsepta. Quæ ego sum, ut *adversùs Gigantes fortissimos*, terrenarum rerum appetitus possim *ascendere?* Qualia *monstra* sunt atque prodigia, semetipsam abnegare; abrenunciare parentibus, nobilitati, opibus, Mundo; libertate dulcissima se ipsam privare! *Utinam*, utinam *in Ægypto potius mortua fuissem, & non in vasta hac solitudine!* Sed me miseram! quia, cùm pretiosas hactenus vestes induerim, variis Indiæ coloribus tinctas, & voluptatibus omnibus diffluxerim, jam nigra sum habitu, ac tota decolorata; nil nisi squallidum atque horridum, quò me cumque verto, intueor. Ubi nunc antiquus & pristinus servorum & ancillarum, quibus circumcingebar, comitatus, ubi concentus, ubi cantus, ubi harmoniæ, ubi exquisitissimi cibi, ubi stragulatæ vestes atque purpureæ? Jam his omnibus careo; nil nisi pœnitentia, nisi carnis afflictiones, nisi fletus & suspiria hic audiuntur. Heu, quia vivens sum mortua! Ætatis meæ florem ipsa mihi ademi. Annon èt in Mundo salutem consequi potuissem? Numquid solis Monialibus paratum est Cœlum? Poteram illic ego honestis voluptatibus vacare, & a terrenis oblectamentis non immodicè susceptis, ad æternas transire delicias.

Stulta & insipiens Ancilla, quæ Animæ dominæ tuæ semper paras interitum: insipiens jumentum, caduca dumtaxat semper aspiciens: *Vade post me Satana, quia non sapis ea, quæ Dei sunt* (a). Ergo-ne mori Mundo, & Deo vivere, tu mortem putas; & non potius felicissimam vitam? Ergo-ne malè consumptum ætatis tuæ florem existimas, quem Regum Regi pulcherrimo *præ filiis hominum* (b), Sponso tuo Christo devovisti? Ignoras-ne igitur, quantò sit tutius, in portu consistere, prout Monialium & Religiosàm Regulam profitentium sors felix est, quàm perpetuis Mundi fluctibus jactari? Jam te (quod sciebam) novi indignam, quæ audiaris. Ut ergo meliora discas, sermonem meum aliò convertam.

Audisti Anima benedicta, quid insipiens Ancilla tua dixerit? quale cæca de coloribus tulerit judicium? Sed quid, obsecro,

(a) *Matth. XVI. v. 23.* | (b) *Psalm. XLIV. v. 3.*

fecro, de terra hac, quam es ingressa, tibi videtur? Imitare *Caleb*, cui te similem feci; tumultuantis turbæ murmurationes *compesce*, & liberè profer, quid sentias. Audite omnes, quotquot adestis, ipsam, vel in ipsa potiùs Spiritum Sanctum loquentem, ejusque labia dirigentem & verba: *Nigra sum* quidem exteriùs, *sed formosa* (*a*) admodum interiùs. Quid Mundi libertas, nisi dira peccati servitus est? Quid Mundus, nisi sævum *Ægyptiorum ergastulum*, *unde me Dominus est dignatus educere* (*b*)? Quid, inquam, Mundus est, nisi *campus in terra Sennaar* (*c*), in quo miseri mortales Civitates designant extruere & turres, quarum culmen ad Cœlum pertingat, & mira semper confusione replentur? Quid Mundus nisi *campus Dura* (*d*), in quo infelicissimi homines, Nabuchodonosor superbissimum sequentes, aureas sibi statuas confingunt, ac pro Diis haberi volunt? Annon *campus est ossibus plenus* (*e*) aridissimis, omni divinæ gratiæ vigore carentibus? Hic terra est confusionis, hic Ægyptus, hic Babylon. Quid aliud est, homines Christi redemptos sanguine, Mundum ejusque pompas amplexari, nisi eos, *qui vescebantur voluptuosè*, *interire in viis*, *& qui nutriebantur in croceis*, *amplexari stercora* (*f*)? Infelicissimi mortales, ad Cœlorum Regnum possidendum creati, ad Dei ipsius imaginem formati, sese ita dejiciunt, ut siliquis velint satiari porcorum! Poteстne Mundus veros honores tribuere, cùm nihil aliud sint, quàm *currus Pharaonis*, quos cum ipso *mergit Dominus in maris profundum* (*g*)? Ejus verò gloria & splendor, fœno similis, quàm appositè a beato Job, pulchritudo stulti appellatur, & maledicitur! *Ego*, inquit, *vidi stultum firma radice*, nempe mundanum, *& maledixi pulchritudini ejus statim* (*h*).

Proponit quidem falsas nescio quas Mundus voluptates, sed hamus sunt latens in cibo, & nil aliud nisi lentis edulium, quo cœlestia primogenita plurimi faciunt venalia (*i*). Quàm lethalia, sub illis veluti melle delinitis poculis, exhibet venena! Sunt profectò omnes Mundi jucunditates ac solatia, Philisthinorum cœnæ simillima: Epulabantur illi atque inebriabantur, concussit Samson (*k*) domûs columnam, corruit domus, contriti sunt omnes edentes ac bibentes; anima verò eorum detrusa est in

(*a*) *Cant. Cantic. I. v. 4.*
(*b*) *Exod. VI. v. 6.*
(*c*) *Genes. XI. v. 2.*
(*d*) *Daniel. III. v. 1.*
(*e*) *Ezechiel. XXXVII. v. 1.*
(*f*) *Thren. IV. v. 5.*
(*g*) *Exod. XV. v. 4.*
(*h*) *Job V. v. 3.*
(*i*) *Genes. XXV. v. 29. & seqq.*
(*k*) *Judic. XVI. v. 29. & seqq.*

in infernum, omnis quippe Mundi *risus dolore miscebitur*, *& extrema gaudii luctus occupat* (*a*). Præterquamquod qui Mundi oblectamenta sectantur, fluctibus maris assimilantur; in continuo enim motu & agitatione versantur: nusquam apud ipsos pax, nusquam quies, nusquam tuta conscientia; semper *timore trepidant* etiam, *ubi non est timor* (*b*), dum suas spes omnes quotidie irritas fieri animadvertunt. Nec mirum; super arenam enim fundatæ, nulla stabili firmitate consistunt: Mundus, ac quæcumque in eo magni fiunt, & quibus, veluti robustis arboribus, innituntur homines, arundo sunt; confringitur arundo, & qui ei adhærebant corruunt, ac manus sæpe sibi perfodiunt. Heu, quàm perfidus proditor est Mundus! Non blanditur nisi ut juguletur, non pascit nisi ut veneno inficiat; in calamitatibus verò nullum præstare habet auxilium, cùm sit diviti illi maligno similis, de quo in Ecclesiastico dicitur: *Si largitus fueris, assumet te: & si non habueris, derelinquet te. Si habes, convivet tecum, & evacuabit te, & ipse non dolebit super te. Si necessarius illi fueris, supplantabit te, & subridens spem dabit, narrans tibi bona, & dicet: Quid opus est tibi? Et confundet te in cibis suis, donec te exinaniat bis, & ter: & in novissimo deridebit te, & caput suum movebit ad te* (*c*). Quis durior dominus Mundo, imo potiùs tyrannus in servos suos? Quomodo cum illis agat, audite. Persequens David Amalecitas, socii ejus *invenerunt virum Ægyptium in agro, & adduxerunt eum ad David: dederuntque ei panem ut comederet, & biberet aquam, sed & fragmen massæ caricarum, & duas ligaturas uvæ passæ. Quæ cùm comedisset, reversus est spiritus ejus, & refocillatus est: non enim comederat panem, neque biberat aquam tribus diebus, & tribus noctibus. Dixit itaque ei David: Cujus es tu? vel unde? & quò pergis? Qui ait: Puer Ægyptius ego sum, servus viri Amalecitæ: dereliquit autem me Dominus meus, quia ægrotare cœpi nudiustertius* (*d*). O miseri, qui Mundum sequuntur, vix *ægrotare incipiunt*; vix sinistri eis aliquid accidit; vix in tenuem fortunam rediguntur; & statim ab eo penitus *derelinquuntur*, & fame ac siti interire coguntur; nihil enim eorum, quæ adeò largè pollicitus fuerat, retribuit, nec quod retribuat habet; siquidem famem nostram minimè satiant ejusdem cibi. Quis vento aut aëre valeat esuriem explere? Solidis, solidis egemus dapibus, quales ipse nullatenus tenet. Sed neque

(*a*) *Proverbior. XIV. v.* 13.
(*b*) *Psalm. XIII. v.* 5.
(*c*) *Ecclesiastici XIII. v.* 5. *& seqq.*
(*d*) *I. Reg. XXX. v.* 11. *& seqq.*

neque falsa quæ habet, cùm opus est, communicat, imo ùt impius ille Amalecites, miseros quos decepit, *in agro* ægrotos relinquit. Si autem solùm relinqueret, reputari parum id posset: Quod pejus est, animas quoque, cùm secum fornicatæ fuerint, nudas derelinquit, & confusione repletas. Porrò hoc ipsum longè antea comminatus est Dominus, dicens: *Et dabo te in manus amatorum tuorum, & destruent lupanar tuum: & demolientur prostibulum tuum: & denudabunt te vestimentis tuis, & auferent vasa decoris tui: & derelinquent te nudam, plenamque ignominiâ* (*a*).

Quid ergo mihi cum Mundo? quid cum mundanis omnibus (ait hæc filia)? Egressa sum de Jericho, nec illuc umquam amplius me conferam; domum sum libertatis ingressa, numquam me in posterum miseræ illius tyrannidi subjiciam. *Sustollar* jam *super altitudines terræ* (*b*), nec me ampliùs jumentorum more in terra vivere Mundus compellet. Volucri, quæ Paradisi appellatur, similis fiam, in altis semper degens, nec umquam ad inferiora descendens. O felicissimi, qui sic Mundum contemnunt! Verè *Dii fortes terræ vehementer elevati sunt* (*c*). Verus iste Mundi contemptus, suavissima est voluptas ac deliciæ, quibus affluit Sponsa, cùm innititur super dilectum (*d*), adeò ut nulla exterior delectatio possit ei aliquatenus sapere, nec aliqua hujus Mundi gloria quidquam consolationis afferre; cùm sincerè profiteatur & dicat: *Renuit consolari anima mea*, [eò quòd veraciter sentiat, & pro certo definiat, quòd *omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, quasi flos agri* (*e*)]: *Memor fui Dei, & tunc delectata sum* (*f*); in ipso mihi veræ deliciæ, firma spes, solidæ consolationes, indeficientes jucunditates. Non me Deus, veluti Amalecitæ illi contigit, in ægritudine derelinquet; sed *mecum erit in tribulatione, eripiet me, & glorificabit me* (*g*).

O quàm liberalis retributor est Dominus iis, qui pro suî amore Mundum contemnunt; quàm magna pro minimis reddit! Nos terram despicimus, ipse Cœlum retribuit; nos Mundum negligimus, ipse in domo gloriæ suæ nos excipit: Et id potissimum promisit nobis, qui mundana cuncta neglexim us, dicens: *Et non dicat filius advenæ, qui adhæret Domino, dicens: Separatione dividet me Dominus a Populo suo: Et non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum*

(*a*) Ezechiel. XVI. v. 39.
(*b*) Isaiæ LVIII. v. 14.
(*c*) Psalm. XLVI. v. 10.
(*d*) Cant. Cantic. VIII. v. 5.
(*e*) Isaiæ XL. v. 6.
(*f*) Psalm. LXXVI. v. 3. & seq.
(*g*) Psalm. XC. v. 15.

gnum aridum : Quia hæc dicit Dominus Eunuchis : Qui custodierint Sabbata mea , & elegerint quæ ego volui , & tenuerint fœdus meum : Dabo eis in domo mea , & in muris meis locum , & nomen melius a filiis & filiabus : nomen sempiternum dabo eis , quod non peribit (*a*). Magnum profectò fœnus exerceo cum Deo, cui tam parva obtuli, ut immensa recipiam! Nec de æternis aut spiritualibus loquor dumtaxat, sed de externis etiam atque corporeis commodis; procul enim hinc mundanæ illæ solicitudines, procul hinc curæ, procul angustiæ; nihil me angit extrinsecùs, aut intrinsecùs, sed perpetuâ, si velim, potero animi tranquillitate recreari.

Mihi credite, dilectissimæ Filiæ quotquot hìc estis, quia licèt nigræ sitis habitu externo, prævalet tamen in vobis forma interior Deo unicè grata, exteriori nigredini: imo èt hæc ipsa nigredo cedit in maximum decorem; potest enim quælibet vestrùm nobis dicere: *Nolite me considerare, quòd fusca sim, quia decoloravit me Sol* (*b*). Et qui Sol, nisi Justitiæ, qui suis vos radiis ignitis sic coram oculis nostris decoloravit? Quàm felix est hæc decoloratio! Nos peccatis nostris millies Solem hunc decoloravimus; ipse sua vos dilectione reddidit fuscas. Mortificatio sanctissima, quæ corpora vestra, veluti domos quasdam eburneas efficit, quæ Chananæum Dæmonem docet subvertere, quæ, licèt vos corpore debilitet, spiritum tamen corroborat, & summo illi Patriarchæ Jacob non dissimiles constituit, qui cum Angelo luctans, licèt claudicare compulsus sit (*c*), ab eo tamen victor evasit. Non ita sunt corporeis auribus gratæ citharœdorum optimè simul consonantium harmoniæ, non adeò suavis odor reperitur, cui comparari possit castigata caro, & mortificatum corpus in conspectu altissimi Sponsi vestri.

Sunt quidem Monasteria solitudines, a cœtibus iniquorum sejunctæ; sed o desiderabiles solitudines! Quanti eas faciebat Jeremias, cùm diceret: *Quis dabit me in solitudine diversorium viatorum, & derelinquam Populum meum, & recedam ab eis? quia omnes adulteri sunt, cœtus prævaricatorum* (*d*). Mundum, nec quæ in eo fiunt, videtis; sed quid hoc est, nisi non videre causam fletûs & lacrymarum; cùm *totus in maligno positus sit* (*e*), & nihil in eo, nisi concupiscentia carnis, aut oculorum, & vitæ superbia existat

(*a*) *Isaiæ LVI. v.* 3. *& seqq.*
(*b*) *Cant. Cantic. I. v.* 5.
(*c*) *Genes. XXXII. v.* 31.
(*d*) *Jerem. IX. v.* 2.
(*e*) *I. Joan. V. v.* 19.

ſtat (*a*)? Extra Mundum eſtis: ſed hoc eſt ſtare extra atrium Principis, intra quod ter Chriſtum Dominum Petrus negavit, extra quod verò admiſſum ſcelus amariſſimè flevit. Quis pœnitentiæ aptior locus hac ſolitudine? ubi faciliùs Cœlum emitur, quàm in hac ſolitudine? O ſolitudo ſanctiſſima! (ſi tamen ſolitudo dicenda eſt, in qua cum Angelis Sanctis, Angelicam vos vitam ducentes continuò verſamini). Non adeò candidum lac eſt, non adeò ſplendens aurum, ùt erunt immaculata & caſta corpora veſtra in generali Reſurrectione. Deſunt quidem hìc vobis aliqua, quæ mundanos homines conſolari videntur; ſed quantum ſupereffluunt & ſuperabundant divinæ conſolationes, quarum minima quælibet, maximis his omnibus, ſine comparatione præſtat! Monſtra quidem videntur atque gigantes, quæ vobis ſervanda hìc præcipiuntur; ſed quàm magnâ vos Dominus replet fortitudine ac vi, ad ea opere complenda! Neque enim quidquam ipſe præcipit, quin vires ſtatim addat ad id perficiendum: *Jugum* quidem videtur, ſed *ſuave eſt: onus* quidem, *ſed leve* (*b*).

Et quid vos eſtis, mortificationem Domini Jeſu in corpore veſtro circumferentes, niſi ferculum, aut vehiculum (*c*) Salomonis cœleſtis Chriſti; de lignis quidem Libani conſtructum exteriùs, hoc eſt de membris mortificatione dolatis, ſed interiùs columnis argenteis, vitæ ſcilicet candore atque munditia fulcitum, & aureum totum, nempe eâ caritate ſanctiſſima conſtratum, quæ *aurum* illud *ignitum* eſt, quod *ſuadet emere Dominus* (*d*)? O ſi vos ipſas noſſetis, quàm de hoc veſtro ſtatu gloriaremini, utpote quæ Chriſti Sponſi veſtri thalamos, vehicula, reclinatoria, Filias, Sponſas vos eſſe animadverteretis; in æternum verò Agni immaculati perpetuas comites futuras certò ſciretis! Vos enim eritis, *quæ agnum ſequimini quòcunque ierit* (*e*). Eſtis denique *manna abſconditum*, *quod nemo ſcit*, *niſi qui accipit* (*f*): Dei *theſaurus* reconditus *in fictilibus* his *vaſis* (*g*); *nigræ* (ut finem faciam) *ſed formoſæ* (*h*), eâ ſcilicet pulchritudine, quam Sponſi veſtri oculi intuentur, nempe interiori: *Omnis* quippe *gloria Filiæ Regis ab intus* (*i*).

Quæ cùm ita ſe habeant, atque omnia, quæ erga vos, & extra

(*a*) *I. Joan. II. v.* 16.
(*b*) *Matth. XI. v.* 29.
(*c*) *Cant. Cantic. III. v.* 9. & 10.
(*d*) *Apocalypſ. III. v.* 18.
(*e*) *Ibid. XIV. v.* 4.
(*f*) *Ibidem II. v.* 17.
(*g*) *II. ad Corinth. IV. v.* 7.
(*h*) *Cant. Cantic. I. v.* 5.
(*i*) *Pſalm. XLIV. v.* 14.

extra ac intra vos ſunt, Dei ſint ac Deum ipſum referant, nec quidquam de veſtro ſibi Mundus uſurpare poſſit; obedite, Filiæ, Domino, vobis hodie dicenti: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo* (*a*); & quando nihil in vobis eſt Cæſaris, Deo omnia reddite; nihil niſi Deum cogitate, nihil præter Deum ſapite, neminem niſi Deum amate.

Sed totus hic ſermo ad Virgines directus, numquid non ad vos quoque, filii, aliqua ex parte ſpectat? Imo maximè; & ſi vèl hoc unum domum adferatis, idque veluti *munda animalia*, mente *ruminetis* (*b*), plurimum eritis aſſecuti, ut nempe juſtitiam facientes, & ſuum cuique dantes, Principi quidem ſeculari, quod illius eſt, reddatis, non tamen ob ipſum, ſuo Deum fraudetis obſequio. Eſtis Dei imagine inſigniti, Anima immortali donati; *cujus*, cujus *eſt imago hæc*, *& ſuprascriptio* (*c*)? Nonne Dei? Cur ergo eam Deo tollitis, ut Cæſari tradatis? Deus Cæſari permittit ſolvi tributum; & Cæſar impediet, vos Deo, quod ſuum eſt, reddere? Abſit, hoc cogitare; neque enim ullus eſt vobis excuſationis locus, quin etiam vos ſalutem veſtram operari poſſitis, Principi ſeculari debitum præſtantes obſequium, & Deo, ùt par eſt, in omnibus ſervientes: nam èt hoc ipſum, quod Cæſari præſtatis, ſi *non ad oculum* (*d*), ſed in Domino faciatis, eidem ipſi Deo præſtatis.

Faxit Deus Optimus Maximus, ut quamdiu omnes vivimus, id omni conatu perficere ſtudeamus! Habebo vos ſemper in corde, Virgines ſanctiſſimæ; te verò in primis, dilectiſſima Filia, quam aliqua ex parte *coronam meam* in Domino *eſſe* exiſtimo (*e*), quam ego, [*licet pædagogos multos*, ùt aliàs tibi met dixi, *habueris*, *non tamen multos Patres* (*f*)] in Domino genui. Hoc ſemper orabo, *ut caritas tua*, & veſtrùm omnium *magis*, *ac magis abundet in ſcientia*, *& in omni ſenſu*, *ut probetis potiora*, *ut ſitis ſyncerae*, *& ſine offenſa in diem Chriſti*, *repletæ fructu juſtitiæ per Jeſum Chriſtum in gloriam & laudem Dei* (*g*). *Scio* Domine *Deus meus*, *quòd probes corda*, *& ſimplicitatem diligas*: Unde hæc Filia & Sponſa tua hodie *in ſimplicitate cordis ſui*, *læta obtulit univerſa*, quæ habuit, corpus, voluntatem, & animam ſuam, ſe ipſam denique totam;

(*a*) *Matth. XXII. v. 21.*
(*b*) *Levitic. XI. v. 26.*, *& Deuteronom. XIV. v. 16.*
(*c*) *Matth. XXII. v. 20.*
(*d*) *Ad Epheſ. VI. v. 6.*
(*e*) *Ad Philippenſ. IV. v. 1.*
(*f*) *I. ad Corinth. IV. v. 15.*
(*g*) *Ad Philippenſ. I. v. 9. & ſeqq.*

tam; & hanc ego indignus famulus tuus *cum ingenti gaudio vidi tibi offerre donaria* hæc. *Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israël, Patrum nostrorum, custodi in æternum hanc voluntatem cordis ejus, & semper in venerationem tuî mens ista permaneat* (*a*); ut in tuî quoque fruitione jugiter cum ipsa, quotquot hic adsumus, perseveremus in Cœlo. Amen.

(*a*) *I. Paralip. XXIX. v. 17. & 18.*

(†) Cùm a recepto Monastico habitu ad emissa Religionis vota, nonnisi duodecim intercesserint dies, mirum videri alicui posset, minimè servatam fuisse præscriptam a Concilio Tridentino legem probationis per annum integrum. Attamen dubitari nequit, id Apostolica auctoritate peractum, ùt satis superque docet formula Professionis relata in Notis ad superiorem Sermonem, & clarè testantur Epistolæ MSS., datæ Mantuæ hoc eodem anno MDLXXXIII. ad Sanctum Carolum Borromeum, quæ in Ambrosiana Bibliotheca servantur. Moram duxit Maura Lucenia Farnesia in Cœnobio Parmensi Sancti Pauli novem annorum spatio, ideſt usque ad annum MDXCII., quo ad alterum in eadem Urbe, Sancti Alexandri nuncupatum, migravit; ibidemque vitam omni sanctimoniæ cultu ornatam exegit usque ad annum MDCXLIII. Insignibus auctam fuisse privilegiis a Clemente VIII. & Urbano VIII. Summis Pontificibus, discimus ex brevibus eorumdem Epistolis, quas Archivum illius Asceterii custodit. Obiit agens LXXVII. ætatis annum; ejusque tumulo in interiori Sacra Æde apposita fuit sequens Inscriptio.

D. MAURÆ LUCENIÆ PRINCIPISSÆ FARNESIÆ

ALEXANDRI FARNESII, PARMÆ ET PLACENTIÆ DUCIS III. FILIÆ

QUÆ HOC IN MONASTERIO VIXIT ANN. LI.

INOPS SIBI, DIVES PAUPERI, OMNIBUS COMIS, NEMINI DIFFICILIS

HIC

REGIAM PRO CELLULA, GEMMATAM CORONAM PRO VILI TŒNIA

SECULI POMPAM PRO RELIGIONIS HUMILITATE

SANCTIORI SORTE, MELIORE FORTUNA COMMUTAVIT

HUJUSCE CŒNOBII VIRGINES

QUIBUS MAXIME PROFUIT, QUOD ILLIS OPTIME PRÆFUIT

DECIES ABBATISSA

HOC GRATI MONUMENTUM ANIMI M. M. P. P.

OBIIT IDIB. APRILIS MDCXLIII. ÆTATIS SUÆ LXXVII.

HOMILIA LXXIX.

AD POPULUM ROVEREDI

VALLIS MISOLCINÆ

DIŒCESIS CURIENSIS

Habita Dominicâ III. Adventus Ritu Ambrosiano.

ANNO MDLXXXIII. XXVII. NOVEMBRIS.



REDIMUS adhuc, dilectissimi filii, ad vos in piis vestris susceptis propositis confirmandos; & sicut quando primò huc accessimus, initium erat Dominici Adventûs, ex Ambrosianæ Ecclesiæ, cui nos Dei dispensatione præsumus, Instituto; sic revertimur ad vos hoc die, qui, Sanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ Ritu, primus est Dominici Adventûs. Fuit adventus noster ad vos, Domini pariter Adventus; est reditus, illiusmet similiter Adventus. Utinam recedentibus nobis, non tamen ille recedat, sed jugiter vobiscum perseveret! Mysticum hoc tempus hodie proponit nobis Sancta nostra Mater Ecclesia, tempus, inquam, quo tanta recolimus mysteria, & summorum, quæ accepimus, munerum memoriam agimus. Debet id Christianis omnibus esse potissimùm cordi, ut tempus agnoscant, & quæ tempori huic congrua sunt atque opportuna exequantur. Id verò præcipuè ad vos spectat, o filii, in quos contulit Dominus, quæ non fecit omni nationi; & cavendum est, ne, quod olim Populo illi duræ cervicis meritò per Prophetam exprobrabat, dicere possit èt vobis: *Milvus in Cœlo cognovit tempus suum: turtur & hirundo, & ciconia custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit judicium Domini* (*a*). Muneris igitur nostri est, pauca vobis hodie de sacratissimo hoc tempore differere; tum quid in eo requirat a vobis Dominus Deus, breviter attingere: Quæ duo faxit spiritus

(*a*) *Jerem. VIII. v. 7.*

tus Domini, ita per me vobis dicantur, ut per vos audita, in corde reposita conserventur.

Habet corporalis hæc creaturarum omnium vita miras quasdam vicissitudines, ac temporum mutationes, quibus plurimum est iisdem consultum; nisi enim Natura mater hujusmodi providisset, difficile admodum fuisset, eas omnes, ne statim ad interitum tenderent, servare. Hinc post vehementes æstivos calores Autumnus consequitur, qui hos mirum in modum temperans illas subsequenti hyberno frigori paulatim disponit; rursus temperatum Ver hyemem excipit, ac denuo æstum reducit: qua varietate nihil creatis rebus omnibus magis est necessarium.

Verùm, cùm nobilior multò sit spiritualis Animæ nostræ vita, ideo jure optimo Sancta Mater Ecclesia temporum èt ipsa miram quamdam vicissitudinem repetit, ac variis propositis Redemptionis nostræ mysteriis, varios ritus, varias observationes, varia vivendi genera instituit. Est spiritualis hujus anni principium, tempus Adventûs, cujus hodie primus est dies. Hodie idcirco nova recitantur Officia, novis teguntur Altaria coloribus: Novam etiam a nobis expetit vitam, nova opera, novas vestes Apostolus Paulus (ùt post audietis) reposcit. Unde autem, vel cur, filii, tanta mutatio? Quidnam universa hæc præfigurant? Est scilicet, Animæ in Christo dilectæ, totum hoc tempus quædam hominum veluti dispositio ac præparatio, ut dignè, eàque grati animi solicitudine, quæ prorsus decet, celebretur Salvatoris Domini nostri Jesu Christi secundùm carnem Nativitas; cui quidquid boni nobis inest, acceptum referre debemus; quæ nos æterno Patri reconciliavit; per quam e Satanæ servitute soluti, vera fuimus libertate donati, &, *cùm filii iræ essemus* (*a*) *filii Dei nominamur & sumus* (*b*). O quale mysterium, Deum hominem fieri, æternum Patris Verbum mortali carne indui; immortalem mortis legibus subjici; eum, *qui peccatum non fecit* (*c*), *peccata nostra portare* (*d*)! Nonne dignum est sanè, tam longa multorum dierum præparatione nos ad eumdem Adventum ritè excipiendum disponi?

Sed peculiaris adhuc alia quædam rei hujus mihi sese offert ratio: eam verò audite. Divina præcepta transgredientes Protoparentes nostri, Paradiso voluptatis, ac etiam cœlesti gloria, ad quam brevì fuissent translati, sese sponte privaverant; nec seipsos tantùm ex-

(*a*) *Ad Ephes. II. v.* 3.
(*b*) *I. Joann. III. v.* 1.
(*c*) *I. Petr. II. v.* 22.
(*d*) *Ibid. v.* 24., & *Isaiæ LIII. v.* 11.

torres fecerant, sed etiam omnes utriusque sexus posteros filios, tamquam ab iisdem infectam originem trahentes, hæreditario terrenæ ac cœlestis felicitatis jure spoliaverant. In hujus pœnæ testimonium Dominus ad Paradisi ostium Cherubim (*a*) constituerat, quo prohibente, nemo ampliùs illuc auderet accedere. Successerant primis illis humani generis Auctoribus, plurimi justitia & sanctitate conspicui, ac Deo Optimo Maximo admodum grati, Abel innocentissimus, Noë sanctissimus, Moyses mitissimus, obedientissimus Abraham, Isaac Christi Domini typus, castissimus Joseph, Jacob Patriarcha integerrimus, Job patientiæ mirum exemplar, David Rex secundùm cor Dei, veræ pœnitentiæ ac contritionis magister eximius, innumeri demum alii Prophetæ, Virique spectatissimi. Hi, licèt immaculatam vitam duxissent, Cœlum tamen adhuc clausum ingredi se minimè posse agnoscebant; atque ideo communem perpetuò deflere cogebantur calamitatem. Consolabatur tamen eos benignissimus Deus, qui *juxta est iis, qui tribulato sunt corde* (*b*), ac eorum illustratis mentibus, certò pollicebatur, fore ut post annos quamplures descenderet e sinu Patris, Dei Filius, qui Cœli portas reseraret, qui universum genus humanum redimeret, qui Limbum, quò ipsi decedentes transferebantur, locum nempe tenebrarum, divina luce repleret, ac spolia detraheret. Firma hæc promissio spem quidem in illis maximam excitabat; verùm etiam solicitos atque avidissimos eosdem reddebat. Hinc tot eorum gemitus & singultus, tot voces preces ac suspiria audiebantur. Neque tanto animi ardore dum longâ quis & asperâ captivitate, seu carcere premitur, diem exitus sui expectat, quanto illi Messiam, qui æternæ ipsis futurus erat felicitatis initium, opperiebantur. Diuturna tamen fuit hæc eorumdem expectatio; nam non nisi post plura annorum millia, Unigenitus Dei Filius, *tactus dolore cordis intrinsecus* (*c*), ùt ita dicam, humanis condolens infirmitatibus, eorum vota complevit. Hujus tantùm dilati desiderii memoriam renovant præsens tempus ac reliqui subsequentes dies, quorum sacer hodie inchoatur curriculus. O nos felicissimos, filii, si per hosce Dominici Adventùs dies tantâ cor nostrum siti arderet, quantâ illorum; si æquali animi affectu Natalem Domini expectaremus, qui sicuti audistis, fuit hujus instituendi temporis ratio!

Hinc

(*a*) *Genes. III. v. 24.*
(*b*) *Psalm. XXXIII. v. 19.*
(*c*) *Genes. VI. v. 6.*

Hinc verò summam Dei in nos benignitatem atque immensam largitatem agnoscite: Siquidem quæ illi tanto animi ardore exoptarunt, nos vidimus; jam nos iis fruimur mysteriis, quæ ipsi tamdiu expectata non possederunt. Verè *beati oculi, qui vident, quæ nos videmus* (a): Verè summus fuit Dei erga nos amor ad hæc aurea tempora reservatos, quibus tanta eorum munerum nobis facta est communicatio, quorum tam diuturnâ antiqui Patres laboraverunt inopiâ: *Non fecit taliter*, dilectissimi, *omnibus nationibus* (b); ideò diligenter attendite, quantum ei vos præ ceteris debeatis, in quos fuit adeò munificus & liberalis, illos veluti servos, vos autem tamquam dilectissimos filios reputans.

Verùm hoc loco fortè mirum cuipiam non immeritò videbitur, cur, non spectatis, quas recensuimus, peculiaribus hujus temporis causis, hujusmodi hodie Evangelium proponat Sancta Mater Ecclesia, quod censeri potest ab hoc Instituto prorsus dissidere. Quid enim signis, quæ in eo describuntur, cum primi Adventûs signis commune? cùm imo nulla hujusmodi ante primum illum sint visa, quæ ante secundum videnda prænunciantur. *Erunt*, inquit, *signa in Sole, & Luna, & stellis, & in terris pressura gentium* (c). Omnia hìc horroris, omnia terroris plena: hæc nihil nisi tremendi Regis & Judicis Adventum præmonstrant; cùm tamen nos jam ad recolendum parvuli Infantis humillimum ortum, benignissimi Redemptoris atque animarum Medici Adventum disponamur. Et verè, licèt uterque hic Adventus in plurimis convenire videatur, differt tamen etiam in multis; utrobique enim idem est Christus, qui venit; idem locus, unde recedit, nempe Cœlum; idem locus, quò venit, nempe Mundus; idem propter eosdem homines advenit. Sed in illo parvulus venit, in hoc tremendus apparebit; in illo, ut salvaret, in hoc, ut judicet vivos & mortuos, in eosque, qui salutis suæ fructum neglexerint, æternæ ferat damnationis sententiam. Primum illum Adventum signa nulla præcesserunt, sed tantùm quædam ipsum met sunt subsecuta, quæ divinam ipsius majestatem ostenderent, quale fuit Angelorum in Cœlo concentus, dicentium: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (d); Pastorum gaudium; Regum ex longinquis Regionibus ad eum adorandum adventus, ac diligens perquisitio interrogantium, *ubi est, qui natus est Rex Judæo-*

(a) *Luc. X. v. 23.*
(b) *Psal. CXLVII. v. 20.*
(c) *Luc. XXI. v. 25.*
(d) *Ibidem II. v. 14.*

dæorum? (*a*); Stellæ novæ, nec amplius visæ apparitio, & alia hujusmodi, quæ jam Dei Filium carnem signabant sumpsisse. At secundum ejusdem Adventum qualia, quàmque tremenda præcedent prodigia, quæ paulò ante in Evangelii Sacri lectione audivistis!

Prudentissimè igitur a Spiritu Sancto fuit institutum, ut hujusmodi hodie audiretis prænuncium secundi Adventûs, dum ad primum vos ipsos disponitis; nempe quia potissima est & perfectissima ad primum ritè colendum dispositio, præmeditatio secundi. Cogitet unusquisque jam nostrûm divinarum promissionum firmitatem, ac secum ita ratiocinatus dicat. Promiserat per Prophetas suos toties Deus, se Filium suum esse missurum in terras ad redimendum genus humanum; promissa jam vidimus adimpleta. Promisit is ipse, *venturum* eumdem *quâ horâ non putamus* (*b*), ad judicandos nos omnes; id nobis Fide credendum præscripsit: Quis ergo dubitet, èt hoc quoque futurum, cùm tanta sit ejus in dictis exequendis firmitas? *Cœlum*, profectò, *& terra transibunt, verba autem Domini non præteribunt* (*c*).

Attamen, o miseri! Tam multi sic vivunt, ut hæc credere minimè videantur: Sciunt venturum Judicem illum, qui *corda nostra scrutatur, & renes* (*d*), quem nihil latet, cujus *oculis nuda omnia sunt, & aperta* (*e*), qui scelerum acerrimus futurus est vindex, cui de minimis quibuscumque etiam omissionibus exactissima est ratio reddenda; nihilominus oscitanter & perfunctoriè vivunt, terrena tantùm spectant; de carne sola soliciti, nullam gerunt animæ curam; præsentia solùm considerantes, minimè futura prospiciunt: *gens absque consilio, & sine prudentia. Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent* (*f*)! En ad istos hodie loquitur Sancta Ecclesia his veluti verbis: O filii ingratissimi, dolor & tristitia mea, qui in me, & vos ipsos ita sævitis: *O stulti, & tardi corde ad credendum* (*g*), animadvertite, obsecro, & aliquando sapite, quia numquam est sibi dissimilis Deus, semper est verax, numquam mentitur, aut fallit. Promiserat se in carne venturum, passurum, moriturum, ut vos a morte liberaret: Mira hæc erant, & quæ humanum omnem captum excedebant, Deum nempe fieri mortalem atque passibilem; & tamen, quia *ipse dixerat, facta sunt* (*h*). Summa igitur etiam certitudine credite, quia ad judicandum veniet, prout vobis hodie prædicit;

(*a*) *Matth. II. v.* 2.
(*b*) *Luc. XII. v.* 4.
(*c*) *Matth. XXIV. v.* 35.
(*d*) *Psalm. VII. v.* 10.
(*e*) *Ad Hebr. IV. v.* 13.
(*f*) *Deuteronom. XXXII. v.* 28. *& seq.*
(*g*) *Luc. XXIV. v.* 25.
(*h*) *Psalm. XXXII. v.* 9.

dicit; & ne tunc imparatos inveniat, jam vos feria hujus Judicii meditatione ad primum diſponite Adventum.

Amor quidem ſolus nos debuiſſet ſatis ſuperque in ecſtaſim rapere, & ad exoſculandum Infantulum in Præſepio allicere, ejuſque amplectendam doctrinam, vitæque Inſtitutum; ſed quoniam indurato corde eſſe dignoſcimur, timore ſaltem ad id pertrahamur, ſcientes, quoniam quem poſt triginta dies adeò humilem atque benignum intuebimur, ſi ejus humilitate abutemur, tremendum in magno illo extremi Judicii die videre cogemur.

Verè *magnus dies Domini, & quis ſuſtinebit eum* (a)? Verè *Domini dies* ille erit, quia totus Domini; dies enim vitæ præſentis, ſunt hominis dies, quibus ipſe, prout libet, uti poteſt, vel abuti; vitam ſibi æternam comparare, vel mortem: At nulla ei pars erit in die illo, qui totus erit *Domini dies*.

Et verè multipliciter *magnus*, nam magna in primis illum ſigna præcedent, nec immeritò; qui enim mulieris parturientis doloribus, major eſt dolor? Tota tremit, angitur, dolet; nulla ejus pars eſt a pœna immunis, nullum membrum proprio caret cruciatu. Mundus hic totus jam eſt veluti prægnans æternitatis atque incorruptionis: *oportet* enim *mortale hoc induere immortalitatem, & corruptibile incorruptionem* (b). Erit tunc in extremis illis diebus proximum tempus pariendi; idcirco omnia ejus membra dolore concutientur, & *erunt ſigna in Sole, Luna, & Stellis, & in terris preſſura gentium* (c).

Abuſi ſunt peccatores creatis omnibus rebus in ſui Creatoris offenſam; idcirco *omnis* etiam tunc *armabitur creatura ad vindictam* eorumdem. Quàm multa Sol vidit facinora? quam multis Luna & Stellæ ad ſcelera perpetranda lumen præbuerunt? Quot terram polluunt, quot ſceleribus ſuis maria coinquinant! Quanta erit igitur ratio, ut *ſint ſigna in Sole, Luna, & Stellis*; & cuncta, ſuis illis veluti vocibus, a communi Domino vindictam expoſtulent?

Erit adeò horribilis in peccatores ferenda ſententia; adeò illis erit atrox Judicis accedentis aſpectus; adeò terribiles oculi, ut futurus ſit etiam creaturis omnibus ratione quoque carentibus metuendus, imo & Angelis ipſis; ideo tremoris ſigna maxima oſtendent, & *Virtutes Cœlorum* quoque *commovebuntur* (d).

In omnibus operibus ſuis æquè infinitus eſt ac immenſus Deus; ſed ita ea omnia diſpoſuit, ut illarum quædam indicent omnipoten-

(a) *Joël. II. v. 11.*
(b) *I. ad Corinth. XV. v. 53.*
(c) *Luc. XXI. v. 25.*
(d) *Matth. XXIV. v. 29.*

tentiam, alia summam ostendant sapientiam, in quibusdam mira innotescat benignitas & misericordia. Quàm magnum fuit, tam vastam hanc Mundi molem ex nihilo creasse! Quis etiam sapientiam non admiretur in perpetua ejusdem gubernatione, ordine, ac dispositione! Sed quis Redemptionis humanæ mysterium animo revolvens non obstupescit ad infinitam ejusdem misericordiam & caritatem? Cùm hæc ergo omnia talia sint, quæ comprehendi nequeant; heu qualis dies ille erit, quem ostendendæ dumtaxat justitiæ suæ Dominus Deus, ac patefaciendæ majestatis suæ magnitudini reservavit! Horrendum profectò est cogitare; sed quantò erit gravius videre, cùm justi ipsi contremiscent, cùm etiam Sancti quodammodo perterrescent, cum vix columnæ Cœli consistent, cùm Cœlorum Virtutes commovebuntur, cùm ipsa muta elementa Judicis vultum ferre non poterunt! Quàm autem erit intolerabile, diem illum sustinere, in quo *revelabuntur pudenda* (*a*) coram universo hominum cœtu, & fœdissima quæque scelera toti Mundo innotescent! Quàm terribile, imminentem illam æternæ damnationis sententiam subire; iratum illum Judicis aspectum intueri; vivificum Crucis vexillum aspicere, atque ita clamantem Judicem audire: Videte ingratissimi homines Crucem hanc, quam pro vobis ipse conscendi: Aspicite hos pedes, has manus clavis durissimis transfixas, hoc latus dirè transverberatum, totum hoc corpus tam sævè percussum, hunc sanguinem tam abunde pro vobis fusum, quem vos impurissimi peccatores conculcare non dubitastis. *Quid potui ultra vobis facere, & non feci* (*b*)? An, quia vos de nihilo creavi, mea vos imagine decoravi; quia vobis creata cuncta subjeci, pro vobis tam acerba sum passus; quia a tam multis vos malis liberavi, tamdiu vos ad pœnitentiam expectavi, hæc mihi rependistis? *Discedite, discedite a me maledicti in ignem æternum* (*c*). Qualibus tunc illum oculis miseri sustinebunt; quid illi respondere audebunt; quò se volvent, aut quò confugient? Quàm illis erit hoc durum! Verè vox ista & exprobratio illos magis torquebit, quàm ipse inextinguibilis ignis Inferni. Quibus tunc Judex, & quàm tremendis vestibus procedet indutus, audite Spiritum Sanctum: *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Induet pro thorace justitiam, & accipiet pro galea judicium certum. Sumet scutum inexpugnabile æquitatem. Acuet autem duram iram in lanceam, & pugna-*

(*a*) *Nahum III. v. 5.*
(*b*) *Isaiæ V. v. 4.*
(*c*) *Matth. XXV. v. 41.*

pugnabit cum illo Orbis terrarum contra insensatos. Ibunt directè emissiones fulgurum, & tamquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient. Et a petrosa ira plenæ mittentur grandines, excandescet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter. Contra illos stabit spiritus virtutis, & tamquam turbo venti dividet illos (*a*).

Hujus extremi Christi adventûs recordatio adeò Hieronymum virum sanctissimum solicitum reddebat, ut sive manducaret, sive biberet, sive aliud quidpiam faceret, semper ejus auribus vox illa insonare videretur: *Surgite mortui, & venite ad judicium.* Diem hunc etiam Propheta ille tremebat, qui dixit: *Ecce venit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem adventus ejus? & quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & sedebit conflans, & emundans argentum* (*b*); scoriam quidem in Inferni horridam sentinam projiciet, argentum verò purum secum adducet. Verè dignissimum sapientissimo Rege oraculum illud cordibus nostris semper esse deberet insculptum, (& nos felices, si numquam animo excideret!) *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis* (*c*). Quis enim hæc, quæ diximus, verissima esse credens, peccare auderet? Quem Judex ille non terreret; quem tremendus ille dies stupidum fere non redderet?

Sed quid (dicitis) agere poterimus, ut tuti ad judicium illud accedamus, & hilares Judicis sententiam excipiamus? Si primum hunc Adventum, ùt par est, celebrare studueritis; si ad eum vos, prout decet, disposueritis, jucundus erit secundus Adventus: Hoc autem nos præclarè docet Apostolus dicens: *Fratres, scientes, quia hora est jam nos de somno surgere* (*d*). Jam satis in peccatis dormivimus, desides fuimus, satis nimiùm divinâ abusi sumus misericordiâ, Deum provocavimus, ei restitimus; *hora est* jam, ut tamdem aliquando resipiscamus. Quid enim, miseri, peccatum est, nisi somnus, & gelidæ mortis imago, imo etiam mors ipsa; & quidem secunda, nempe animæ, qua nihil terribilius, a qua quemlibet nostrûm toties Dominus studuit revocare, altissimè clamans: *Surge qui dormis, & exurge a mortuis* (*e*): *Usquequo pigri peccatores dormietis* (*f*); *usquequo gravi corde* (*g*)? Ecce, ecce, *quia hora est jam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus,* nempe Christus, quàm

(*a*) *Sapient. V. v.* 18. *& seqq.*
(*b*) *Malach. III. v.* 1. *& seqq.*
(*c*) *Ecclesiastici VII. v.* 40.
(*d*) *Ad Roman. XIII. v.* 11.
(*e*) *Ad Ephes. V. v.* 14.
(*f*) *Proverb. VI. v.* 9.
(*g*) *Psalm. IV. v.* 3.

quàm cùm credidimus, ideſt, cùm illius Adventûs Fides in Sanctis Patribus cœpit. *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit (a):* Præceſſit tempus ante Adventum Chriſti; jam ortus eſt Sol juſtitiæ, per quem lux & ſalus Mundi credentibus appropinquavit. Nox, quæ fuit in nobis, præceſſit; dies autem appropinquavit. De vobis, filii, hæc meritò, & gaudentes dicere poſſumus, quia *fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (b).* Erant plurimi veſtrûm mille peccatis immerſi, mille laqueis irretiti, mille funibus conſtricti; matrimonia in gradibus prohibitis multi contraxerant; uſuris opes ſuas auxerant; Deo infenſi, & nonnulli quoque hæreſeos peſte erant infecti. Luſtravimus totam hanc Ditionem, univerſam hanc Vallem inviſimus; tamdem Dei beneficio per Sanctiſſimum Pœnitentiæ Sacramentum *nox* receſſit, & Sacratiſſimæ Euchariſtiæ ſumptione *dies appropinquavit*. Illuminavit vos Dominus, cùm ſtatûs veſtri infelicitatem vos fecit agnoſcere & deteſtari, ac ad Dei accurrere amplexus.

Cùm jam ergo nox præceſſerit, *abjicite*, filii, *opera tenebrarum (c); quæ enim ſocietas luci ad tenebras (d)?* Abjicite *opera tenebrarum*, peccata videlicet, verè opera tenebrarum: ipſa enim homines privant lumine rationis, quo dirigi debent humana opera; in tenebris ambulare faciunt, in tenebris patrantur, ac demum ab interioribus animæ tenebris, ad exteriores atque æternas gehennæ tenebras peccatores perducunt.

Eorum loco *induere* debetis *arma lucis*, ideſt virtutes, quæ èt arma dicuntur, quia vos muniunt, *ut poſſitis ſtare adversùs inſidias Diaboli (e)*, ut ſic *luceat lux veſtra coram hominibus*, & iis præſertim, quos contiguos habetis atque finitimos, *ut videant opera veſtra bona*, & in ſe ipſos quoque reverſi, veſtro compulſi exemplo reſipiſcant, *& glorificent Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt (f).*

Sicut in die, filii, *honeſtè ambulate*. Ubi duo a vobis exigi animadvertite, nempe virtutes, quæ lucis & diei nomine exprimuntur, & virtutum perſeverantiam atque profectum, cùm dicitur: *ambulate*. Neque enim ſat eſt, vos jam cœpiſſe, & veritatis ac juſtitiæ iter eſſe aggreſſos, niſi proſequamini. Commovit vos plurimùm his diebus Dominus Deus, mira fuit in vobis

(a) *Ad Roman. XIII. v.* 11. *& ſeq.*
(b) *Ad Epheſ. V. v.* 8.
(c) *Ad Roman. XIII. v.* 12.
(d) *Ad Corinth. VI. v.* 14.
(e) *Ad Epheſ. VI. v.* 11.
(f) *Matth. V. v.* 16.

vobis facta *a dextera excelsi mutatio* (*a*); proinde verò nos magnum in Domino sensimus gaudium. Superest jam, ut pergatis, ne vos per jocum hæc fecisse homines dicant; ne hæc pietatis & verbi Dei semina supra lapides jacta fuisse videantur, sed potiùs e converso eadem fixas in vobis, & altas immisisse radices ostendatis: Non jam ampliùs attendentes *commessationibus, & ebrietatibus, non cubilibus, & impudicitiis, non contentionibus, & æmulationibus* (*b*), ad quæ creati non estis, quæ nobilissimis animis vestris sunt indignissima; in quibus tamen hactenus (vos ipsi scitis, nec sine lacrymis commemorare valeo) immersi fuistis. O qualia hæc sunt spiritualia vitæ impedimenta! Quomodo intellectum hebetant, mentem excæcant, voluntatem debilitant, vires etiam corporis enervant, ac spiritum ita obtundunt, ut èt negotiis temporalibus gerendis ineptissimos homines reddant! Ab his obsecro vos per viscera Domini nostri Jesu Christi, ego vestrì amantissimus in Domino, abstinere; ut gaudium nostrum compleatur in vobis; ut fides & constantia vestra omnibus innotescat, & apud omnes commendetur.

Sed induimini Dominum Jesum Christum (*c*). O quale indumentum, quàm nobile, quàm tutum, quàm utile! Hanc vestem deferentes, ab omnibus eritis tuti injuriis; hac Deo placebitis, & ab ipso benedictionem æternam consequemini. *Induimini* nobilissimi Magistratus *Dominum Jesum; induimini* èt vos, quotquot adestis, eumdem. Sed quomodo induemini? Ejus scilicet vitam ac mores, vitâ vestrâ & moribus referentes; eum imitantes; Sanctissima Sacramenta crebrò sumentes, iisque vos munientes: Ita enim totius Provinciæ nostræ, & Italiæ firmissima quædam eritis propugnacula ac antemuralia. Donet vobis ipsemet Dominus se ipso indui, ac quemadmodum *inter medium montium pertranseunt aquæ* (*d*) materiales, sic èt vos inter medium horum montium constituti, charismatum cœlestium aquis abundetis, quibus & animæ vestræ irrigentur, & ad ceteros quoque profluant, vestrarum virtutum exemplo; possitisque hac ratione & vos ipsos, & alios Christo lucrari, ac demum adveniente in hora mortis vestræ, ad ineundum vobiscum pecu-

(*a*) *Psalm. LXXVI. v.* 11.
(*b*) *Ad Roman. XIII. v.* 13.
(*c*) *Ibidem v.* 14.
(*d*) *Psalm. CIII. v.* 10.

peculiare judicium, Dei Filio, cum ovibus ad dexteram collocati, ad æterna Cœli paſcua exultantes perduci. Amen. (†)



HO-

(†) Comperta eſt omnibus feliciſſima illa, & perenni memoriâ digna profectio, quam in Vallem Meſolcinam ſuſcepit Sanctus Carolus Borromeus, donatus a Gregorio XIII. auctoritate Viſitatoris Apoſtolici, & Legati a latere ad eas omnes regiones. Præmiſerat illuc Franciſcum Borſattum, nobilem Mantuæ Civem, & inſigni Legum peritiâ celebrem, ut votis, quæ Sanctus Antiſtes animo conceperat, implendis viam ſterneret, Inquiſitoris munus ibidem exercens. Demum ipſe etiam in eam Vallem ſe contulit ſub initium Novembris anni MDLXXXIII. Quæ illic cordis, caritate & deſiderio ſalutis animarum inflammati, experimenta ediderit, revocando ad tramitem juſtitiæ infectos Hæreſi populos, & maleficiorum, quæ ibidem ſerpebat, luem comprimendo fugandoque, non eſt hujus loci referre, cùm legi ea poſſint fusè narrata ab ejuſdem vitæ Scriptoribus: Id tantùm ſubjungere opportunum ducimus, in primo Vallis illius ingreſſu Sermonem habitum fuiſſe a Sancto Cardinali, cujus initium Literis commendavit Joannes Baptiſta Poſſevinus illius Auditor (in noſtris enim Codicibus deeſt). Narrat igitur, ſtatim ac Eccleſiam Roveredi adiit, ſuggeſtum conſcendiſſe, & cauſis ſui adventûs expoſitis, hiſtoriam illam Geneſis XXXVII. narrandam ſumpſiſſe, in qua Moyſes ſcribit: miſſum fuiſſe Joſeph a patre ſuo Jacob de Valle Hebron ad Sichem, ubi reliqui ejuſdem filii paſcebant oves; cùmque in itinere aberraſſet a via, & in agro quodam repertus eſſet ab uno ex Sichimitis, ac interrogaretur, quid quæreret? reſpondiſse: *Fratres meos quæro:* Hinc enim viam ſibi aperuit Sanctus Carolus ad oſtendendum, fuiſſe ab ipſo ſuperatos montes aſperrimos, ſummiſque laboribus atque impenſis in illam Vallem deſcendiſſe, ut *quæreret fratres ſuos*, pretioſiſſimo ſanguine Filii Dei coëmptos; tantâque pietate atque ardore peroraſse, ut omnes in ſalutares lacrymas ſolverit, commoveritque ad pœnitentiam impigrè ſuſcipiendam. Alterum etiam Sermonem adnotat Gluſſianus Libr. VII. Cap. IV. recitatum a Sancto Carolo, cùm Præpoſitus Roveredi, contumax in perfida maleficiorum ſecta, cui præerat tamquam princeps, deponendus a Sacerdotio foret, & ſecularibus Miniſtris tradendus, qui eum igne abſumpſere; ait autem, ita incœptam fuiſſe ab ipſo Orationem: *Videte, filii, quid decernant Sacri Canones de Miniſtris, qui ſe indignos Eccleſiaſticis muneribus reddidere*, flebilique voce proſequutum eſſe oſtendere, quantum aliena ſit ab infligendis pœnis clementia & pietas Eccleſiæ matris, quæ filios ſuos perdere nollet, ſed potiùs ad gremium ſuum reducere &c. Etiam hoc Sermone carent Codices noſtri.

HOMILIA LXXX.

AD POPULUM BELINZONÆ

DIŒCESIS COMENSIS (a)

Habita Feriâ V. Dominicæ III. Ritu Ambrosiano,

ANNO MDLXXXIII. I. DECEMBRIS.



SAPIENTISSIMUS Regum omnium, quotquot ipsum præcesserant, Salomon, cùm rectè ac tranquillè vivendi præcepta traderet, inter cetera potissimùm hoc admonebat, ne ad fidejubendum pro amicis suis quis proclivior esset; quod etiam veteri Apollinis oraculo celebratum novimus, dicente paucis, sed prægnantibus admodum verbis: *Sponde: noxa præsto est*. Verùm, cùm homo sociabile sit animal, mutuisque officiis cum æqualibus suis certare sæpe cogatur, hoc èt plerumque facere compellitur, ut æqualium aut familiarium precibus annuens, pro iis spondeat interdum, ac Sapientis præcepto contrafaciat. Num igitur, qui in periculum se ingessit, animo cadet; quin potiùs omni studio ac diligentia eo se liberare non conabitur? Audite, quid hujusmodi virum idem Sapiens facere suadeat. *Fili mi, si spopondisti pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus. Fac ergo quod dico, fili mi, & temetipsum libera: quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum: Ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ* (b). Quicumque alios regendi

(a) Infelicem hujus Oppidi conditionem describit Glussianus Libr. VII. Cap. V.; licèt enim ejusdem Incolæ hæresi infecti minimè forent, pluribus tamen sceleribus inquinati, res sacras, & Ecclesiasticam disciplinam pessundederant, nec censuras extimescebant, quibus ob violatam Ecclesiæ immunitatem, & illicitè contracta matrimonia, multo jam a tempore vincti detinebantur. Narrat subinde idem Auctor, Sanctum Carolum, qui ibidem Apostolicæ Visitationis munere fungebatur, quotidianis Sermonibus cum in Oppido, tum in illius Comitatu habitis, ita profecisse, ut vinea illa pene deserta ac vastata, in Christianarum virtutum veluti amœnum viridarium floruerit. Nonnullos ex Sermonibus memoratis latinè redditos nostri Codices servavere; eos autem proximè dabimus.

(b) *Proverb. VI. v. 1. & seqq.*

di onus ſuſceperunt, dilectiſſimi filii, fidejuſſerunt pro illis, ac ſeſe vades obtulerunt; quandoquidem pro iis ſpoponderunt, ſeque obſtrinxerunt, ad omni ſtudio obnitendum, ut qui eorum ſunt curæ commiſſi, communi omnium creditori Domino Deo ſatisfaciant. Romanus Pontifex Chriſti Domini in terris Vicarius, qui nunc Petri Cathedram tenet, Sanctiſſimus Dominus noſter, Dominus Gregorius XIII. quandoquidem pro univerſis Chriſtifidelibus ſpopondit, quos omnes humeris ſuis impoſitos, veluti graviſſimum pondus experitur; nil mirum, ſi Sapienti obſequens, & per ſe ipſum cùm poteſt, & cùm longinquæ ac variæ Regiones minimè permittunt, per alios, ùt modò per nos, *diſcurrit*, *feſtinat*, *non dat ſomnum oculis ſuis*. Et cur? niſi ut *ſuſcitet* vos *amicos* & filios *ſuos*, ac moneat, ut creditori veſtrûm omnium Domino, quamdiu licet, ſatisfaciatis. Hic Viſitationis hujus noſtræ præcipuus eſt, dilectiſſimi, ſcopus, hic Inſtituti noſtri finis, ut quod in Diœceſibus ſuis ſinguli Epiſcopi pro eorum muneris ratione faciunt, hoc nos jam hic inter vos, Sanctiſſimi Patris & Domini noſtri nomine peragere ſtudeamus, nempe ut vos *ſuſcitemus*; ut eos, qui dormiunt, expergeſaciamus; ut vigilemus pariter omnes, ac debitum prompto animo perſolvamus. Divino ſanè conſilio id ipſum paulò ante ex Apoſtoli verbis in Miſſæ Sanctiſſimæ Epiſtola, Sancta Mater Eccleſia omnibus ſuadebat, dicens: *Fratres, ſcientes, quia hora eſt jam nos de ſomno ſurgere* (*a*). Quis igitur non videat, quàm congruum hujuſce Viſitationis, atque hodiernæ prædicationis initium ſit & argumentum, ſi de ſomno hoc vobiſcum agentes, quiſnam is ſit, & quæ ejus cauſæ, paucis vobis deſcribamus; tum, qua potiſſimùm ratione ab eo poſſimus excitari, perquiramus? Hæc igitur, favente Deo, brevi ſermone perſtringemus. Excita Sanctiſſime Spiritus hodie corda omnium noſtrûm tuo illo vehementi impulſu, ut in poſterum vigilemus cum Chriſto, ac demum ſemper requieſcamus in pace.

Fratres, ſcientes, quia hora eſt jam nos de ſomno ſurgere. Scientiæ omnes atque artes, tam quæ in ſpeculatione conſiſtunt, quàm quæ ad praxim & opus diriguntur, hoc in primis, veluti baſim & fundamentum omnium, quæ ſubſecuturæ ſunt præceptionum præſupponunt, nempe rem eſſe: de iis enim quæ non ſunt, præcepta dari non poſſunt; praxis vero ridicula, inutilis, ac fruſtratoria penitus eſſet. Ac ut memoratas quidem ſcientias in præſentiarum omittamus, utpote quæ ad nos jam parum, aut nihil faciunt; in practi-

(*a*) *Ad Roman. XIII. v.* 11.

practicis, quod dicimus, ecce quia manifestissimo vobis exemplo ostendimus. Corporum Medicus, alicujus se domum confert, ut ejus præsenti morbo curam præstet, eaque præcipiat, quibus ille adhibitis, diligenterque servatis, facilè convalescat. Quòd si in rei substantia errare contingeret, itaut qui invisitur, aut se infirmum esse negaret, aut ignoraret, in vacuum profectò Medicus laboraret, ac vani essent & irriti omnes ejus conatus. O quàm peritus erat Animarum Medicus Paulus, quàmque misericors, qui in corpore suo sentiebat languentium infirmitates, inquiens: *Quis infirmatur, & ego non infirmor* (*a*)? Is, cùm Romanos per Epistolam suam inviseret, hoc in primis monere studebat, ut & se infirmos ac dormientes scirent, & tum demum, quid eis faciendum esset intelligerent. Huc accessimus etiam nos, ut a somno, quemadmodum audivistis, vos excitaremus, & ab hoc lethargico morbo, quatenus concesserit Dominus, curaremus; ideo Apostoli ejusdem verbis primò a vobis requirendum arbitramur, ut duo sciatis: nempe quia dormitis; &, cùm hactenus dormieritis, quia *hora est jam vos de somno surgere*.

Ut autem retrogrado ordine a posterioribus ad priorum deveniamus agnitionem: Quæ umquam, o Belinzonenses, opportunior vobis contigit hora, quod magis congruum tempus a somno surgendi, horâ ac tempore præsenti? Certè is dicendus esset graviter atque profundè obdormire, qui ad vicinum aliquem strepitum minimè excitaretur. Quòd si quis nec bombardarum ictus, imò nec collabentis domûs audiret ruinas; heu quia hic non jam dormire, sed mortuus esse meritò existimaretur! Dormivistis hactenus, &, quo somni genere, post audietis: Vicinos tamen semper habuistis strepitus, nec parvos; semper enim ad ostium stetit Sponsus vester Dominus Jesus, pulsans & dicens: *Aperi mihi soror mea* (*b*) ac sponsa; & tamen adhuc dormistis. Sed ecce quia jam tonitrua & bombardæ audiuntur inter vos, nempe hæc totius populi commotio, lacrymæ, suspiria. Intrante per ministerium nostrum inter vos Domino Jesu commovetur universa Animarum vestrarum civitas, imò vetus homo vester cum terrenis actibus suis recedere compellitur; nam hic *fortis armatus* (*c*) intrans, non modò omnia ejus evertit, sed èt domum ipsam funditus dissipat, cùm malarum consuetudinum veluti fundamentis sublatis, etiam pravorum actuum parietes iis superædificati, necessariò corruunt. Quis ergo in tanto strepitu atque fragore

(*a*) *II. ad Corinth. XI. v. 29.* | (*b*) *Cant. Cantic. V. v. 2.* | (*c*) *Luc. XI. v. 21. & seq.*

fragore, in tanta commotione atque ruina nesciat, quia hora est jam non amplius dormiendi, sed de somno surgendi; eos autem, qui jam minimè fuerint expergefacti, mortuos potiùs esse, non dormientes?

O Visitatio sanctissima, atque utilissima! O vivifica commotio, quantas tibi visitati omnes populi, imò pro te largitori bonorum omnium Deo gratias agere debent, ac ex intimo cordis affectu nosse ac fateri, quia *non fecit taliter omni nationi* (*a*)! innumeri namque sunt homines, qui, si tam peculiari Visitationis munere fruerentur, maximos inde fructus perciperent. Jam tuî efficaciam clementissimus Dominus proximis hisce diebus nobis manifestissimè, in Dominorum Rhetòrum Provinciis vobis finitimis ostendit; quas jamdiu non modò dormientes, sed magna etiam ex parte demortuas, Visitatione nostra, subitò mira *dexteræ excelsi mutatione* (*b*) & vivificatas, & excitatas aspeximus. Abolitæ propemodum erant iis in locis bonæ omnes consuetudines; nullus erat inter ipsos vèl minimus Sacratissimi Panis Angelici usus; invaserat Dæmon omnem illam Regionem (horribile dictu!), & multas ejus partes maledictis suis tripudiis, jocis, ac ludis, magna strigimagarum & maleficorum frequentia usurpaverat; paucis dicam, imò èt a Fide quamplurimi defecerant:

Excelsus Dominus de Cœlo respexit, & *humilia a longè cognovit* (*c*): per nos illos visitavit; & ecce statim, quia èt ad Fidem ferè omnes, eorumque præcipui redierunt; ad Sanctæ Matris Ecclesiæ sunt ovile reducti; destructi maleficorum conventus; subversi diabolici ludi; strigimagis purgata Regio; frequentissimus ad Sacram Mensam accessus; plurima pietatis Instituta introducta; *mutarunt* denique *Æthiopes pellem suam* (*d*), & *candidi* facti sunt *Nazaræi* (*e*); peccatis rejectis, innumeris sunt Divinæ gratiæ donis ditati. Et cui hæc, obsecro bone Deus, accepta sunt referenda? Num fortè nobis vilissimis vermibus? Absit hoc a nobis; *neque* enim *qui plantat est aliquid*, *neque qui rigat* (*f*); sed tu solus hæc omnia operatus es in ipsis, eos invisens, humilium tu visitator animarum.

Qui ergo sanctâ illâ Visitatione prope vos tanta operatus est; ecce, dilectissimi, quia jam, ut eadem inter vos quoque præstet, accedit. Scitote igitur primùm, quia *jam*, si umquam, & si non *jam*, fortè numquam, *hora est vos de somno surgere*. Parum tamen vobis aut nihil prodesset, hoc scire, nisi etiam vos dormire scire-

tis;

(*a*) *Psalm. CXLVII. v.* 20.
(*b*) *Psalm. LXXVI. v.* 11.
(*c*) *Psalm. CXXXVII. v.* 6.
(*d*) *Jerem. XIII. v.* 23.
(*e*) *Thren. IV. v.* 7.
(*f*) *I. ad Corinth. III. v.* 7.

tis; ex eorum quippe effetis numero, de quibus eſt dictum: *Neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant* (*a*). O quàm eſt noxia iſtiuſmodi ignorantia, quæ non modo non excuſat, ſed aggravat potiùs, ac Deo ita eum reddit exoſum, ut mala ſua non intelligentem ille cogatur evomere, ac dicere: *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus: utinam frigidus eſſes, aut calidus: ſed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. Quia dicis: Quòd dives ſum, & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus* (*b*). Truculenta lues ignorantia, omni peſte perniciosior, quæ & hujuſmodi homines divinæ omnis miſericordiæ incapaces oſtendis, & adversùs ſe ipſos ſæviſſimos reddis atque duriſſimos, imo èt injurioſos in eos, qui beneficia iiſdem conferre deſiderant, cùm ipſi ſe egere & ignorent, & negent atque contemnant! Abſit, filioli, tanta peſtis a vobis, quòd nempe egeſtatem ſuam atque languores quiſpiam non agnoſcat, ſeque hactenus dormiviſſe non intelligat. Sed cùm utrumque vos ſcire, Deo dante, confidam, ſcilicet quòd in hanc uſque horam dormieritis, & quòd maximè opportuna ſit hora hæc a ſomno ſurgendi, jam a quonam ſomno ſurgere debeatis, audite.

Corporis ſomnum non vetat Apoſtolus, quem nobis in refrigerium tribuit natura, ut diurnis laboribus feſſa membra, nocturna quiete recreemus; nam èt hanc nobis, inter alias innumeras infirmitates, hæreditatem primi noſtri parentes reliquerunt, ut neceſſariò comedendum ſit nobis, bibendum, atque dormiendum; quæ omnia debilitatis, atque humanæ miſeriæ manifeſtiſſima exiſtunt indicia. Sed ad Animas loquens, de animarum ſomno nunc agit, eumque, uti noxium, admonet rejiciendum.

Duplex autem eſt Animæ ſomnus, bonus alter ac ſanctus; alter verò malus omnino. Bonus quidem non modò minimè fugiendus, quinimo arctiſſimè amplectendus, omnique eſt deſiderandus affectu. Hic duplici vitæ correſpondens, præſenti nempe, laboribus atque ærumnis plenæ, & futuræ immortali, eſt etiam ipſe duplex: In hac lacrymarum valle, ſanctæ contemplationis ſomnus dicitur; in cœleſti verò Patria, æternæ felicitatis quies. O felices illos atque beatos, qui per primum eum ſomnum, ad ſecundum præparari contendunt; qui hìc dormiunt, ut poſtmodum dormiant in perpetuum, atque quieſcant! Quàm gratus contemplationis eſt ſomnus; quàm jucundis rerum cœleſtium viſionibus ita dormientes dele-

(*a*) *Pſalm. LXXXI. v. 5.* (*b*) *Apocal. III. v. 15. & ſeqq.*

delectantur, dum quæ humanis vocibus nequeunt enarrari, dormiendo ipsi comprehendunt! *Egressus Jacob de Bersabee pergebat Haran. Cùmque venisset ad quemdam locum, & vellet in eo requiescere post Solis occubitum, tulit de lapidibus, qui jacebant, & supponens capiti suo, dormivit in eodem loco. Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens Cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ*, sibi plura dicentem, atque promittentem (*a*). Hic somni hujus dulcissimi fructus est gratissimus, versari cum Angelis, cum Deo colloqui, Deum promittentem audire, ac postmodum promissa recipere, nihil curarum seculi sentire, Mundo dormire, soli Deo vigilare, ac in veritate dicere: *Ego dormio, & cor meum vigilat* (*b*). Utinam quamdiu vivimus, semper ita dormiremus! esset quippe hic somnus jugis vigilia, perpetua industria, sanctissima quies, atque secundi somni principium; quo *in pace in idipsum dormient, & requiescent* (*c*), qui Mundo egressi, transacto vitæ curriculo, consummata navigatione ad tutissimum portum appellent, & securi perpetuò dormient, atque in æterna illa felicitate quiescent: iis enim mors, quam adeo homines horrent, non mors, sed somni hujus erit initium, de quibus etiam fortè dicebat Apostolus: *Fratres nolumus vos ignorare de dormientibus* (*d*).

Non de hoc igitur somno nunc agimus, neque ab hoc vos excitat Paulus, atque per me loquentem Sanctissimus Pontifex: Sed a pestifero atque lethargico somno excitari vos præcepit, cum eodem Apostolo clamans: *Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus* (*e*): *Hora* enim *est jam nos de somno surgere* (*f*); somnus autem, a quo exurgere vos jubet, est somnus peccati. Verè dormit peccator, & quidem profundè: sicut enim somnus dormientes mirum in modum mortuis similes efficit, ita peccatum eos quos opprimit non similes modò, sed penitus mortuos reddit, dum vitale nihil operantur, dum jacent penè extinctæ omnes illorum vires atque potentiæ. Intellectus sublime nihil cogitat; voluntas boni nihil agit; memoria rerum omnium pene oblita jacet. Et (heu videte) quàm gravis sopor est iste! Agitabatur fluctibus maximis navis Jonæ; summo omnes erant in vitæ discrimine, imminebat mors, æquabant prope Cœlos undæ, truculentum os mare aperiebat, ac jam jam devorandi seu deglutiendi potiùs

(*a*) *Genes. XXVIII. v.* 10. *& seqq.*
(*b*) *Cant. Cantic. V. v.* 2.
(*c*) *Psalm. IV. v.* 9.
(*d*) *Ad Thessalon. IV. v.* 12.
(*e*) *Ad Ephes. V. v.* 14.
(*f*) *Ad Roman. XIII. v.* 11.

potiùs omnes videbantur. Erant omnia clamoribus & fingultibus plena; lugebant miseri patres, dilectas uxores & teneros filios, quos domi reliquerant, seque illos numquam amplius visuros arbitrabantur. Alii Altissimo vota fundebant, manibus alii pectus quatientes, sævi maris furorem ac procellarum impetum sedare nitebantur; & inter hæc omnia, tot inter pericula, solus Jonas a Dei facie fugiens, sanctissimis ejus præceptis minimè obtemperans, nihil ad hæc commotus, in navis angulo dormiebat (*a*). Sed quid ista, si cum peccatorum conferantur discriminibus? Nulla certè, aut minima sunt.

Circumdat peccatorem undequaque immanissimus *leo rugiens* (*b*) Dæmon, eum mox deglutire paratus; *aperit* continuò *Infernus os suum* (*c*); imminet capiti illius integerrima Dei justitia; vita mortalis omni est vitro fragilior; nihil illi morte propinquius; coram Judicis oculis jacet perpetuò; instruitur in cœlesti Curia adversùs eum (ùt ajunt) processus; interim conscientiæ sauciatur aculeis, vermibus ejus animus roditur: Et tamen perinde ac si omnia hæc somnians videret, dormire non cessat, ac peccatis *thesaurizare sibi secundùm impœnitens cor suum, iram in die iræ*, & vindictæ (*d*). Adest in januis mors ei semper, imo vix mortem potest eo in statu evadere; nec tamen a somno consurgere satagit, seque ipsum disponere, ne mors illum imparatum inveniat. Qui umquam *Pater-familias, si sciret, qua hora fur veniret*, vigilare non studeret, *nec sineret perfodi domum suam* (*e*)? Hic verò cùm mortis incertitudinem sciat, non curat, an domus sua, aut quidquid in ea possidet, in rapinam & subversionem cedat. Quamobrem in peccatis suis plerumque moriuntur hujusmodi, ac, cùm se omni periculo liberos putant, dormiuntque tutissimi, in *puncto ad inferna descendunt* (*f*).

Dormiebat Isboseth super stratum suum meridie, ejus verò ancilla triticum purgans, èt ipsa obdormierat; cùm *latenter ingressi* Rechab, & Baana *percusserunt eum in inguine, & interfecerunt illum, sublatoque capite ejus abierunt* (*g*). O infelicissimi peccatores! ecce in figura quid vobis contingit. Isboseth estis vos, nempe confusionis & ignominiæ filii, qui Dei vos filiatione spoliastis, ac vi-

(*a*) *Jonæ I. v. 5.*
(*b*) *I. Petri V. v. 8.*
(*c*) *Isaiæ V. v. 14.*
(*d*) *Ad Roman. II. v. 5.*
(*e*) *Matth. XXIV. v. 43., & Luc. XII. v. 39.*
(*f*) *Job XXI. v. 13.*
(*g*) *II. Reg. IV. v. 5. & seqq.*

lissimæ *lentis*, turpissimarum voluptatum *edulio*, *primogenita*, omnemque Cœli hæreditatem *vendidistis* (*a*); verè confusionis & ignominiæ filii, in terra confusionis habitaturi perpetuò, *vasa iræ apta in interitum* (*b*), nil nisi summum dedecus & sempiternum horrorem hæreditate possessuri. Dormitis vos in peccatorum vestrorum lectulo, *in meridie* vitæ præsentis, quando vobis esset maximè vigilandum; & confestim, dum *ducitis in bonis dies vestros* (*c*), *latenter* in vos insurgunt perpetui hostes generis humani, & bonis omnibus vos spoliatos morti tradunt, *in inguine* libidinum vestrarum *percutiendos*, ac nobilissimum *caput* vestrum, nempe animam ad Dei imaginem conditam, secum in tenebras exteriores asportant.

Potuisset ancilla vestra tanto infortunio prospicere, cujus erat munus, triticum purgare; sed dormit èt ipsa. Et quæ, obsecro, ancilla hæc est, nisi spiritus & ratio, quam, cùm domina esse debuisset, vos qui omnia naturæ jura pervertitis, sensui & carni turpissimè servire coëgistis? Verè summa miseratione dignissimi estis; & ego lacrymas continere vix possum, cùm vestram recolo dementiam ac stupiditatem; quòd nempe in iis solùm confiditis, qui vitæ vestræ perpetuò insidiantur; quosque vobis existimatis amicos, occultos tamen semper habetis hostes & proditores. Videntur quidem Mundus, aut caro blandè vobis occurrere, imo vos etiam pallio operire, ac benignissimè intra ædes suas excipere, & sitientes potare; sed, cùm dormieritis, vitâ vos spoliant, caput vestrum terræ configunt; & estis illis ludibrio, ac inferni ignibus esca. Id omne prorsus vobis contingit, quod misero atque incauto Sisaræ olim accidit: *Hic fugiens* a bello, *pervenit ad tentorium Jabel uxoris Haber Cinæi. Erat enim pax inter Jabin Regem Azor, & domum Haber Cinæi. Egressa igitur Jabel in occursum Sisaræ, dixit ad eum: Intra ad me Domine mi: intra, ne timeas. Qui ingressus tabernaculum ejus, & opertus ab ea pallio, dixit ad eam: Da mihi, obsecro, paululum aquæ, quia sitio valde. Quæ aperuit utrem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum; dixitque* nimiùm impavidus *Sisara ad eam* (videte cui se ipsum fidebat): *Sta ante ostium tabernaculi: & cùm venerit aliquis interrogans te, & dicens: Numquid hîc est aliquis? Respondebis: Nullus est. Tulit itaque Jabel uxor Haber clavum tabernaculi, assumens pariter èt malleum: & ingressa absconditè, & cum silentio, posuit supra tempus capitis ejus clavum, percussum-*

(*a*) Genes. XXV. v. 33. & 34.
(*b*) Ad Rom. IX. v. 22.
(*c*) Job XXI. v. 13.

ſumque malleo defixit in cerebrum uſque ad terram: qui ſoporem morti conſocians, defecit, & mortuus eſt (*a*). O quantò huic ſatius fuiſſet vigilaſſe! quantum illi obfuit ſomnus! quàm miſer & tragicus infeliciſſimi hujus dormientis exitus fuit!

Cur aliorum exemplis o miſeri peccatores non diſcitis, *quomodo cautè ambuletis* (*b*)? Quanam eſtis excuſatione digni, quos aliena pericula minimè erudiunt? Cur, qui libidinem ſectamini, falſas carnis blanditias non agnoſcitis? Animadvertite, filii, quia blanditur, ut prodat; invitat, ut percutiat; potum exhibet, ut venenum propinet; demum excipit vos in domum ſuam, ut interficiat. Dormiunt peſſimo hoc ſomno, qui uſuris enecant pauperes, ſed in ſtrato ſuo concubitores habent dracones & viperas, nutriunt in ſinu ſuo ſerpentes; & quamvis paulatim eorum vita corrodatur, ſomnum tamen excutere nequeunt. Dormiunt infeliciſſimo hoc ſomno, qui cenſuris Eccleſiaſticis, & tremendis anathematum vinculis ſunt illaqueati, iis ſimillimi, qui, adveniente mane, in patibulo ſuſpendendi, inter catenas & ferreos compedes, ac manicas nocte dormiunt, &, quomodo vincula diſrumpant, aut qua via inde effugiant, vitæque ſuæ conſulant, minimè ſoliciti meditantur. Dormiunt in inveteratis odiis nonnulli, nec ignem iræ, aut Zabuli, quo perpetuò uruntur, ullatenus ſentiunt. Sed quid de Simoniacis dicam? Quid de iis, qui, cùm peſſimos vitiorum habitus contraxerint, ac longa peccandi conſuetudine vitium in naturam converterint, ne cicatricem quidem ſentiunt, aut vulnus oſſa ſemper exſiccans? Dormiunt hi omnes deplorandi homines, & adeò profundè, ut, niſi jam in magna hac univerſæ hujus Regionis commotione excitentur, de æterna eorum ſalute arbitrer eſſe valde metuendum.

Quoſdam tamen mihi videor dicentes audire: Deo adjuvante nos non dormimus; jamdiu eſt, quòd vigiles ſumus. Nos fœdis hiſce peccatis, cœleſtis gratiæ munere, commaculati minimè exiſtimus; numquam turpia hæc in nobis admiſimus; horremus quinimo potiùs horum quoque memoriam. Non nobis ergo dicitur hodie, ut a ſomno ſurgamus. Sed vobis quoque, dilectiſſimi, hoc maximè congruit, qui licèt non dormiatis profundo ſomno, non vigilatis tamen, ùt oportet; verùm dormitatis, & ſomnolentia magna vos occupat. Quid enim eſt torpor hic in ſpiritualibus, quid hæc in piis proſequendis operibus negligentia,

(*a*) *Judic. IV. v.* 17. *& ſeqq.* | (*b*) *Ad Epheſ. V. v.* 15.

tia, quid in profectu remissio, nisi perniciosa quædam dormitatio & somnolentia?

Nobis potissimùm Sacerdotibus, qui aliis invigilare tenemur, sub quorum oculis ceteri subditi quiescere debent, hodie dicitur: *quia hora est jam nos de somno surgere.* Nos Sanctissimi Christi Vicarii *palpebræ* sumus, *quas dormitare prohibet* Sapiens (*a*): nobis subditorum peccata Dominus adscribit, ac exactissimam pro eorum animabus a nobis reddendam exiget rationem (*b*). Peccaverat Populus, & Deum ad iracundiam provocaverat; Dominus tamen ad Sacerdotem muneri suo deficientem convertitur, & Isaiæ præcipit dicens: *Vade, ingredere ad eum, qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam Præpositum Templi, & dices ad eum: Quid tu hìc? aut quasi quis hìc* (*c*). Peccat Populus, & Sacerdos arguitur. Hoc idem quotidie nobis dormientibus Dominus exprobrat: *Quid vos hìc* segnes moramini? *aut quasi quis hìc?* Speculatores sumus a Domino super populum suum constituti: Væ nobis, si dormierimus! Duplices certè dabimus pœnas, & nostris, & aliorum criminibus debitas. Id longè jam antea per Prophetam suum nobis Dominus, qui veritas est, prædixit, inquiens: *Si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram* (*d*). O quantum universo terrarum Orbi nostra obfuit quandoque somnolentia! Propinqui hi montes, finitimæ hæ valles, innumeræ Regiones atque Provinciæ, quæ a Fide erraverunt, si loquerentur, quis dubitet, clamaturas, quia *dormientibus nobis inimicus homo venit*, & in agro Dominico *zizania superseminavit* (*e*)? Evigilemus ergo, fratres, nec *demus somnum oculis nostris, aut palpebris nostris dormitationem* (*f*)..

Sed èt vobis, filii, qui Dei munere a primo illo graviori somno soluti estis, etiam secunda hæc dormitatio est valde fugienda. Frequentat Pater ille familias (aliàs pius) Ecclesias; neminem lædit; omnibus, quibus valet, prodesse studet; eleemosynis quoque pauperes juvat: Sed indomitos habet filios, immorigeratos; est erga illos remissior; eorum institutionem videtur

(*a*) *Proverb. VI. v. 4.*
(*b*) *Ad Hebræos XIII. v. 17.*
(*c*) *Isaiæ XXII. v. 15. & 16.*
(*d*) *Ezechiel. XXXIII. v. 6.*
(*e*) *Matth. XIII. v. 25.*
(*f*) *Psalm. CXXXI. v. 4.*

tur negligere. Hic verò, nonne dormitat? Surgat, obſecro, jam quicumque talis exiſtit, a ſomno.

Sunt inter vos plurimi (& gaudeo) pii homines, ſpiritualibus operibus dediti; ſed unde tanta dormitatio in rebus tam gravibus? unde tanta ſegnities in erudiendis in Chriſtiana Doctrina filiolis? unde tanta diebus feſtivis ocioſitas? unde vagationes per plateas & vicos, cùm in Eccleſiam eſſet conveniendum? Heu! heu! quia ſi non dormiunt multi, certè dormitant; ideo caritatis officia intermittuntur; ideo Sanctiſſima Sacramenta minimè frequentantur; ideo ſpiritualia arma non ſumuntur, & irrumpit interim ex improviſo, noſque minimè id cogitantes aggreditur, oppugnat, atque expugnat perpetuus hoſtis noſter Diabolus.

Quod ſi & ſomni illius graviſſimi, & ſomnolentiæ cauſas perquiro, licèt inveniam quamplurimas, iſtæ tamen potiſſimum obtinent locum, crapulæ videlicet, ebrietates, & nimiæ Mundi hujus curæ atque ſolicitudines; quæ omnia, ſicuti corporeum ſomnum inducunt, ita èt animam ac ſpiritum dormire compellunt. Quamobrem optimus Medicus Chriſtus, qui morborum omnium noſtrorum cauſas & opportuna medicamenta probè noverat, cùm vigilandum maximè præciperet, monebat: *Attendite vobis, ne fortè graventur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ* (a). Hac quoque de cauſa, Apoſtolus, poſtquam Romanis horam indicavit, de ſomno ſurgendi, quomodo ſit ambulandum oſtendens, ſubjunxit: *Non in commeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione* (b). Quid turpius, quid homine indignius, quid perículoſius *ebrietatibus?*

Audite filii Sapientem: *Ne intuearis vinum, quando flaveſcit, cùm ſplenduerit in vitro color ejus: ingreditur blandè, ſed in noviſſimo mordebit, ùt coluber, & ſicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur perverſa. Et eris ſicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator amiſſo clavo* (c); ſicut enim qui dormit inter aquas maris, undequaque variis fluctibus agitatur, periculi ſui prorſus ignarus, atque ideo proximus eſt ſubmerſioni; ita qui ebrius titubatione corporis agitur, veluti fluctu hinc inde jactatus, animo item ad varia cogitanda, & contra Dei legem deſideranda impellitur; cùm interim in ſe non ſatis animadvertat, quantum ei periculum immineat, ne fortè humorum perturbatione ex im-

(a) *Lucæ XXI. v. 34.*
(b) *Ad Roman. XIII. v. 13.*
(c) *Proverb. XXIII. v. 31. & ſeqq.*

improviſo præſocetur. Quàm facile eſt, ut navis & nautæ naufragium patiantur, cùm navis gubernator amiſſo clavo obdormit! Sic etiam ille, qui vino ſepultus eſt, navem ſuam, nempe corpus & mentem, non poteſt in curſu hujus vitæ ad portum rectè dirigere, cùm enim jam clavum amiſerit, hoc eſt rationis uſum, a qua cunctæ animæ potentiæ gubernantur, ſibi eripi paſſus ſit, in ſummo omnium rerum ſuarum diſcrimine verſatur.

Surgamus ergo a ſomno omnes, dilectiſſimi, & nos excitantis voces exaudiamus. Sed quaſnam, obſecro? Chriſti Domini certè, hodie clamantis: *Erunt ſigna in Sole, & Luna, & Stellis* (*a*). In magno & profundo ſomno, ùt ſupra diximus, jacentes homines, magno quoque ſtrepitu ſunt excitandi. Sed heu; audite peccatores, quàm ingens futurus eſt fragor! Moriente Patre-familias, domus tota commovetur; liberi & filiæ, uxor & parentes, ſervi & ancillæ plorant, & omnia ejulatibus perſonant. Morituro homine, qui Mundi hujus cenſeri poteſt Pater-familias, quid mirum, ſi tantus in tota domo ſtrepitus audietur, ſi obſcurabitur Sol, ſi Luna lumen ſuum non dabit, ſi Stellæ cadent de Cœlo, ſi Virtutes Cœlorum commovebuntur (*b*), ſi omnia denique ſus deque vertentur? Attamen vos hæc omnia futuro tempori reſervata eſſe dicitis. Verùm præſentia ea vobis proponite, quæ certiſſimè adventura non dubitatis. Quòd ſi nec totius naturæ clamores auditis, excitet vos ſaltem clangor Angelicæ Tubæ inſonantis: *Surgite mortui, & venite ad judicium*. Audient ſonitum hunc quotquot in ſepulchris latebunt oſſa & cineres; audient ſpiritus, qui in Inferni centro cruciabuntur, atque ad judicium accurrent: Et tam funeſtus ſonitus a peccati ſomno vos minimè excitabit?

Hieronymus æquè ſanctiſſimus ac doctiſſimus, Sanctæ Matris Eccleſiæ columna, vitâ innocentiſſimus, integerrimis moribus, veriſſimæ pœnitentiæ exemplar & magiſter, quidquid ageret, ſive nempe comederet, biberet, aut dormiret, Angeli vocem illam ſibi ſemper videbatur audire. Et nos (ah miſeri!) Hieronymo adeò diſſimiles, cùm ſonus iſte maximum nobis deberet timorem incutere, eum tamen minimè audimus. Quanam voce igitur excitari poterimus, quando nec univerſa ingemiſcens natura, nec Angelica Tuba evigilare nos facit? Excitet ſaltem (quando nihil horum valet) horribilis vox illa Chriſti Jeſu, naturæ & Angelorum Domini,

(*a*) *Luc. XXI. v.* 25. | (*b*) *Matth. XXIV. v.* 29.

mini, a nobis, & a dormientibus audienda; quando veluti fulgur, ſummo cum impiorum terrore, ac vehementiſſimo ſtrepitu Dei Filiùs ad judicium cum omnibus ineundum accedens, tremendam illam in peccatores ſententiam emittet : *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus* (*a*).

Heu! quàm erunt hæc verba tunc iis formidanda, qui nunc eadem meditari recuſant! quàm graviter eorum ferient aures & corda! Non ita ſagitta in ſinum immiſſa totum pectus dilacerat, ſicut Chriſti voces animam cujuslibet diriſſimè ſauciabunt. Vultis, filii, eas tunc cum gaudio & exultatione, utpote non vobis dictas, audire? Audite nunc. Fingite in animo veſtro, Divinum Judicem in throno ſedentem, vobiſcum rationes ducentem; ſententiam illam, niſi reſipueritis, ferre paratum: Optatis ab Inferni periculo liberari? *Deſcendite* nunc *in Infernum viventes* (*b*), & ejulatus ac clamores damnatorum audientes, a ſomno conſurgite.

Verùm me miſerum! quia multi fortè hæc *audientes non audiunt, & intelligentes non intelligunt* (*c*). Jam toties corporeis auribus audierunt, numquam tamen ad eorum cor ſonus pervènit; illis ſimillimi, qui juxta Nilum habitantes, aquæ continuum fragorem, cui ſunt aſſueti, ſurdeſcentes non audiunt. Utinam nulli hìc inter vos ſint de hujuſmodi! Utinam *verbum non audientibus* minimè *narrem*, ſimque *quaſi qui excitat dormientem de gravi ſomno!* Utinam *ſtultis non enarrem ſapientiam*, nec *cum dormientibus loquar, & in fine narrationis*, quaſi ſomniantes *dicant: quis eſt hic* (*d*)? & iterum dormiant!

Eja igitur, filii, ſi qui hactenus dormierunt in vobis, oculos jam aperire incipiant, & ſomnum excutiant. Jam tempus eſt, fratres, ſurgendi: *Uſquequo pigri dormietis?* uſquequo *dormitabitis?* uſquequo *manus conſeretis, ut dormiatis* (*e*)? Modicum aſpicite, quia jam *nox* longa præteriit, *dies appropinquavit* (*f*). Numquid diem nocti copulabitis infeliciſſimi glires, & talpæ? *Uſquequo*, uſquequo *filii hominum gravi corde* (*g*)? Quamdiu corda hæc leviſſima ad Cœlum creata, terrà & plumbo, ideſt ſolicitudinibus ac peccatis onerabitis? *Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis*

(*a*) *Matth. XXV. v.* 41.
(*b*) *Pſalm. LIV. v.* 16.
(*c*) *Matth. XIII. v.* 13. *& ſeq., & Lucæ VIII. v.* 10.
(*d*) *Eccleſiaſtici XXII. v.* 8. *& ſeq.*
(*e*) *Proverb. VI. v.* 9. *&* 10.
(*f*) *Ad Roman. XIII. v.* 12.
(*g*) *Pſalm. IV. v.* 3.

mendacium (*a*)? Annon videtis, quia universa hæc, quæ veluti Idola vobis hactenus confinxistis, *vanitas* sunt, *& vanitas vanitatum* (*b*)? Aspicite, aspicite, quanta in æstate dormientes, maneat hyberno tempore fames! quanta in præsenti seculo non operantes, in futuro tormentorum congeries excipiet! Hæc autem animadvertentes, a somno tamdem consurgite; ne consurgere velitis, cùm non poteritis, vosque lethalis hujus somni pœniteat, quando pœnituisse nil proderit. *Ecce tempus acceptabile* (*c*), ecce dies propitiationis. Ecce quia nos Dominus ad vos misit, ut squammas ab oculis vestris decutiamus, ut vos consurgentes juvemus, ut peccatorum vobis operimenta tollamus. Vobis solùm culpæ adscribetur, si nolueritis surgere; nulla vobis tunc suffragabitur excusatio; excitatores vobis defuisse neutiquam poteritis dicere. Surgite, surgite, & cum alacritate; vestra res agitur; diu nimiùm dormiistis. Num somno marcescere statuistis? Modicum hìc quidem vigilabitis, sed postea in æternæ felicitatis jucundissimo lecto dormietis; quod vobis & nobis concedat omnipotens Dominus. Amen.



HO-

(*a*) *Psalm. IV. v. 3.*
(*b*) *Ecclesiastici I. v. 2.*
(*c*) *II. ad Corinth. VI. v. 2.*

HOMILIA LXXXI.

AD POPULUM BELINZONÆ

DIŒCESIS COMENSIS

Habita Feriâ VI. Dominicæ III. Adventus Ritu Ambrosiano,

ANNO MDLXXXIII. II. DECEMBRIS.



VERE Christi Salvatoris nostri Sponsa est Sancta Mater Ecclesia; nec, quomodo ullus id inficiandi locus relinquatur, agnosco. Unius ambo sunt affectûs, unius ejusdemque voluntatis, idem utriusque studium. Quidquid ille vult, hæc pariter desiderat; quidquid illi displicet, huic etiam horrori est maximo. Nec mirum, cùm illius spiritu ista regatur. *Vult* Dei Filius *omnes homines salvos fieri* (*a*), & id adeò vult atque exoptat, ut etiam sanguine ipso copiosissimè fuso manifestissimè ostenderit. Quos ergo tam vehementer diligit Sponsus, quomodo non ardentissimè amabit èt Sponsa? Quid verò hoc ejus amore clarius, quem & operibus & verbis, singulis horis ac ferme momentis patefacere non cessat? Ut autem opera nunc omittam, verbis certè non parcit, continuò clamans, ac quæ a nobis facienda, quæve fugienda sint, suggerens. Quo fit, ut cùm aliquid nobis maximè necessarium esse cognoverit, id & *opportunè*, & *importunè*, juxta Apostoli monitum (*b*), instanter proponat; nec semel tantùm proposuisse contenta, sæpius etiam, iisdem adhibitis verbis, filiorum suorum auribus inculcare non desinat, ut quamvis ad id reddantur difficiles, sancta tamen quadam importunitatis improbitate convicti adimplere non recusent. O Mater sanctissima, verè Christi Sponsa dulcissima, filia, discipula, quæ singula ejus verba in corde tuo contulisti! Docuit ille te, quantùm hæc importunitas valeat, quàm sit omni eloquentià ac verborum ornatu efficacior, ad exemplum illius, qui tamdem panes,

(*a*) I. ad Timoth. II. v. 4. | (*b*) II. ad Timoth. IV. v. 2.

nes, ut ab ostio recederet, impetravit (*a*). Hæc procul dubio est, filii, causa, cur, cùm præterito die Dominico, in Missæ Sanctissimo Sacrificio, Apostoli vos verbis excitare studuerit, dicens : *Fratres, scientes, quia hora est jam nos de somno surgere* (*b*), idque etiam adhibitâ futuri judicii extremi recordatione, horribilium, quæ illud præcedent, signorum repræsentatione, demum venturi Judicis ante mentis oculos positione, qui de se ipso in Evangelio prædixit, quia *tunc veniet* (*c*); eadem quoque & Epistolæ & Evangelii verba, heri, nudiustertius, & hodie repetierit. Sumus, dilectissimi, nos Christi, & Ecclesiæ Sanctæ Oratores, & ad populos nuncii, nec nisi quæ in mandatis habemus, ad illos eloqui possumus. Ideo, licèt per singulos hos dies hac eâdem de re vobiscum egerimus, hodie quoque breviter quæ dicta sunt recolligendo loquemur; duo illa in primis atque potissimùm verba prægnantia, ac mysteriorum plenissima ponderantes, ex Epistola nimirum *Hora*, ex sacro autem Evangelio *Tunc*, quibus duobus, veluti partibus, brevissimus ad vos noster hic sermo concludetur.

Omnia, dilectissimi, *tempus habent*, *& suis spatiis transeunt universa sub Cœlo. Tempus nascendi, & tempus moriendi. Tempus plantandi, & tempus evellendi quod plantatum est. Tempus occidendi, & tempus sanandi : tempus destruendi, & tempus ædificandi. Tempus flendi, & tempus ridendi. Tempus plangendi, & tempus saltandi. Tempus spargendi lapides, & tempus colligendi. Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus. Tempus acquirendi, & tempus perdendi. Tempus custodiendi, & tempus abjiciendi. Tempus scindendi, & tempus consuendi. Tempus tacendi, & tempus loquendi. Tempus dilectionis, & tempus odii. Tempus belli, & tempus pacis* (*d*). *Omni* denique *negotio tempus est & opportunitas, & multa hominis afflictio : quia ignorat præterita, & futura nullo scire potest nuncio*, ùt idem Ecclesiastes (*e*) alibi optimè admonet. Sed nusquam scriptum reperio, nec vos audivistis, tempus dormiendi, seu tempus spiritualiter desistendi, & a bono cessandi, vel, ùt clariùs dicam, tempus peccandi, quod verè, ùt heri didicistis, dormire est : *Nemini* enim *mandavit Deus impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi. Non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium, & inutilem* (*f*). Inveniam certè ego millies in Scripturis sacris vigilandum esse, & iis, qui dormierint, a somno surgendum, idque omnibus reperiam temporibus, omnibus ætatibus. Verùm,

(*a*) *Lucæ XI. v. 5. & seqq.*
(*b*) *Ad Roman. XIII. v. 11.*
(*c*) *Matth. XXIV. v. 30.*
(*d*) *Ecclesiastes III. v. 1. & seqq.*
(*e*) *Cap. VIII. v. 6. & 7.*
(*f*) *Ecclesiastici XV. v. 21. & 22.*

Verùm, ut omnia paucis perstringam: sit universus hic Mundus, ab Adam ad Judicium, dies unus naturalis horarum vigintiquatuor, nocte constans, & die. Certè ante Christi Domini in carne Adventum, semper nox fuit; ipso verò nascente, Sol justitiæ apparuit, & dies est factus. Duravit nox illa tam multos annos; & verè nox, omnia siquidem illis *in figura* & tenebris *contingebant* (*a*); stellarum tantùm lumen eis fulgebat, nempe Prophetarum, qui pauca aliqua, eaque obscura, & obscurè admodum videbant. At oriens Sol justitiæ, depulsis omnibus tenebris, omnia revelavit, libros aperuit, manifesta omnia fecit, & clarissimum diem induxit. Illis per servos suos Dominus vigilandum esse præcipiebat: Somnolentos Sapiens divino afflatus Spiritu increpabat, dicens: *Usquequò piger dormies* (*b*)? Quantò ergo diligentiùs vigilandum est nobis? Si tunc cùm nox erat, dormire minimè permittebantur, quantò magis nunc, cùm dies est, *hora* est iis, qui dormierunt, a somno surgendi, ad opus festinandi, omnemque dormitationem depellendi? Tolerabilior erat in nocte somnus, quàm die; tolerabiliores fuissent illorum culpæ, quàm nostræ; magis enim eos ignorantia poterat excusare, quàm nos, quibus veritatis Magister adeò dilucidè universam Legem aperuit.

Verè si utrumque tempus & scriptæ Legis & Gratiæ, & veteris Testamenti & novi, & Moysis & Christi, & illorum & nostrûm simul contulerimus, quis non videat, quia, si vigilandi hora tunc fuit, multò magis *hora est jam de somno surgere?* Lex illa timoris plena erat, nil nisi minas continens & pœnas; nostra amoris tota, promissionibus & muneribus affluit. Promittebat illa, promittit hæc; sed quantum distat Ortus ab Occidente, tantum antiquas promissiones, eæ quæ nobis factæ sunt superant; nam terrena dumtaxat illis bona promittebantur, Patria scilicet lacte fluens & melle; beneficia etiam multa a Deo accipiebant, & verè magna, quæ Moyses quoque iisdem exprobrabat, his verbis: *Generatio prava, atque perversa, haeccine reddis Domino, popule stulte, & insipiens? Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te? Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas: interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi, majores tuos, & dicent tibi. Quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israël. Pars autem Domini populus ejus: Jacob funiculus hæreditatis ejus. Invênit eum in terra deserta, in loco horroris,* &

(*a*) *I. ad Corinth. X. v. 11.*

(*b*) *Proverb. VI. v. 9.*

& vastæ solitudinis: circumduxit eum, & docuit: & custodivit quasi pupillam oculi sui. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis. Dominus solus Dux ejus fuit: & non erat cum eo Deus alienus. Constituit eum super excelsam terram: ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Butyrum de armento, & lac de ovibus, cum adipe agnorum, & arietum filiorum Basan: & hircos cum medulla tritici, & sanguinem uvæ biberet meracissimum (a). Pugnavit pro illis pluries eorum Dominus Deus, *& occidit* pro eis *Reges fortes* (b). *Pluit illis in deserto manna* (c), *eduxit eos de Ægypto* (d), *præcessit eos in columna ignis, & nube* (e), *sicco eos vestigio mare fecit pertransire; Pharaonem, & omnes currus ejus demersit in mare* (f), & alia plurima in eos contulit munera; quæ omnia profectò jure optimo postulabant, ut tunc vigilarent, & a peccato desisterent, & *incrassati, impinguati, & dilatati* (prout faciebant) non *recalcitrarent* (g).

Sed heu! quia multò magis jam *hora est* vigilandi, & *de somno surgendi*, cùm multò majora nobis & promittantur, & dentur. Promissiones omnes hac una concludam, quæ ceteras omnes infinitè superat: promittitur nobis Regnum Cœlorum. O qualis est Patria illa! quàm suavi ac pinguiori lacte fluit, & melle! Qui Terram promissam intrabant, adhuc morti erant obnoxii; qui Cœlum adibunt, immortalitate fruentur: illic corpora mille erant infirmitatibus subdita; hìc erunt impassibilia. Sed quid tempus contero? Omnium istic erit bonorum aggregatio, & ab omnibus itidem malis immunitas. Potiùs beneficia in Hebræos collata cum iis, quæ nos accepimus & quotidie experimur, conferte. Profectò nos æquè ac illos eduxit e nihilo, neque in hoc dono discrimen ullum agnoscimus; ratione tamen temporis certè non videbitur modicum, quòd non ipsos, sed nos felicissimis hisce temporibus in lucem prodire voluerit. In Gentium divisione, illos sibi *elegit in populum*, in oculi sui pupillam; *expandit super eos alas, ut Aquila; ipse solus Dux fuit eorum*. Sunt quidem hæc maxima. Verùm, quantò majus reputari debet munus, quòd illos adeò caros & prædilectos, propter nos repudiaverit, & a se rejecerit, ut ad se nos pertraheret? Abstulit ab illis vineam, & locavit aliis agricolis (h), videlicet nobis. Si ergo *tunc*, multò magis *hora est jam nos de somno surgere*.

Illos

(a) *Deuter. XXXII. v. 5. & seqq.*
(b) *Psalm. CXXXIV. v. 10.*
(c) *Psalm. LXXVII. v. 24.*
(d) *Levitic. XXVI. v. 45.*
(e) *Numer. XIV. v. 14.*
(f) *Exodi XV. v. 19.*
(g) *Deuteron. XXXII. v. 15.*
(h) *Matth. XXI. v. 41.*

Illos *constituit super excelsam terram, ut comederent fructus agrorum, butyrum, lac, mel, agnos, arietes*, & hujusmodi (*a*). O quomodo his dapibus multò nobis inferiores illos ostendebat, cùm tam crassis & rudibus cibis eosdem pascens, veluti rusticos servos & terrenos homines, nobis filiis cohæredibus ac dominis delicatiores epulas reservaret! Quàm excelsior terra est Ecclesia Sancta, verè promissionis terra, ab æterno in mente divina concepta, a creationis initio inchoata, a Prophetis Sanctissimis prævisa atque prædicta! Quàm firmior terra hæc *supra* Christum Dei Filium *durissimam petram fundata* (*b*)! Illam expugnaverunt Hebræi, & possederunt; hæc autem adeò est fortis atque munita, ut *adversùs eam portæ inferi prævalere nullatenus possint* (*c*). Et quæ umquam Civitas, tam longos & diuturnos, tam vehementes & rabidos impetus atque insultus sustinuisset, quot ista, quæ a suis primordiis in hunc usque diem semper agitata, semperque fuit oppugnata? Quales verò eadem cibos suppeditat! Non butyrum hic, non mel, non carnes, sed divinæ affluunt consolationes, *quæ exuperant omnem sensum* (*d*); Dei Verbum, Christi denique Corpus & Sanguis ministrantur. Si *tunc* ergo vigilandum, multò magis *hora est jam nos de somno surgere*.

Pugnavit pro illis sæpius Deus, & *occidit* pro eis *Reges fortes* (*e*), & ex ipsis *persequebatur unus mille, & duo fugabant decem millia* (*f*). Sed, bone Deus, quàm diversimodè pugnasti pro nobis! Nam pro illis, e Cœlis, ùt Deus, qui omnia potes, facillimè vèl solo nutu hostes superabas: At pro nobis, tu ipse in arenam descendisti, homo factus arma sumpsisti, Crucis scilicet lignum, & pro nobis tamdem in bello occubuisti, ut morte tua nobis restitueres vitam, & qui in ligno vicerat, in ligno quoque vinceretur. Moriens verò victor remansisti, & veluti alter Samson fortissimus, *plures interfecisti moriens, quàm vivens* (*g*), *exaltatus* enim *a terra, omnia traxisti ad te metipsum* (*h*), & veluti *granum frumenti cadens in terram, fructum multum tulisti* (*i*). Jam verò, nonne *unus* ex Christifidelibus *persequitur mille, & duo fugant decem millia* (*k*)? Duodecim Apostoli, in conspectu Mundi sectatorum vilissimæ conditionis homines, piscatores, rudes, ignari, infirmi, inermes, nonne suis minimè comptis verbis, nullis adhibitis machinis aut tormentis bellicis, universam terram sub-

(*a*) *Deuteron. XXXII. v.* 13. *&* 14.
(*b*) *Matth. VII. v.* 25., *& I. ad Corinth. X. v.* 1.
(*c*) *Matth. XVI. v.* 18.
(*d*) *Ad Philipp. IV. v.* 7.
(*e*) *Psalm. CXXXIV. v.* 10.
(*f*) *Deuteron. XXXII. v.* 30.
(*g*) *Judic. XVI. v.* 30.
(*h*) *Joann. XII. v.* 32.
(*i*) *Ibidem v.* 24. *& seq.*
(*k*) *Deuteron. XXXII. v.* 30.

ſubjugaverunt; innumeros Reges ac populos, integraſque Provincias Chriſti imperio ſubdiderunt? Sed quid illos tantùm commemoro? Nonne quilibet noſtrùm Chriſti Cruci innixus, ipſique Chriſto adhærens, Dæmonum plura millia perſequitur, & turpiſſimæ illos fugæ ſe dedere compellit? O quàm jure igitur, ſi *tunc* illis vigilandum fuit, multò magis *hora eſt jam nos de ſomno ſurgere!*

Illis in deſerto degentibus, ne fame perirent, *pluit manna* de Cœlo *ad manducandum* (*a*), omnem in ſe continens ſaporem; ſed *manducaverunt manna*, *& mortui ſunt* (*b*). O ſuaviſſimum manna, Chriſti Corpus & Sanguis! O delicatiſſime cibe! o potus jucundiſſime! Quàm tu manna illo præſtas, quod nil niſi tuî figura quædam fuit & umbra! Qualem nos in te ſaporum multitudinem reperimus! Egeo ego amariori pœnitentiæ guſtu: te ſuſcipio, & ecce quia pœnitens fio. Egeo miſericordiæ oleo: te ſuſcipio, & ecce quia miſericors fio. Egeo compunctionis vino: te ſuſcipio, & ecce compungor. Tu mihi caro aſſa es caritate; tu mihi elixa benignitate. Sed quid plura? Qui *manducat te*, *ipſe vivet propter te* (*c*), & *mortem non guſtabit in æternum* (*d*), quia tu vita es, & *lignum vitæ in Paradiſi*, hoc eſt Eccleſiæ tuæ Sanctæ *medio plantatum* (*e*). Si ergo illis propter manna *tunc* fuit vigilandum, quantò magis nunc propter te, *hora eſt jam de ſomno ſurgere?*

Eduxit Iſraëlitas Dominus *de Ægypto*, *præcedebat* verò *eos in columna ignis*, *& nube; mare rubrum ſicco* illos *fecit pertranſire veſtigio*, & inſequentem eos *Pharaonem cum* exercitibus, equitibus & *curribus ſuis demerſit in mare*. Hæc autem omnia, quam frequentiùs & præclariùs præſtitit nobis! Ac primùm quidem in peccatis omnes nati, ante Baptiſmum *in Ægypto* ſumus; urget dira originalis peccati, Pharaonicâ multò crudelior, ſervitus; *tranſimus* poſtmodum *per mare* Baptiſmi, & in libertatem adducimur; *demergitur* verò *Pharao*, & peccatum extinguitur. O quam felix tranſitus! Sed etiam quotidie tranſitus hic feliciſſimus nobis contingit: peccamus quotidie, & peccando Ægyptum ingredimur, Pharaonicæ tyrannidi cervices ſubjicimus; & tamen parata ſemper nos *præcedit ignis columna*, *& nubes:* Die quidem nubes, noctu verò columna ignis; in proſperitatibus timor, in adverſitatibus divina protectio; juſtitiæ & miſericordiæ vivifica recordatio: quibus ducibus, lacrymarum & pœnitentiæ

(*a*) *Pſalm. LXXVII. v.* 24.
(*b*) *Joann. VI. v.* 49.
(*c*) *Ibidem v.* 58.
(*d*) *Ibidem VIII. v.* 52.
(*e*) *Geneſ. II. v.* 9.

tiæ mare transimus. Ægyptii verò nos insequentes, nempe Diabolus & peccata cuncta merguntur; & nos exultantes dicere possumus: *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est, equum, & ascensorem dejecit in mare* (*a*): Quòd si *Populus* ille *super litus maris stans, & videns Ægyptios* omnes *mortuos, & manum magnam, quam exercuerat Dominus contra eos, timuit Dominum, & crediderunt Domino* (*b*); heu nos, quibus Dei munere præstitum est, egredi de peccato, si in nos ipsos reversi, juxta litus sedentes, gravem Dei in tam multos peccatores iram consideraremus, super quos induxit fluctus inferni, cùm tamen nos a tantis dignatus sit infortuniis eximere; quantùm timere simul & amare tam benignum Patrem ac Dominum deberemus! Sed quid tanta ego beneficia recenseo; cùm maria omnia minimo vasculo multò facilius sit exhaurire, quàm eorum vèl minimam partem cogitatione, ne dicam oratione complecti? Hoc unum pro certo habeamus, quia si acceptorum beneficiorum gratitudo in causa fuit, ut illi *tunc* vigilarent, multò magis *hora est jam nos de somno surgere*.

Quòd si altera ex parte, omissis aliquamdiu beneficiis, quoniam nempe modo cum Hebræis se gereret Dominus, quo itidem cum nobis agat, perpendamus, facillimum erit agnoscere, quia *hora jam est* potissimùm *de somno surgere*; illos enim statim peccantes, veluti servos acerbissimè puniebat. *Petierant illi escas animabus suis* (*c*), manna fastidientes, & *pluit illis* coturnices, & *carnes, sicut pulverem, & sicut arenam maris volatilia pennata. Et ceciderunt in medio castrorùm eorum, circa tabernacula eorum. Et manducaverunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis: non sunt fraudati a desiderio suo. Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum: & ira Dei ascendit super eos. Et occidit pingues eorum, & electos Israël impedivit* (*d*): Fornicati sunt quidam ex ipsis, & ceciderunt una die vigintiquatuor millia (*e*): *Tentaverunt* ipsi Deum, *& a serpentibus perierunt: murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore* (*f*). Absque venia denique eorum delicta puniebantur. O nos miserrimos, si hoc modo ageretur nobiscum! Quoties plurimi nostrûm lapidati fuissemus, occisi, dispersi! Expectat nos Dominus, sustinet, vocat, revocat, blanditur, minatur, flagellat, consolatur, differt iram suam, & omnibus nos viis ad pœnitentiam conatur reducere.

(*a*) *Exod. XV. v.* 1.
(*b*) *Ibidem XIV. v.* 31.
(*c*) *Psalm. LXXVII. v.* 18.
(*d*) *Ibidem v.* 27. *& seqq.*
(*e*) *Numer. XXV. v.* 9.
(*f*) *I. ad Corinth. X. v.* 9. *&* 10.

Quantò magis igitur *jam*, quàm *tunc*, *hora est nos de somno surgere?*

Nos ii sumus, quos in eorum locum ad nuptias cœlestis ille Pater-familias invitare dignatus est, quibusque nunciari suo nomine fecit: *ecce prandium meum paravi, tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata: venite ad nuptias* (*a*). Christus Filius meus, tamdiu expectatus Messias, Mundi Redemptor jam advènit: Hostia pro vobis oblata est, pro vobis ipse passus; vobis reconciliatus est Deus. Jam fundata Ecclesia, instituta Sacramenta, aperti gratiarum thesauri, Cœlorum januæ reseratæ: Jam *prava* conversa *in directa*, *& aspera in vias planas* (*b*); victus Dæmon, peccati fomes debilitatus, vires ad operandum vobis auctæ: Jam parare vobis locum Christus præivit, quò innumera præcesserunt Sanctorum millia. Quid ergo ultra dormitis, cùm est ad nuptias intrandum? Cur, si vigilarunt illi *tunc*, quibus hæc concessa minimè fuerunt, non multò magis *hora* nunc *est jam vos de somno surgere? Surgite* igitur *postquam sederitis, qui manducatis panem doloris* (*c*).

Habet vastam hanc vineam, scilicet Mundum, magnus *Pater-familias* Deus: In eam *exiit* pluribus horis *conducere operarios*; eodem tamen omnibus proposito *denario diurno*, eâdem scilicet felicitate æterna. *Exiit summo mane*, exiit *circa horam tertiam*, *circa sextam*, *& circa undecimam* (*d*). Cur igitur nos, qui novissimi omnium sumus ad laborandum vocati, idem, quod illi, *qui pondus diei portaverunt & æstûs*, recepturi præmium, ac *pares illis facti* (*e*), dormire audebimus? Quòd si qui *tunc*, tanto ante nos tempore ad opus accesserunt, vigilare compulsi sunt, nec in foro *otiosi sedere* permissi (*f*); heu agnoscite, quia multò magis *hora est jam nos de somno surgere!*

Verùm nemini video dubitandi locum relinqui, quin hæc, quæ diximus, sint meridiano Sole clariora; nec mihi jam cum Hebræis est quidquam agendum, quales hìc nullos aspicio, sed vobis tantùm Christi sequacibus loquimur. Vos ergo ipsos vobiscum conferte, præsentem statum vestrum & vitam præteritæ comparate: *Eratis aliquando filii tenebrarum*; peccatis immersi, quò iretis nesciebatis; *nunc autem* depulsa nocte, *lux estis in Domino* (*g*). Eratis aliquando vestrùm nonnulli fornicarii, ventri & voluptatibus dediti, illicitis contractibus irretiti, idololatræ, [avaritia enim idolo-

(*a*) *Matth. XXII. v.* 4.
(*b*) *Lucæ III. v.* 5.
(*c*) *Psalm. CXXVI. v.* 2.
(*d*) *Matth. XX. v.* 1. *& seqq.*
(*e*) *Ibidem v.* 12.
(*f*) *Ibidem v.* 6.
(*g*) *Ad Ephes. V. v.* 8.

idolorum eſt ſervitus (*a*)], dies integros crapulis & commeſſationibus inſumebatis, ebrioſi, maledici, in Dæmonis tamdem poteſtate conſtituti. *Hæc* omnia *fuiſtis, nunc verò abluti eſtis, ſanctificati eſtis, juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri* (*b*). De vobis nos gaudentes dicere poſſumus, quia *populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis* (*c*). Placuit tamdem Altiſſimo, vos e Cœlis aſpicere, & illuminare corda veſtra: Si ergo *exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem. Cùm enim ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ. Quem ergo fructum habuiſtis TUNC in illis, in quibus NUNC erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt. Nunc verò liberati a peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam* (*d*). Quòd ſi *tunc* in peccatis veſtris dormiſtis & dormitaſtis, *ſufficit* jam *præteritum tempus ad voluntatem Gentium conſummandam* (ut vobiſcum Principis Apoſtolorum Petri verbis agam): Diu nimiùm ambulaſtis *in luxuriis, deſideriis, vinolentiis, commeſſationibus, potationibus, & illicitis* (*e*). Eſtote itaque jam prudentes, & vigilate, quia *jam* potiſſimùm, cùm lux vobis cœleſtis illuxerit, cùm commoti fueritis univerſi, cùm præteritum ſtatum agnoveritis, *hora eſt vos de ſomno ſurgere.*

Sed utinam aliqui non ſint inter vos (quales in Mundo ſunt plurimi) qui totum matutinum tempus dormire ſtatuant, imo totum diem; & veſpere ſolùm a lecto ſurgere cogitent! Dicam apertiùs, qui totum juventutis & florentis tempus ætatis peccatorum ſomno & negligentiis tradant, reſipiſcentiam verò ac pœnitentiam in ſenectutem differant. Temerarii profectò homines, qui id ſibi præſumunt promittere, cujus nullam poſſunt habere certitudinem; quaſi non *tamquam fur mors*, quando minus putatur, *accedat* (*f*). Et quamvis ſe ad ſeros annos perventuros certò ſcirent, ac firmiſſimè crederent, ingratiſſimi tamen habendi eſſent, utpote qui Deo totius vitæ & bonorum omnium auctori, a quo creati ſunt & redempti, viliorem vitæ ſuæ partem ac fæcem dare diſponerent, nobiliorem verò atque potiorem perfido Dæmoni, Mundo, aut Carni conſecrarent. Quomodo hoc eorum ſacrificium Deo fore acceptum exiſtiment, qui de omnibus primitias ſibi poſtula-

(*a*) *Ad Epheſ. V. v. 5.*
(*b*) *I. ad Corinth. VI. v. 11.*
(*c*) *Iſaiæ IX. v. 2.*
(*d*) *Ad Roman. VI. v. 19. & ſeqq.*
(*e*) *I. Petr. IV. v. 3.*
(*f*) *Apocal. III. v. 3. & XVI. v. 15.*

tulabat offerri, ſcilicet de frugibus, de agnis, de maſculis denique (*a*); cùm ipſi e converſo primitias ætatis ſuæ Dæmoni ſolvant, reliquum verò Deo reſervent? Equidem quas pro hoc gratias illis habeat Dominus, cùm tunc peccare non ipſi deſiſtant, ſed a peccato deſerantur? Quid mirum autem, ſi quis cùm tota die dormierit, ſomnum faſtidiens accedente noćte, dormire nequeat, ſed ad vigiliam cogatur? Nec talpæ ipſæ, aut glires continuò dormiunt. Ignari profećtò, & inſipientes! Sinunt, peccata in eorum mentibus altiſſimas agere radices, plagas converti in ulcus, vitia in naturam, habitus peſſimos formari, ac veluti viliſſimæ ſimiæ callum contrahunt; & poſtmodum pravas conſuetudines tolli ſtatim poſſe præſumunt. Heu, quia difficile nimiùm ac miraculo proximum eſt, eum, qui juvenilibus annis totum ſe peccatis tribuerit, in ſenećtute reſipiſcere! Plures mortuos Chriſtus Dominus facilè ſuſcitavit; ſed quare Lazarum ſuſcitaturus ingemuit, & *infremuit ſpiritu*, & *turbavit ſemetipſum* (*b*), niſi quia quatriduanus erat & fœtidus, niſi quia conſuetudinarium peccatorem, & ſenem *inveteratum dierum malorum* (*c*) ſignificabat? *Hodie*, hodie (clamat Dominus) *ſi vocem ejus audieritis* (*d*) qui neſcitis, an cras ſitis victuri, hodie reſipiſcite, hodie pœnitentiam agite: Arduum profećtò vobis *tunc* erit a ſomno conſurgere, ideo *nunc* evigilate, quia *hora eſt jam vos de ſomno ſurgere*.

Quod ſi ad ſenećtutem non eſt protrahenda pœnitentia, quantò minus ad mortem? Et tamen plurimi ſunt, qui incidunt in hunc errorem: Tunc, inquiunt, ingemiſcam peccata mea, tunc ſupplex a Domino veniam poſtulabo, qui pius eſt, & *multus ad ignoſcendum* (*e*); tunc pia legata diſponendo, peccata mea redimam. Verè miſerandi juvenes, qui non cogitant, quia, niſi ſe nunc exerceant ad pugnam, cùm in arenam deſcenderint, antiquiſſimis & expertiſſimis hoſtibus reſiſtere non valebunt. Tota vita præſens, eſt gymnaſium, in quo nihil aliud diſcendum eſt, niſi bene mori. Quomodo hoc ergo tunc ſcient, qui id numquam didicerint? Præterquamquod aliæ tunc erunt moribundis cogitationes, aliæ curæ, aliæ ſolicitudines, quæ illos & ſui, & Dei ferè oblivíſci compellent. O quales tunc erunt motus, quales perturbationes, qualis & quàm profundus ſomnus, etiam quandoque corporis! Sic accidet, filii, juſto id Dei exigente judicio; quod enim ipſe-

(*a*) *Exod. XXII. v.29. & 30.*
(*b*) *Joann. XI. v. 33.*
(*c*) *Daniel. XIII. v. 52.*
(*d*) *Pſalm. XCIV. v. 8.*
(*e*) *Iſaiæ LV. v. 7.*

ipſemet Dominus multò ante eſt comminatus, tunc impleri permittet: *Quia vocavi*, inquit, *& renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id, quod timebatis, advenerit* (*a*). Tunc erit difficile nimiùm, o filii, oculos in Cœlum tollere, quos morbi vis ad terram deprimet, tunc mens ad cœleſtia elevari vix poterit, quam defatigabit corporis ægritudo. Acerrimè tunc Dæmones bellum inſtruent, cùm breve tempus ſibi ipſis ſupereſſe cognoſcent. *Jam*, filii, *hora eſt de ſomno ſurgere;* hora eſt, peccata deflendi, virtutes amplectendi, ſeque ad mortem diſponendi. Jam hora eſt, ut Cœlum comparemus, Inferni pœnas effugiamus: Hora eſt, ut vigiliis & laboribus incumbamus, non deſidiæ, non ocio, non ſomno.

Væ illis, atque iterum væ, quos mors dormientes invenerit! Felices autem illos, quos *vigilantes Dominus, cùm veniet, repererit* (*b*)! *Amen dico vobis, quia ſuper omnia bona ſua conſtituet eos* (*c*). *Jam* hora eſt inſtanter operandi; *tunc* verò laborum erit merces recipienda: *Jam* in terram jacienda ſunt ſemina, *tunc* meſſis colligetur: *Jam* parandi cibi, *tunc* comedendi: Pœnitentiæ hora *jam* eſt, *tunc* verò ſalutis. Venit toties in vos Chriſtus, pius, benignus, & humilis; ſed *tunc* veniet, ùt fulgur, in majeſtate magna (*d*), terribilis, atque tremendus. Miſerendi nunc eſt hora; tunc ad exercendam dumtaxat juſtitiam atque vindictam accedet. *Hæc eſt hora veſtra* (*e*), qua ad voluntatis arbitrium uti poteſtis; tunc verò *dies erit Domini* (*f*) magnus, quo nil poteritis ad libitum facere. Verè *hora* hæc eſt, verè *tunc* illud; *hora* hæc, quia omnia hæc vita adinſtar eſt horæ, & minimi puncti, *tunc* verò illud, erit perpetuum; dies erit longiſſimus, neſciens veſperam. Si ergo in hora hac Dominus quodammodo nobis obedire paratus eſt, ſi flecti ſe a nobis permittit; cur non iram flectimus vindicem; cur in tempus illud pœnitere differimus, cùm implacabilis ejus ira prodibit? Tunc æternum erit *Sabbatum*; hora nunc eſt, ut manna in illud colligamus (*g*): Tunc æternus erit *annus Jubilei* (*h*), quo terra requieſcet, nec fructus ullos producet; jam hora eſt eam ſeminandi, atque in illum fruges colligendi: Tunc *anni* erunt *ſterilitatis* (*i*) æternæ; jam hora eſt frumenta parandi.

Surga-

(*a*) *Proverb. I. v. 24. & ſeqq.*
(*b*) *Lucæ XII. v. 37.*
(*c*) *Matth. XXIV. v. 47.*
(*d*) *Ibidem v. 27. & 30.*
(*e*) *Lucæ XXII. v. 53.*
(*f*) *Iſaiæ XIII. v. 6. & 9.*
(*g*) *Exodi XVI. v. 25. & 26.*
(*h*) *Levitici XXV. v. 11.*
(*i*) *Geneſ. XLI. v. 30.*

Surgamus ergo omnes, dilectissimi, quia *jam hora est de somno surgere*. Excutiamus somnum, membra omnia commoveantur: Imitemur generosum & promptè impletum propositum illius Juvenis, qui Antonii Eremitæ sanctissimi Vitam fortuitò legens, & relicto Nebridio socio, seorsum cum alio secedens, *subitò repletus amore sancto, sobrioque pudore, iratus ita sibi, conjecit oculos in amicum, & ait illi: Dic, quæso te: Omnibus istis laboribus nostris quò ambimus pervenire? quid quærimus? cujus rei causà militamus? Major-ne esse poterit spes nostra in palatio, quàm ut amici Imperatoris simus? Et ibi, quid non fragile, plenumque periculis? & per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? Et quamdiu istud erit? Amicus autem Dei, si voluero, ecce nunc fio*. Tunc infremuit aliquantulum, & discrevit decrevitque meliora: *Ego*, dicens, *jam abrupi me ab illa spe nostra, & Deo servire statui; & hoc ex hora hac, in hoc loco aggredior* (*a*). Non aggrediar, dixit, aut faciam, cùm primùm ad Civitatem rediero, cùm senior evascro, cùm Mundi voluptatibus aliquamdiu vacavero: Non certè; sed *jam*, in hoc momento temporis, *in hoc loco aggredior*. O te felicissimum, prudentissime Juvenis! Quando nomen tuum mihi non innotuit, quisquis es tamen, constantissimus fuisti, & maximi animi; qui tam citò tantaque docilitate, unico vale omnibus dicto, soli Deo adhæsisti.

Egregia hæc sunt, filii, exempla, memoriæ commendanda, ac deprædicanda: Hæc ambire licet, hæc æmulari. Cur adhuc statis? Cur non consurgitis, vosque in terram prosternitis, conversi ad Dei Filium, quem ibi in Cruce brachiis extensis pendentem animadvertitis? Cur non clamatis: *Exurge Domine, adjuva nos, & redime nos propter nomen tuum* (*b*)? *Exurge*, quia, nisi exurgens nobis manum porrexeris, consurgere nos minimè possumus. *Exurge Domine*, quia hora est jam de somno surgendi, *& ne repellas in finem* (*c*), quia tunc nullus erit misericordiæ locus; quia *si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit* (*d*). Sed *video* ego, dilectissimi filii, *Dominum Jesum stantem a dextris virtutis Dei* (*e*), & vobis *in manu potenti, & brachio excelso* (*f*) paratum succurrere, modò vos etiam surgatis, ac a somno evigiletis; quia *hora* est jam evigilandi, ut, cùm Dominus ad judicandum vos singulos venerit, *tunc* possitis *in pace in idipsum dormire* (*g*): quod utinam nobis omnibus concedat Dei infinita benignitas! Amen.

HO-

(*a*) Refert hanc historiam Sanctus Augustinus Libr. VIII. Confession. Cap. VI.
(*b*) *Psalm. XLIII. v. 26.*
(*c*) *Ibidem v. 23.*
(*d*) *Ecclesiastes XI. v. 3.*
(*e*) *Act. Apost. VII. v. 55.*
(*f*) *Psalm. CXXXV. v. 12.*
(*g*) *Psalm. IV. v. 9.*

HOMILIA LXXXII.

AD POPULUM BELINZONÆ

DIŒCESIS COMENSIS

Habita Dominica IV. Adventus Ritu Ambrosiano,

ANNO MDLXXXIII. IV. DECEMBRIS.



UM Sacrosancta Mater Ecclesia nos præparat ad Christum venturum, ad eumque corda nostra dirigere satagit, hoc præsertim sacratissimo Dominici Adventûs tempore, proponit hodie Joannis Baptistæ, Verbi Dei Præcursoris, studiosum officium, quo discipulos suos ad Christum mira arte præparare curavit. Detinebatur ipse in carcere, *in vinculis*; morti erat proximus, & capite obtruncato lucis hujus usurâ brevi privandus: Nec tamen officii hujus obliviscitur, imo de Discipulorum salute magis, quàm de propria vita solicitus anxiusque, *duos* ex iisdem ad verum Messiam *mittit* (*a*). Instat, dilectissimi filii, Visitationis hujusce finis; debitores ideo nos esse cognoscimus vobis, ut nihil eorum omittamus, quibus vos ad Dominum Deum nostrum, qui præcipuus fuit laborum omnium nostrorum scopus, dirigamus. Imitabimur igitur hodie, Verbi Divini panem vobis ministrantes, Præcursoris Christi officium, cujus èt nos dici possumus Præcursores.

Duo præcipuè continet hodiernum Evangelium; primò Joannis Baptistæ ad Christum missionem, ejusque responsum; secundò autem, mirum Christi Domini encomium de eodem Joanne Baptista. Ut verò de primo loquamur: Detinebatur Joannes in carcere; qua autem de causa, jam compertum est omnibus. Impius Herodes fratris sui uxorem duxerat; atque ideo in adulterio & incestu versabatur. Joannem *zelus domûs Dei comederat* (*b*); quam-

(*a*) *Matth. XI. v. 2.*

(*b*) *Psalm. LXVIII. v. 10.*

quamobrem *in ſpiritu & virtute Eliæ* (*a*) veniſſe dicebatur, eò quòd ardentiſſimum illius zelum imitaretur. Videbat ergo peccantem Principem, nec ferre poterat tantam Dei offenſam; idcirco arguere ipſum minimè ceſſabat, dicens: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui* (*b*). Veritas odium pariebat: Ideo ille indignatus, Joannem mitti jubet in carcerem, quem etiam, inſtigante adultera, capite plecti mandavit.

In his ergo vinculis Joannes cùm detineretur, audivit a diſcipulis fortè, aut ab aliis, mira Chriſti Domini opera (*c*). Magna ſanè hìc oritur admirationis cauſa, ſi hodierni Evangelii ultima verba conjungamus his primis. Dicit in fine Chriſtus Dei Filius, qui eſt infallibilis veritas, de Joanne, eum ceteris eſſe præferendum, tum ob conſtantiam & fortitudinem, ob quam non eſſet ſicut *arundo vento agitata* (*d*), tum ob vitæ auſteritatem; ideoque eum *Prophetam*, & *pluſquam Prophetam*, & etiam *Angelum* vocat (*e*).

Si talis ergo & tam ſanctus eſt Joannes, prout illum fuiſſe dubitare non licet, cur impiorum more detinetur *in vinculis*, torquetur, capite plectitur, morte damnatur? Nonne hæc ſceleſtis & facinoroſis hominibus debebantur? Quare igitur juſtiſſimo huic & innocentiſſimo irrogantur? Hæc conditionis diſparitas ſolicitos admodum reddidit veteris Teſtamenti Patres, imo èt magnæ illis quandoque viſa fuit tentationis cauſa. Audiamus, quomodo Job ſanctiſſimus, adeò in bonis & in corpore afflictus loquatur: *Audite, quæſo, ſermones meos, & agite pœnitentiam. Suſtinete me, ut èt ego loquar, & poſt mea, ſi videbitur verba ridete. Attendite me, & obſtupeſcite, & ſuperponite digitum ori veſtro: Et ego quando recordatus fuero, pertimeſco, & concutit carnem meam tremor* (*f*). Sed cur tantam a nobis attentionem expoſtulas Vir patientiſſime, aut quæ tibi tanti tremoris eſt cauſa? Loquere, ut percipiamus. Ecce quid ſubdat: *Quare ergo impii vivunt, ſublevati ſunt, confortatique divitiis? Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba & nepotum in conſpectu eorum. Domus eorum ſecuræ ſunt & pacatæ, & non eſt virga Dei ſuper illos. Bos eorum concepit, & non abortivit: vacca peperit, & non eſt privata fœtu ſuo. Egrediuntur quaſi greges parvuli eorum, & infantes eorum exultant luſibus. Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad ſonitum organi. Ducunt in bonis dies ſuos* (*g*).

Da-

(*a*) *Luc. I. v.* 17.
(*b*) *Marc. VI. v.* 18.
(*c*) *Matth. XI. v.* 2.
(*d*) *Ibidem v.* 7.
(*e*) *Ibidem v.* 9. & 10.
(*f*) *Job XXI. v.* 2. & *ſeqq.*
(*g*) *Ibidem v.* 7. & *ſeqq.*

David Propheta secundùm cor Dei, hæc similiter perpendens, impiis adhærere quasi cogitabat, eosque sequi; illorum considerans felicitatem, & quomodo pauperes & justos opprimant. Ideoque licèt tamquam perfectus, Dei in omnibus prædicandam agnosceret bonitatem, omniaque in justorum cedere utilitatem, dicens: *Quàm bonus Israël Deus his, qui recto sunt corde!* (*a*); attamen, veluti infirmior atque imbecillior, addebat: *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei* (*b*), idest affectus & concupiscentia mea *moti sunt pene*; & *gressus mei*, nempe cogitatio & intentio mea, quasi *effusi sunt*, & a rectitudine deflexerunt; videlicet quasi effusi sunt ad malos homines imitandos: *Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns* (*c*); cum indignatione & invidia æmulatus sum *super iniquos*, tentatus fui sequi peccatores & iniquos, *videns pacem* & quietem, ac prosperitatem eorum, *quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum* (*d*), quamdiu vivunt; & si aliquando infirmitatem aut *plagam* aliquam patiuntur, *non est* tamen *firmamentum*, nec duratio *in plaga eorum*, quia citò liberantur a quacumque adversitate. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur* (*e*), quia communibus hominum laboribus subjici non videntur; a consuetis ceterorum afflictionibus & calamitatibus immunes, & a communi vita ac miseria apparent exempti. *Ideo tenuit eos superbia: operti sunt iniquitate, & impietate sua. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis* (*f*). Deum super se habere non putant; ideo repleti & vallati sunt *iniquitate* & injustitia, *& impietate* contra pauperes & justos, eos vexando, affligendo, expoliando, & opprimendo. *Cogitaverunt, & locuti sunt nequitiam, iniquitatem in excelso locuti sunt. Posuerunt in Cœlum os suum: & lingua eorum transivit in terra* (*g*). Nonne *cogitavit nequitiam* Herodes, cùm de sanctissimo Viro in carcerem trudendo deliberavit? Nonne *iniquitatem in excelso locutus est*, cùm id fieri mandavit? Sed nonne etiam *in Cœlum posuit os suum*, cùm ministris dixit: ite, & præcidite caput illius? O mirabile dictu! Verè non sine causa David pene prolabitur, & commovetur. Magnum sanè est, impiis tam multa bona concedi, & super illos quodammodo Dei virgam minimè extendi. Sed quantò est majus atque horribilius, ipsos sua hac sorte non

(*a*) *Psalm. LXXII. v. 1.*
(*b*) *Ibidem v. 2.*
(*c*) *Ibidem v. 3.*
(*d*) *Ibidem v. 4.*
(*e*) *Psalm. LXXII. v. 5.*
(*f*) *Ibidem v. 6. & 7.*
(*g*) *Ibidem v. 8. & 9.*

contentos, audere illos opprimere, quorum *digni non sunt solvere corrigiam calceamenti* (*a*)!

Verè onus hoc videbatur intolerabile Habacuc Prophetæ, qui suam sic aggressus est visionem: *Onus, quod vidit Habacuc Propheta;* nam quemadmodum *onus* hominibus asperum est, atque ad ferendum difficile, imo etiam non sine horrore ac fastidio respicitur; ita grave erat huic Prophetæ quod videbat. *Usquequò Domine clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non salvabis? Quare ostendisti mihi iniquitatem & laborem, videre prædam & injustitiam contra me* (*b*)? *Quare respicis super iniqua agentes, & taces, devorante impio justiorem se? Et facies homines, quasi pisces maris, & quasi reptile non habens principem* (*c*). *Et factum est judicium, & contradictio potentior. Propter hoc lacerata est lex, & non pervênit usque ad finem judicium: quia impius prævalet adversùs justum, propterea egreditur judicium perversum* (*d*).

O, quid dicturi fuissent Job, & David, Habacuc, & Jeremias (*e*), qui etiam ipse hoc admirabatur, si, quæ Joanni post acciderunt, vidissent! Erat hic, antequam nasceretur, ab Angelo prænunciatus, a Prophetis prædictus, prævio miraculo natus, in utero sanctificatus, nullo umquam peccato fœdatus; acerbissimam vitam duxerat: Et tamen carceri traditur, alligatur, occiditur. Herodes verò Idololatra, scelestus, Deo rebellis, adulter, impius, incestuosus, Regno fruitur, dives est ac potens, lautè epulatur, gaudet, exultat.

Nec, cùm priora illa tempora animadverto, nimiùm obstupeo, quòd super his illi adeò mirarentur; nam videbatur Deus tunc temporis, bona quæcumque fiebant, temporalibus donis, divitiis nempe ac prædiorum possessione remunerari. Hinc tot divina promissa & comminationes, quæ terrena tantummodo munera & pœnas comprehendebant. Legem Dei servantibus divitiæ, vitæ longitudo atque prosperitas, frugum abundantia, patria lacte & melle fluens promittebantur: E converso transgressoribus eorum omnium privatio minarum terrore indicebatur. Hæc qui fusiùs videre desiderat, apud Deuteronomium inveniet (*f*). Cùm ergo Deum Patres illi antiqui, justissimum esse non dubitarent, & *justitiam ac judicium esse præparationem sedis ejus* (*g*), mirabantur, cur promissis stare non

(*a*) *Joann. I. v. 27.*
(*b*) *Habac. I. v. 1. & seqq.*
(*c*) *Ibidem v. 13. & seq.*
(*d*) *Ibidem v. 3. & 4.*
(*e*) *Jerem. XII. v. 1. & seqq.*
(*f*) *Deuteron. XXVIII.*
(*g*) *Psalm. LXXXVIII. v. 15.*

non videretur, quoniam legi Dei obtemperantes iis subdebantur maledictionibus, quæ in transgressores fuerant latæ; isti autem illorum fruebantur benedictionibus. Idcirco ajebat David: *Existimabam, ut cognoscerem hoc, labor est ante me*, (ecce onus Habacuc), *donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in novissimis eorum* (*a*). Hæc erat magnæ illius controversiæ manifesta solutio, utrorumque considerare *novissima*; finis namque, quale cujusque sit opus, apertissimè ostendit.

Sed cessat in novo Testamento omnis hæc admiratio. Diluit omnem hanc dubitationem Christus Dei Filius, veniens in Mundum. Quis ipso sanctior, quis innocentior, qui *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (*b*), qui erat Dei Verbum, sanctitas ipsa, ac sanctitatis fons & origo? Quis tamen ipso pauperior, qui *nec ubi caput reclinaret habuit* umquam (*c*), qui in stabulo inter jumenta est natus, & in Cruce nudus inter latrones mortuus? Quis ipso magis afflictus; quis majores umquam pertulit persecutiones, quem discipuli ipsi dereliquerunt, unus ex iisdem prodidit, Judæi verò ingratissimi filii, in quos tam multa contulerat beneficia, crucifigi petierunt? Quis crudeliorem atque turpiorem mortem ipso passus est? Cesset ergo omnis admiratio, quia non jam ampliùs obsunt tribulationes, sed prosunt; non amaræ jam sunt, sed dulces; non respuendæ, sed amplectendæ; non malis hominibus, sed justis atque electis Dei tamquam propriæ irrogantur: Sanctificavit eas Dei Filius in corpore suo.

Eliseus lignum in aquas amaras mittens, dulces eas reddidit (*d*); farinæ pulmento coloquintidarum amaritudinem abstulit (*e*): Quantò magis Christus, tribulationibus & cruciatibus totus immersus, eas potuit dulces efficere? Fuerunt quidem ei amarissimæ; neque enim Divinitas dolorem abstulit Humanitati, unde hæc in Cruce clamabat: *Deus, Deus meus quare me dereliquisti?* (*f*): Sed omnem ipse amaritudinem absorbuit, ut nobis relinqueret dulcedinem secundus hic Adam Christus; in hoc quoque a primo dissimilis, quòd iste dulce sibi pomum comedens, tantam in nos transfudit amaritudinem, uvisque acerbis vescens effecit, ut *dentes omnium nostrûm obstupescerent* (*g*). Dulces igitur fuerunt lapides torrentis Ste-

(*a*) Psalm. LXXII. v. 16. & 17.
(*b*) I. Petr. II. v. 22.
(*c*) Matth. VIII. v. 20. & Luc. IX. v. 58.
(*d*) IV. Reg. II. v. 21.
(*e*) Ibidem IV. v. 41.
(*f*) Psalm. XXI. v. 2.
(*g*) Jerem. XXXI. v. 29.

Stephano, prunæ Laurentio, ſagittæ Sebaſtiano: dulces cruciatus Martyribus; dulcia etiam hodie vincula, ac mors Joanni Baptiſtæ: ſequebantur enim Ducem ſuum optimi milites, Magiſtrum diſcipuli, quos ſupra ipſum eſſe dedecebat. *Ibant* idcirco *Apoſtoli gaudentes a conſpectu concilii, quoniam digni habiti erant pro nomine Jeſu contumeliam pati* (*a*). Equidem noſcebant illi hæc, quæ Mundus horret & caro, ſemina veluti eſſe æternæ gloriæ, ac felicitatis perpetuæ; proinde, licèt *irent, & flerent, mittentes ſemina ſua*; ſciebant tamen, ſe *venturos, & cum exultatione laturos manipulos ſuos* (*b*): Qua veriſſima conſideratione ſe ipſum conſolabatur etiam Apoſtolus, inquiens: *Momentaneum hoc, & leve tribulationis, æternum gloriæ pondus operatur in nobis* (*c*).

Nec antiquos illos Patres dubitaſſe putandum eſt, quin juſtiſſimus Dominus, quos in hac vita bonis operibus incumbentes, non remunerabatur, alibi eſſet ipſis abundè retributurus; ſicut èt impiis debitas pœnas redditurus. Et hoc eſt, quod David *in novissimis eorum* (*d*) ſe intellecturum dicebat; & Job quoque finem eorum commemorabat (*e*). Ex quo vos, dilectiſſimi filii, ſi quando adverſa ingruunt, ac tunc Dominus dormire ſimulat, imo veſtrì oblitus videtur, maximum inde gaudium percipere debetis, ſcientes, quia, non Hebræorum aut carnalium more, terrena nobis hic ſunt a Deo poſtulanda, aut expectanda; ſed altiùs mens dirigenda, nobilioribus aſpirandum: Major enim eſt Chriſtianorum, quàm illorum perfectio; nec nos adeò ingenuos & nobiles, tam vilibus ac corruptibilibus bonis decet eſſe contentos.

Gaudebat ergo Joannes in vinculis & carcere, in quem, ob veritatem liberè prolatam, erat detruſus. Proh Deum immortalem! Et quæ eſt iſthæc hominum dementia, imo phrænesis? Veritas eſt margarita pretioſa, theſaurus incomparabilis, fons occluſus: Tanta eſt ejus penuria, præſertim in Principum aulis atque palatiis, qui nulla re æquè egent, ac ſincero aliquo Familiari, qui vera illis ſuggerat, prout in animo ſentit. Quando tamen in quempiam inciderint hujuſmodi, tantum abeſt, ut eum benignè complectantur, quin potius illum ſtatim faſtidiunt, ejiciunt, explodunt, & quandoque peſſimè afficiunt. Herodes Regia dignitate indigniſſimus, veritatis audiendæ indigentiſſimus, acceperat a Deo Joannem Baptiſtam; & videte, quomodo illi *retribuerit mala pro bonis, & odium pro dilectione* (*f*). Hic

(*a*) *Act. Apoſt. V. v.* 41.
(*b*) *Pſalm. CXXV. v. 6.*
(*c*) *II. ad Corinth. IV. v.* 17.
(*d*) *Pſalm. LXXII. v.* 17.
(*e*) *Job VI. v.* 11.
(*f*) *Pſalm. XXXIV. v.* 12.

Hic eſt ſupremus peccatorum omnium cumulus, hæc ſpiritualium omnium ægritudinum graviſſima, cùm in eam quis incidit phrænefim, ut non modò peccet, non ſolùm mores non emendet, atque in peccato perſiſtat; ſed nec emendare velit, imo arguentes oderit, remedia fugiat, medicos perſequatur, ipſis detrahat, eos dilaceret, ac deterrimè habeat. O maledictum hominum genus, qui ſunt verè *genimina* ſerpentum & *viperarum* (*a*)! Occidit (ajunt) vipera naſcens matrem, a qua vitam accepit: Occidunt hi, odio proſequuntur, atque dilacerant Sacerdotes, eoſque omnes, qui in id potiſſimùm incumbunt, ut illos regenerent, ac Chriſto parturiant. Sic ingratiſſimi Judæi, Scribæ, & Phariſæi ſæviebant in Chriſtum, ſic proditor Judas ſeſe geſſit in Magiſtrum, a quo, ſupra omne meritum, ad tam ſublimem fuerat Apoſtolatûs apicem elatus, ac *de ſtercore erectus*, *inter* Orbis terræ *Principes collocatus* (*b*). Utinam multos hujus generis homines noſtra hæc tempora non ferrent! Non dico jam Principes ſolùm, & Rerumpublicarum, Civitatum, Oppidorumve adminiſtratores, qui, ſi Sacerdotes pro munere ſuo liberè dicentes audierint, non licere illis, ſeſe negotiis Sacerdotii ingerere; non violandas ab ipſis eſſe Eccleſiaſticas leges; ſecus ſi faxint, cenſuris eoſdem graviſſimis protinus innodari: illos ſtatim habent exoſos, & quos venerari debuiſſent, eorumque veſtigia linguis lambere, affligere & perſequi non deſiſtunt. Non de his, inquam, ſolummodo loquor, quales tamen multos (proh dolor!) ſuffert hæc ætas: Sed quot hujuſmodi, inter privatos etiam homines, reperire facillimum eſt, qui, ut in peccatis perſeverent, ſerpentum more incantatori aures occludunt (*c*); renuunt ad conciones ſe conferre; Doctrinæ Chriſtianæ Scholas, pioſque conventus negligunt, ne propria vitia audiant reprehendi, qui *aures cùm habeant*, *audire* tamen nolunt, & *oculos habentes*, *videre* recuſant (*d*), ut inexcuſabilis coram Deo ſit illorum malitia? de quibus Amos dicebat: *Odio habuerunt corripientem in porta*, & *loquentem perfectè abominati ſunt* (*e*). Verè, dilectiſſimi filii, mala tempora hæc ſunt, imo peſſima, quibus homines ſibi ipſis inimici atque infenſi, bona atque utilia contemnunt, pernicioſa tantùm amplectentes: *Hi dicunt videntibus: nolite videre:* & *aſpicientibus: nolite aſpicere nobis ea*, *quæ*

(*a*) *Luc. III. v. 7.*
(*b*) *Pſalm. CXII. v. 7.* & 8.
(*c*) *Pſalm. LVII. v. 5.*
(*d*) *Pſalm. CXXXIV. v. 16.* & 17.
(*e*) *Amos V. v. 10.*

quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Auferte a me viam, declinate a me semitam, cesset a facie nostra sanctus Israël (*a*). Absit hæc pestis a vobis, dilectissimi filii; eorum enim, qui tales sunt, est incurabilis plaga, immedicabile vulnus. *Traditi sunt in reprobum sensum* (*b*), & in desideria carnis, ùt miserrimus hic Herodes, Deo & hominibus invisus, qui Joannem veritatem liberè prædicantem, in vincula conjici mandavit.

In his ergo *vinculis audivit Joannes opera Christi* (*c*). O sacrosancta captivitas! o vincula omni libertate pretiosiora, in quibus Christi opera audiuntur! Hic tribulationum fructus est maximus, quòd *intellectum dant parvulis* (*d*), & Dei nos opera docent. Est quispiam, in terrenis rebus totus immersus, nil præter Mundum cogitat, totus cumulandis divitiis atque substantiis augendis inhiat, *ponit carnem brachium suum, confidit in homine* (*e*), humanos tantùm favores magnì facit: Hic repentè sublatum morte illum videt, in quo spem suam collocaverat; qui eum diligebant, in hostes convertuntur; in carcerem mittitur; bona ejus omnia Fisco subjiciuntur; substantiis, amicis, honore expoliatus, penitus a Mundo despicitur. Redit tamdem intra se, & ait: Me miserum, quàm malè præteritos annos consumpsi! quomodo hactenus arundini sum superinnixus! quàm vana fuerunt, quæ tantì feci, dilexi, exquisivi, & mihi ùt Idola proposui! En quia ludibrium factus sum illis; a Deo meo me retraxerunt, Dæmonum tyrannidi subdiderunt, in turpissimam me adegerunt captivitatem: Et nunc, super his omnibus, derelictus contemptusque in miserrimis ærumnis jaceo. Quantò mihi satius fuisset, Deo adhærere, qui fidelis est amicus, & stabilis; qui & cùm prospera largitur, & cùm mala infligit, semper in dilectione permanet; qui in se confidentes numquam confundit (*f*)! Quantò meliùs labores meos omnes atque vigilias impendissem in cumulandis virtutibus, quæ veræ divitiæ sunt ac thesauri spirituales, quæ nec fiscum timent, nec furem, aut fortunæ malignantis injurias! Quantò securiùs *in Cœlo mihi thesaurizassem, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur; & ubi fures non effodiunt, nec furantur* (*g*)! Revertar igitur, licèt serò, ad Deum meum, qui paratus est me, in quacumque hora ingemuero, in amplexus recipere; ipsum diligam,

(*a*) *Isaiæ XXX. v.* 10. & 11.
(*b*) *Ad Roman. I. v.* 28.
(*c*) *Matth. XI. v.* 2.
(*d*) *Psalm. CXVIII. v.* 130.
(*e*) *Jerem. XVII. v.* 5.
(*f*) *Daniel. III. v.* 40.
(*g*) *Matth. VI. v.* 20.

gam, ipſum ſequar, in ipſo confidam. Et ecce, quantum tribulationes illæ, perſecutiones, & bonorum jactura huic profuerunt. His veluti mediis ſæpiſſimè Divina bonitas utitur, quibus errantes oves, deviantes a ſe homines, veluti virgâ vigilantiſſimus Paſtor ad ovile reducit: *Imple*, orabat Propheta, *facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine* (*a*); & alibi: *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraverunt* (*b*). Dicit cum meretrice peccator: *Vadam poſt amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum* (*c*). Sed quid ad hæc Dominus ait? *Propter hoc, ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceriâ, & ſemitas ſuas non inveniet* (*d*). *Viam* hanc latam, per quam tendit ad mortem, lapidibus grandibus, & ſcopulis tribulationum abrumpam; ponam ante faciem ejus foveam, & præcipitia, ita ut deſerere eam cogatur & regredi, ac dicat: *Vadam, & revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis, quàm nunc* (*e*). O Anima; Chriſtus eſt *vir tuus prior;* ipſe te creavit, ipſe te redemit, ipſe demum te adeò dilexit, ut animam ſuam pro te poſuerit. Nonne ipſe te hactenus pavit? Nonne ipſe frumentum, vinum, *oleum*, *lanam*, & *linum* tibi præſtitit? Cur ergo adulteraris? Cur, dulciſſimo Sponſo tuo relicto, omnes viliſſimos amaſios ſequeris? Quantò meliùs *tibi erat* in domo Sponſi tui, *quàm nunc!* quantò *melior eſt dies una in atriis ejus, ſuper millia* (*f*)! Revertere, revertere ergo ad ipſum; vide, quantum modica hæc tribulatio tibi conferat beneficium: Quapropter non minor profectò, filii, eſt ingratitudo, tribulationes, ut decet, de manu Domini non recipere, quàm pro proſperitatibus gratias non reddere. Imo addo: eſt major, nam duplex eſt ingratitudo, nempe & non noſſe, quòd beneficium ſit, & pro eo accepto, gratias non agere.

E vinculis ergo *mittit Joannes duos ex diſcipulis ſuis ad Jeſum dicens: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus* (*g*)? Non ignorabat Joannes, quia ipſe eſſet Chriſtus, quem longè ante prædixerat, quem digito oſtenderat dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mundi* (*h*), quem *in Jordane baptizaverat* (*i*), cui redditum a Patre cœlitus teſtimonium audierat: *Hic eſt Filius meus dilectus*

(*a*) *Pſalm. LXXXII. v.* 17.
(*b*) *Pſalm. XV. v.* 4.
(*c*) *Oſee II. v.* 5.
(*d*) *Ibidem v.* 6.
(*e*) *Ibidem v.* 7.
(*f*) *Pſalm. LXXXIII. v.* 11.
(*g*) *Matth. XI. v.* 2. & 3.
(*h*) *Joann. I. v.* 29.
(*i*) *Marci I. v.* 9.

lectus (*a*); sed a caritate proficiscitur ista petitio: Siquidem *cùm* discipulos *suos dilexisset*, *in finem dilexit eos* (*b*); & proximè moriturus Christo Dei Filio eos commendare quærit. Nimis illum carnaliter diligebant, idcircò hujus interrogationis prætextu, eosdem mittit ad Christum, ut mira opera videntes, quæ ipse faciebat, verum illum Messiam, ac Deum esse cognoscerent & faterentur, ipsique adhærerent. O mira Joannis caritas in suos; tantò major, quantò difficiliori tempore manifestata, cùm scilicet de vita sua solicitus esse debuisset!

O Patres, o Matres; damnat hodie vos & segnitiem vestram hæc Joannis missio. De aliis omnibus vos curam habetis diligentissimam, quæ nihili essent facienda; vestros autem filios & filias ad Christum dirigere non satagitis: quod tamen præcipuum debet esse negotium. Si fluvius fines vestros alluens, lectum suum egredi minatur, & campos obruere, quanto studio huic malo mederi curatis! Quanta solicitudine equos, boves, vaccas, pecudes educare atque enutrire contenditis! Filiorum verò vestrorum nullam habebitis rationem? Illa potius omittenda vobis fuissent, & huic dumtaxat incumbendum. Nonne a recta liberorum educatione, totius familiæ vestræ, imo totius Oppidi & Regionis hujus pendet felicitas? At e converso, si discolos filios enutrieritis, qui neque Deum timeant neque homines; heu quanta pernicies, quanta bonorum omnium jactura hinc derivabit!

Jam nos, Deo dante, invigilamus, ut media inveniamus unde Magistros, quos vobis dare disponimus, alere possitis (*c*). Sed, esto nulla ob id implendum suppetat ratio; nonne cibis vestris, victui vestro & corpori pars esset demenda, ac vestris etiam necessitatibus quidpiam subtrahendum, quo iis provideretur, quibus profectò magis opus habetis, quàm ulla re alia? Indignissimi Patrum & Matrum nomine, qui & viventes, & decedentes, filios suos Christo commendare non student. Et cuinam tutiùs committi possunt? Docebo ego vos Patres, quid deceat, quid a vobis requirat Dominus Deus. Deberet quilibet vestrûm filios suos ac filias, dum adhuc teneri sunt atque flexibiles, Fidei præceptis & scien-

(*a*) *Matth. III. v. 17.*
(*b*) *Joann. XIII. v. 1.*
(*c*) Narrat Glussianus Lib. VII. Cap. V., erectum fuisse a Sancto Carolo in nobili Oppido Belinzonæ Ecclesiasticum Beneficium, ut Sacerdos aliquis bonæ frugis doceret adolescentes non tam literas, quàm mores castigatos; præsertim verò eos instrueret in Christianæ Doctrinæ præceptis, quibus arceretur ab illius populi finibus periculum Hæresis, in conterminis regionibus, fœda contagione animarum, impunè debaccantis.

ſcientiis imbuendos tradere: Feſtis & Dominicis diebus, dum in plateis otioſi abſentibus detrahunt, aut in cauponis ebrietatibus vacant, illos manu ad Eccleſiam ducere, a Sacerdotibus inſtituendos; cùm rationis fuerint capaces, exemplo ſuo illos docere, crebrò peccata ſua confiteri; cùm verò magis adoleverint, frequenter illos exemplo, verbis & auctoritate, ad Sanctiſſimum Chriſti Corpus & Sanguinem ſuſcipiendum excitare. Hi profecto veri eſſent Genitores; hi a filiis ſuis conſolationem perfectam poſtea reciperent; hi Joannis caritatem imitarentur, nec his, cùm ad diſtrictum Dei judicium acceſſerint, verendum eſſet, ne propter filios æternæ damnationi addicerentur.

Dicunt Chriſto diſcipuli Joannis: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus* (*a*)? Manifeſtavit ſe vobis Dominus Jeſus; ad vos inviſendos miſit nos ipſius in terris Vicarius (Gregorius XIII.); miſit ergo ipſe, imo venit ipſe per nos. Fuit paucos ante annos alter, a Pontifice Maximo apud vos miſſus (*b*): Vellem ergo hodie, quòd quilibet veſtrûm ad eumdem converſus, imo intra ſe ipſum rediens, diceret: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Fuimus jam aliàs viſitati; viſitamur & nunc. Iſta-ne erit viſitatio, hoccine tempus, quo tamdem fructum percipiamus, quo reſipiſcamus, quo perfectè reformemur, & veterem hominem exuentes, novos tamdem mores aſſumamus; *an aliud* tempus *expectabimus?* Minimè profectò expectabimus. Sed jam ex hac hora, hoc temporis momento Deum meum agnoſcam, amplectar, ſequar, ejus viſitationem dignè cum fructu ſuſcipiam. Quæ eſſet iſta dementia, in futurum differre, quod jam aſſequi poſſum, cùm penitus ignorem, an tempus illud valeam attingere, an ſe denuo mihi Deus communicare velit? Audite, quomodo noſſe poſſitis, & poſſint omnes, num Chriſtum jam receperitis, vel alium expectetis; an ſcilicet verè jam pœnitueritis, vel in aliud tempus pœnitentiam adhuc protracturi ſitis.

Interrogantibus Diſcipulis, an ipſe eſſet, qui venturus erat, nec ne, non verbis reſpondit Chriſtus, ſed operibus & miraculis.

(*a*) *Matth. XI. v.* 3.

(*b*) Cùm Joannes Antonius Ulpius Novocomenſis Epiſcopus gravi morbo correptus, ab excolenda Dominica vinea, ipſius curæ commiſſa prohiberetur, inſtante Sancto Carolo Borromeo, Joannes Franciſcus Bonomius Vercellenſis Antiſtes, qui eo tempore Viſitator Apoſtolicus Novarienſem Eccleſiam luſtrabat, juſſus eſt a Gregorio XIII. anno MDLXXIX. ad Comenſem Diœceſim tranſire, ut idem munus erga indigum eum Gregem præſtaret. Impreſſa ſunt Decreta, in ea Viſitatione ſtatuta ab eodem Bonomio, typis Vercellenſibus, ipſomet anno.

Coram ipsis, cæcis pluribus visum, surdis auditum, claudis gressum, infirmis sanitatem, mortuis vitam restituit, dicens: *Euntes renunciate Joanni, quæ audistis, & vidistis: cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur, & beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me* (*a*). Idem ego vobis hodie quærentibus respondeo: Videte, an hæc in vobis signa appareant; & si apparent, scitote, quia jam Christum recepistis. Vidimus sanè nos multa, Deo dante. *Cæci* multi turpitudinem peccati *viderunt*, & execrati sunt atque confessi. Noverant quidem multi, illicitos contractus esse fugiendos, non licere ex mutuo lucrum percipere; durum videbatur restituere: *claudicabant* hi; tamdem quæ illis præcepta erant, impleverunt: & ecce quia *ambulant*. Erant alii non modò peccantes, sed etiam pessimo exemplo ceteros peccare docentes; *leprosi* hi, vitæ suæ & conversationis veluti contagio, reliquos inficiebant, & isti *mundati sunt*. Fugiebant multi Ecclesias, pia monita, divini verbi prædicationem: & ecce, jam frequentes habuimus quotidie in Ecclesiis auditores, quia *surdi audierunt*. Erant in peccatis *mortui* plerique: pœnitentiam egerunt, & *surrexerunt*. Despiciebantur *pauperes* & contemnebantur, quandoque etiam opprimebantur: jam compertum est, paupertatem sperni non debere; jam in posterum egeni a divitibus habebuntur, ùt fratres; omnia ab ipsis caritatis officia recipient; erunt illi deinceps sua sorte contenti, æquo & libenti animo divinæ se voluntati conformabunt: & ecce quia *pauperes evangelizantur*. Jam non dedignabuntur ampliùs viri, & mulieres Belinzonenses Doctrinam Christianam, pueros & rudes docere; sanctas hasce Sodalitates & Scholas ingredi, earum regulas exequi; & quæ ipsi fortè priùs vilia arbitrabantur, jam libentissimè suscipient. Et *beati* erunt, quia *non scandalizabuntur in Christo*. Imo, ut hæc quoque in vobis augeatur beatitudo, sintque ejus capaces cunctæ mulieres vestræ ætatum omnium & conditionum, habeantque opportunitatem sese in spiritualibus exercendi, ac fructus ex hac Visitatione uberiores percipiant, duas Sodalitates inter vos instituemus, pro Virginibus alteram, alteram verò pro Viduis; illæ Sanctam Ursulam, hæ Sanctam Annam Advocatam habebunt (*b*). Erunt utrisque maximo adjumen-

(*a*) *Matth. XI. v. 4. & seqq.*

(*b*) Duas hasce Sodalitates jam instituerat Mediolani Sanctus Carolus; alteram Virginum sub patrocinio & nomine Sanctæ Ursulæ, quæ primum initium habuerat in Brixiensi Urbe, triginta annis antea, idest anno MDXXXVII. a quadam probatissimæ vitæ Virgine, nomine Angela: Inde verò accitis Mediolanum nonnullis ex Brixiensi illo Cœtu Virginibus, novas ipse condiderat Regulas, seorsim editas in hac Metro-

mento: Utraque jam fuit a Sancta Sede Apostolica approbata, & multis Indulgentiarum & donorum spiritualium thesauris ditata. Sunt multæ Juvenes & Adolescentulæ, quæ statuerunt non nubere, Christum sibi eligentes in Sponsum; Moniales admodum pauperes sunt, nec nisi definitum Virginum numerum intra Monasterii sui septa possunt admittere: Illæ utpotè nubiles, non sine aliquo periculo possunt domi vivere: ingredientur itaque religiosissimam hanc Sanctæ Ursulæ Sodalitatem, virginitatem vovebunt, & conservabunt domi suæ consistentes, & demum *Agnum sequentur, quòcumque ierit* (a), & *cantabunt cum eo canticum novum* (b). Viduæ spiritualibus exercitiis incumbent, docendæ Doctrinæ Christianæ vacabunt. Harum ergo Sodalitatum Institutiones atque præscripta Mediolano ad vos transmittam. Sed quicumque non modò has ingredientur, verùm etiam alias, quæ apud vos sunt, Sacratissimi Corporis Christi, & Sanctissimi Rosarii, meminisse debent, quia earum omnium institutio id potissimùm exigit, ut fraterna caritas nutriatur magis & augeatur; ut Deo proximiùs omnes uniantur. Quorsum ergo inter hujusmodi Confratres ambitio? quorsum præcedentiæ cupido? Ecquis nobilior est locus, quàm qui est Christo propinquior? Eum verò, quis ignoret, alium non esse, quàm humiliorem & abjectiorem? Orta aliquando fuerat inter Christi Discipulos adhuc infirmos & imperfectos discrepantia: *quis eorum major esset?* Audite, quam cœlestis Judex sententiam super hujusmodi tulerit contentione: *Apprehendit puerum, & statuit illum secus se. Et ait illis: Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit: & quicumque me receperit, recipit eum, qui me misit. Nam qui minor est inter vos omnes, hic major est* (c): & qui-

tropoli anno MDLXVII., subinde insertas Actis Mediolan. Ecclesiæ Parte V.: Alteram Viduarum, quas sub nomine Sanctæ Annæ in unam vitæ castigatioris normam redegerat, atque opportunis muniverat documentis & Regulis, anno MDLXX. exaratis, postmodum seorsim impressis Mediolani anno MDLXXVIII. In iis explicat Sanctus Antistes, quam illis Patronam dedisset, nempe Annam Prophetissam, quæ in Evangelio Sancti Lucæ Cap. II. memoratur, quæque *jejuniis, & obsecrationibus serviens nocte ac die in Templo*, meruit ulnis suis excipere puerum Jesum, in ejusdem Præsentatione. Cùm tamen nullus assignatus sit dies in Ecclesia Mediolanensi, quo hujus Sanctæ Viduæ Officium agatur, Sanctus Carolus diem illum præcipua religione ac cultu transigendum hisce Sodalibus statuit, quem Sanctæ Annæ Matris Deiparæ Virginis festivæ memoriæ universa Ecclesia dicavit. Conventus autem hujusmodi Sodalitatum habebantur in Ecclesia Sancti Sepulchri, ad quam identidem se conferebat vigilantissimus ille Antistes, ut ad pietatem Virgines Viduasque sermonibus suis vehementiùs excitaret. Quanto autem studio curaret Sanctus Præsul Borromeus, ut duæ istæ Societates ubique florerent, discimus ex Decreto Concilii Provincialis IV. anno MDLXXVI. celebrati, in quo ista leguntur: „ Unusquisque E-„ piscopus tum in Urbe, cum in Oppidis Diœcesis „ suæ insignibus, Sodalitatem utramque, ut op-„ portunum duxerit, quàm diligentissimè erigi „ instituive curet.

(a) *Apocal. XIV. v. 4.*
(b) *Ibidem V. v. 9.*
(c) *Luc. IX. v. 46. & seqq.*

quicumque humiliaverit se, sicut parvulus iste, hic est major in Regno Cœlorum (*a*). Abhorret Sodalitatum nomen ab hujusmodi controversiis; sed vestrum est, quod vobis a Domino Paulus precatur, *idipsum sapere in alterutrum secundùm Jesum Christum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum, & Patrem Domini nostri Jesu Christi* (*b*). Spiritualia sunt vobis spectanda potissimùm; temporalis verò administratio uti accessoria existimanda: hæc quippe omnia signa erunt, statuisse vos jam Christum recipere, *nec alium expectare*.

Recedentibus discipulis Joannis, ne carcer ille & vincula quidquam detraherent ejus sanctitati innocentiæ & famæ, cœpit Christus apud turbas illum laudare, cùm ab opposito adulatorum sit proprium, coram præsentes laudare, absentibus autem detrahere. Verùm, quid hoc est turpius? Aut enim quos laudant probi sunt ac justi, & his nihil molestius; aut sunt mali, & eam quoque laudem non merentur. Laudat ergo Joannem Christus primò constantiæ: *Quid*, inquit, *existis in desertum videre? arundinem vento agitatam* (*c*)? O quantum Christo placet constantia in bono, atque stabilitas! Cœpisse jam bene vivere, Sanctissimum Christi Corpus sumpsisse; at recedentibus nobis, pristinos mores resumere, ad vomitum redire, spiritualia exercitia intermittere, hoc est, veluti *arundinem* vacuam *vento agitari*; hoc est Deo molestissimum. Firmitate filii, opus est atque perseverantia, quæ sola coronam consequitur; progrediendum imo est vobis in dies, atque de bono in melius proficiendum. Secundò verò laudat summopere vitæ asperitatem, & severissimam pœnitentiam, dicens: *Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt* (*d*). Condemnat Joannis Baptistæ victûs & vestitûs austeritas, præteritas vestras commessationes, compotationes, vinolentias, ebrietates, quas inter vos exercuistis. Sed quid de iis dicam, qui his minimè contenti, sanctissima etiam Ecclesiæ præcepta transgressi sunt; Jejunia sacrosancta violarunt, cibos vetitos diebus, quibus id interdictum erat, sumpserunt; seque excusatione dignos putant, quòd, ultra montes interque hæreticos, hæc se fecisse respondeant? Numquid non èt ultra montes Christiani erunt? Numquid non ubique eorum Deus est Christus? Dimidiata-ne illorum erit Religio? Ah filii, aut ab illis Regionibus abstinete, nec filios vestros,

(*a*) *Matth. XVIII. v. 4.*
(*b*) *Ad Rom. XV. v. 5. & 6.*
(*c*) *Matth. XI. v. 7.*
(*d*) *Ibidem v. 8.*

ſtros, mercaturæ aut alterius rei causâ, eò tranſmittite, neque illos tam aperto periculo exponite; aut, ſi eò vobis neceſſariò ſit accedendum, mementote, quia *qui Chriſtum erubuerit coram hominibus: erubeſcet èt eum Chriſtus coram Patre ſuo cœleſti* (a). Toleranda potius eſt fames atque inedia, quàm contra Sanctæ Matris Eccleſiæ præſcriptum cibus aliquis vetitus capiendus.

Denique Joannem *Prophetam*, & *plus quàm Prophetam*, & *Angelum* Dominus vocat. O ſi Joannem nunc videre nobis liceret, quomodo undequaque omnes accurreremus, negotia omnia temporalia omitteremus, ut ejus aſpectu & ſermonibus recrearemur! Filii, *Joannem* audiſtis, & vidiſtis: *Angelum* audiſtis, & vidiſtis: imo Deum ipſum & audiſtis, & vidiſtis. Sumus quidem nos miſerrimi peccatores; officio tamen, quod licèt indigni gerimus, Angeli ſumus, & Dei nuncii. Per nos vobis loquitur Dominus. Utinam Dei voces audiatis! utinam operibus, quanti Dei voces facitis, oſtendatis! Faxit Deus Optimus Maximus, ut futuris temporibus omnes vobis finitimæ Regiones, a piis exercitationibus veſtris cognoſcant, Belinzonam a Domino viſitatam fuiſſe, *locutum eſſe ad cor* veſtrum Dominum Deum (b); cordis veſtri aures, verba ejus penetraſſe! *Videant* omnes *opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt* (c); denique èt ipſi veſtro adducti exemplo *viam mandatorum* Domini *percurrant* (d), quæ ducit ad vitam. Amen.



HO-

(a) *Luc. IX. v.* 26.
(b) *Oſee II. v.* 14.
(c) *Matth. V. v.* 16.
(d) *Pſalm. CXVIII. v.* 32.

HOMILIA LXXXIII.
IN FESTO ORDINATIONIS SANCTI AMBROSII
Habita ad Populum Belinzonæ Diœcesis Comensis
Feria IV. Dominicæ IV. Adventus Ritu Ambrosiano,

ANNO MDLXXXIII. VII. DECEMBRIS.



EQUIREBAT a nobis, animæ dilectissimæ, solemnitas hodierna adeò insignis Sanctissimi & gloriosi Patris Ambrosii, Prædecessoris & Pastoris nostri, ut eam in Mediolani Ecclesia, quam ipse gubernavit, auxit, illustravit, in qua demum Sacratissimus ejus Corporis asservatur thesaurus, unà cum Grege ipsius, & nostro celebraremus. Verùm nostra in vos caritas, debito Pastoralis muneris, quo tenebamur, prævaluit. Obtemperamus Sanctissimo Christi Vicario; Visitationem vestram ab ipso nobis injunctam prosequimur. Ne autem eadem imperfecta relinqueretur, Ecclesiam nostram cum vestra, Mediolanum Belinzonà, filios nostros cum vobis commutare compulsi sumus. Non fuistis nostro in vos animo, ùt vidimus, ingrati, cùm, ut nobis gratificaremini, Festum hodiernum diem esse voluistis; unde nostrùm etiam existimavimus, vos in Domino, quantum valemus, consolari: Solemnem Missam, prout si Mediolani fuissemus, celebravimus; Pontificalia, ùt vidistis, Sacra peregimus. Nec profectò immeritò; licèt enim præcipuè Ecclesiæ nostræ Protector sit Sanctus hic Pastor, est tamen etiam totius universalis Ecclesiæ Doctor eximius. Expandit longe lateque suprema dona cœlitus sibi concessa; effudit per universum terrarum Orbem cœlestium charismatum quibus abundabat

dabat

dabat odorem, adeò ut vèl tantùm Mediolani consistens, sanctitatis suæ famâ atque splendore, quamplurimos etiam maximis locorum intervallis distantes a peccato retraheret, ad pœnitentiam adduceret, ac Christianæ pietatis præceptis imbueret. Marcomannorum Regina in Boëmiæ finibus imperans, Ambrosii virtutibus, & doctrinæ nomine allecta, ad Christi Fidem est, ipso suadente, conversa; quem eùm ad se benignissimè invitatum, intueri non potuisset, ab eodem tamen vivendi normam, ac Christianæ conversationis regulam scripto accepit: Quinimo necdum hisce contenta, Mediolanum ipsa concessit, ut quem famæ celebritate cognoverat, posset eoram alloqui, eum eoque versari: Eò tamen cùm pervenisset, illum jam e corporis vinculis reperit liberatum (a). Effulsit igitur veluti Sol splendidissimus in tota Ecclesia Dei Sanctus Episcopus, doctrinæ & sanctitatis lucidissimis radiis. His eum nominibus Romana Sancta Mater Ecclesia colit præcipuè, unde èt quod in Missa Sanctissima legi audivistis Evangelium, hac ei de causa accommodat, nempe: *Vos estis sal terræ* (b). Hodiernus itaque dies, ipsius Ordinationis in Episcopum memoriâ illustris, non Mediolanensibus solùm, sed etiam universis Christifidelibus, quos sanctis moribus & scriptis edocuit, confirmavit, munivit, debet esse solemnis. Prætcrquamquod èt Aquilejam sæpius ipse profectus, quæ Diœcesis hujus Comensis, cujus tam nobile membrum est hoc Oppidum, Metropolis existit, mirificum caritatis suæ ardentissimæ studium exercuisse credendus est. Quamobrem tria erunt, quæ ex ipsis Evangelieæ lectionis verbis, (quatenus temporis ferent angustiæ) considerabimus: Primum quidem, quænam munera injungat hodie Dominus Apostolis suis, atque Apostolicis Viris, eorumque successoribus: Secundò verò, quomodo ea Ambrosius Sanctissimus opere impleverit: Tum demum, quæ nostræ erga ipsos, & eos, qui ipsorum vices gerunt, debeant esse partes.

Vos estis sal terræ: quòd si sal evanuerit in quo salietur (c)? Proposuerat Discipulis suis Dominus noster Jesus in monte doctrinam Beatitudinum adeo sublimem, adeo ab humano sensu dissitam, nostræ demum infirmæ cognitionis limites ita superantem, ut quæ ipse de beatitudine edisseruerat, carnalibus hominibus paradoxa, & veritatem excedere viderentur. Beatos prædicaverat pauperes spiritu;

(a) Narrat hæc omnia Paulinus, in Vita Sancti Ambrosii, recusâ inter ejusdem Opera a Maurinis Monachis, sub num. XXXVI.

(b) *Matth. V. v.* 13.

(c) *Ibidem.*

tu; beatos, qui famem & sitim patiuntur; beatos qui lugent; beatos eos, quibus maledixerint homines, quosque fuerint persecuti, & hujusmodi alios (a): quos sanè ad illa usque tempora miserrimos, nedum beatos, Mundus reputaverat. Sequebatur Mundus in omnibus sensuum propensionem; temporalia tantùm bona in pretio habebat; ab iis verò, quæ sensibus repugnarent, abhorrebat ùt pessimis. At Redemptor noster veritatem hanc, quam ipse docuerat, Mundo toti desiderans innotescere, ac, quàm solida essent ejusdem documenta, cognosci, hodie Apostolis munus committit, ut videlicet cœlestem atque sublimem hanc doctrinam, mortalium cordibus insculpant, ac exemplo verbisque confirment, ideoque ait:

Vos estis sal terræ. Est Mundus omnis insipiens, insulsus, corruptus, immundus, putridus, divinæ gratiæ atque doctrinæ minimè capax, obtusus ac hebes: Vestrûm sit, o Discipuli, illum condire; ei cibum hunc proponere, panes hos frangere, potum hunc propinare; ipsum mundare, a corruptione servare, docilem reddere. Id verò duabus potissimùm viis ut faciatis, dispono: docebitis enim priùs, & quidem efficacissimè, si ea, quæ docui, quæque itidem vos estis prædicaturi, opere adimplere studueritis; si sensibilibus rebus omnibus abrenunciaveritis, si pauperes spiritu fueritis, si famem & sitim propter justitiam patiemini, si lux eritis, si propter me & propter nomen meum persecuti vos homines fuerint. Habebit hic docendi modus vim maximam; hanc quippe homines disciplinam oculis excipientes, atque ab ea, quam vos postmodum ore commendabitis, minimè difformem esse cognoscentes, quod prædicabitis credent, & quæ vos amplecti conspexerint, nec ipsi refugient.

Hæc verò omnia salis in primis similitudine insinuavit; habet quippe sal quædam sibi propria, quibus Apostolorum omnis prædicatio & conversatio facilè exprimi poterat. Continet primò magnum saporem, magnam condiendi vim; unde modicum salis, multas ingentesque dapes sapidas reddit. Hoc etiam efficit, quòd carnes a putredine servat & corruptione, dum sanguineos omnes humores exsiccat; & hæc postremò peragens, annexam habet ac sibi connaturalem acrimoniam quamdam, atque pungendi quodammodo vim. Hæc omnia Apostoli, eorumque Successores ex Salvatoris Domini Jesu præscripto erant adimpleturi.

Omni prorsus sapore destituebantur ea, quæ Mundus amabat. Terrena dumtaxat bona homines inhiabant, insulsis voluptatibus dediti:

(a) *Matth. V. v. 3. & seqq.*

dediti: Atque de hoc valde dolebat Servus Dei altissimi Moyses, dicens: *Gens absque consilio est, & sine prudentia: utinam saperent, & intelligerent* (a)! Nec modò in malis eorum operibus hic deerat sapor, sed etiam in iis, quæ bona videbantur; hæc enim gratiæ condimento carebant: quin etiam si quæ bona esse apparebant, attamen cùm eorum intentionis *oculus nequam esset*, *totum* etiam *corpus tenebrosum* remanebat (b). Optimi quoque cibi, quos ipsi divino gustui existimabant suavissimos, erant eidem insipidi, atque fastidio; illi nempe religiosi omnes actus, quibus Deo cultum exhibebant. Sed, ut clarè quanta esset tunc temporis saporis inopia videatis, attendite: Non dubium, quin omne id, quod cujuscumque generis homines illa ætate boni habebant, in religione consisteret; ista verò ostendebatur in cultu, quem Deo præstabant oblationibus & sacrificiis. Duo autem hominum genera sacrificabant: Quidam non Deo, sed Dæmoni, Diis ligneis atque lapideis; & horum cibi non modò insipidi, sed execrabiles erant & abominabiles. Alii verò, nempe Judæi, quos ex omnibus Tribubus & Populis sibi elegerat Dominus, qui se Dei Populum jactantes, veram apud se esse Religionem, veram Legem, verum cultum & ritum profitebantur, Deo immolabant, offerentes agnos hircos arietes oves boves, animalium & terræ ac frugum primitias; & hæc quidem omnia ex ipsiusmet Dei præscripto, ùt videre est in iis, quos Moyses conscripsit, libris. His porro cibis delectari debuerat Deus, utpote quos ipsemet offerri mandaverat: Sed erant èt ipsi insipidi, cùm Judæi sal iisdem adimerent; quocirca non modò Dei gustui non satisfaciebant, imo verò nauseam provocabant, adeo ùt eos sustinere non valens per Prophetam clamaret: *Audite verbum Domini Principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri, populus Gomorrhæ* [ob eorum nequitiam, & scelerum multitudinem Sodomitas, & Gomorrhæos appellabat Judæos, ùt etiam alibi: *Soror tua minor te, quæ habitat a dextris tuis, Sodoma* (c).] Audite ergo, quid ipsis Dominus diceret: *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum: holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Cùm veniretis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis? Ne offeratis ultra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi. Neomeniam, & Sabbatum, & festivitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri: Calendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima mea:*

(a) Deuteron. XXXII. v. 28. & 29.
(b) Matth. VI. v. 23.
(c) Ezechiel. XVI. v. 46.

mea: facta sunt mibi molesta, laboravi sustinens. Et cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis: & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt (*a*). Erant denique universi homines adeò insulsi, ut Dominus videretur proximus ad eos evomendos; illisque prorsus similes, de quibus postea per servum suum Joannem conquerebatur: *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo* (*b*).

Condiri ergo per Apostolos isti homines debuerant aqua Baptismi, & sale sapientiæ, ut ita fierent Domino sapidi & delectabiles. O quàm gratus est Dei palato, qui Apostolicorum præceptorum sale conditur! Quàm cupit Deus Optimus Maximus hujus corde nutriri! & ideo veluti esuriens clamat: *Præbe, fili mi, cor tuum mibi* (*c*). Et quæ major potest esse felicitas, quàm a Deo comedi, & in Deum transformari? Et ubi tutiores esse possumus, quàm in Dei, ùt ita dixerim, pectore? Quòd si noster ipse cibus fieri non est dedignatus, ac ab impurissimis etiam & immundissimis hominibus se patitur comedi, ac eorum cloacas ingreditur; heu, quantò æquius & optabilius est, nos ipsius effici cibos! Hoc igitur primò erat ab Apostolis faciendum, nempe condiendi fuerant hi cibi.

Sed caro erant homines, unde èt Dominus dixerat: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est* (*d*); & quidem caro humoribus plena, qui facilè corrumpuntur, & totam ipsam massam putredine inficiunt. Aderat in primis peccati fomes ardentissimus, tum *proni erant in malum sensus hominis ab adolescentia sua* (*e*): ex quibus satis superque totus homo in corruptionem facilè defluebat. Accedebat insuper perpetuum Dæmonum studium, quo nil aliud curabant, quàm ut illum putrescentem magis ac fordidiorem redderent. Qui ergo sale conditi, a peccatis fuerant liberati, erant etiam a peccatorum periculis præservandi, & erudiendi, quomodo baptismalem servantes innocentiam, omnes peccati sordes ac fœtorem evitarent. O qualis est sanies, peccatum! qualis putredo, quàm fœtida, quàm abominabilis Deo, imo toti Mundo! Prodeat enim necesse est ista corruptio, ac licèt aliquamdiu latuerit, ad hominum tamen nares diffamatione tamdem perveniat. Et quænam sentina, atque immunditiarum omnium cloaca turpiùs fœtet quàm peccatoris Anima? Erant ergo futuri Apostoli carnium

(*a*) *Isaiæ I. v. 10. & seqq.*
(*b*) *Apocalyps. III. v. 16.*
(*c*) *Proverb. XXIII. v. 26.*
(*d*) *Genes. VI. v. 3.*
(*e*) *Ibidem VIII. v. 21.*

nium harum ſalitores, præſervaturi a peccatorum corruptionibus animas, ut illæ *Chriſti* Domini *bonus odor* evaderent (*a*).

Ad hæc tamen duo peragenda, quadam opus erat acrimonia; nam ſicut ſal carnibus, quibus veſcimur, naturali ſua acredine utrumque præſtat, illas nempe condiendo, atque a putredine conſervando; ita acres profectò apparere hominibus debebant Apoſtoli. Siquidem prædicaturi erant, adveniſſe Meſſiam, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Dei Filium, & hunc humillimis parentibus, humillimo loco natum, pauperrimam degentem vitam, turpiſſimæ morti addictum, cum ſceleratis reputatum, inter latrones pro nobis Cruci fuiſſe confixum. O ſal, o ſal! Expectabant Judæi Meſſiam, futurum Regem nobiliſſimum, potentiſſimum, eumque dominaturum in terra; & heu, qualia credere compellebantur! Pungebat hic ſermo, acris nimiùm erat; unde etiam quibuſdam *ſcandalum*, aliis verò mera videbatur *ſtultitia* (*b*). Annunciandum ab ipſis erat, *anguſtam eſſe viam, quæ ducit ad vitam* (*c*); humilitate ac patientia maximè opus eſſe; amplectendas tribulationes ex animo, pœnitentiam agendam, voluptatibus abſtinendum, lugendum, plorandum. O acres, o *duros ſermones* (*d*)! O ſal, o ſal! Erant liberrimè peccantes omnes increpaturi, errantes reprehenſuri, aperta voce dicturi: *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus* (*e*): Alia vice: *Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem* (*f*): Demum exclamaturi: *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinavit* (*g*)? Et hæc quidem omnia Chriſti magiſtri exemplo, quem dicentem audierant: *O generatio incredula & perverſa, quouſque ero vobiſcum? uſquequo patiar vos* (*h*)? *Generatio prava & adultera, ſignum quærit* (*i*), & hujuſmodi, quæ pungere cùm viderentur, ſalis acrimoniam indicabant; quæ, quàm eſſet Apoſtolis, & eorum Succeſſoribus atque Sacerdotibus omnibus neceſſaria, ex ipſa ſalis ſimilitudine, injunctiſque muneribus, & eorum officiis dilucidè demonſtratur.

O Ambroſi Sanctiſſime, jam tempus eſt, ut ad te me convertam, ut tuo ipſe exemplo me indigniſſimum Succeſſorem tuum, qui oves, quas tu adeò diligenter rexiſti, gubernandas ſuſcepi, omneſque, qui adſunt, Sacerdotes erudias, quomodo ſal eſſe debeamus. Fuiſti verè tu ſal, qui *eloquia* Domini *in corde tuo abſcondi-*

(*a*) *II. ad Corinth. II. v.* 15.
(*b*) *I. ad Corinth. I. v.* 23.
(*c*) *Matth. VII. v.* 14.
(*d*) *Joann. VI. v.* 61.
(*e*) *Act. Apoſt. V. v.* 29.
(*f*) *Ad Galatas I. v.* 10.
(*g*) *Ibidem III. v.* 1.
(*h*) *Matth. XVII. v.* 16.
(*i*) *Ibidem XII. v.* 39.

sti (a); omnes salis proprietates ad vivum in te expressas agnovimus. Quot tu animas Divinæ Sapientiæ sale, quo repletus eras, condivisti! Quàm multos Deo gratos & placentes, ex insipidis & insulsis reddidisti! Hoc in infantili & tenero tuo corpore jam præsignaverat Altissimus Dominus. Quid enim crebrum illud apum examen, vultum tuum operiens, intra os tuum sæpius volitans, ac demum in maximam se extollens altitudinem portendebat, nisi te & sal futurum, & apem; conditurum te Catholicum Mundum & sancta quadam acrimonia a putredine liberaturum; ac veluti solertem apem mellis dulcedine mitissimum, & aculei puncturis fore cum mansuetudine severissimum honoris Dei zelatorem? Sal in parva etiam quantitate adhibitum, plurimos condit cibos; Ambrosius, licèt solus, & loco dissitus, innumerorum Fidelium animas condivit & corda. Quàm multi in remotissimis Regionibus constituti, vitæ ipsius cognitâ sanctitate, a peccatis avertebantur! Quoniam verò enumerare omnes nec possum, nec temporis patiuntur angustiæ, unicum ferculum proferam, nempe Augustinum Hypponensem Episcopum, Ecclesiæ Sanctæ Doctorem eximium, Fidei Catholicæ columnam ac murum fortissimum. Quis illo, antequam nosset Ambrosium, magis insipidus? quis magis insulsus, Deo magis exosus, & toti Ecclesiæ infensior; quæ etiam tunc temporis in quotidianis precibus ab illius se postulabat liberari fallaciis atque captionibus (*b*)? Hunc, filii, sale suo condivit Ambrosius, & cibum reddidit, super mel & favum dulciorem. De Ambrosii sapore tantum Augustinus accepit, ut ipse quoque innumeros homines postea condiverit. O quantum Ambrosio vèl ex hoc nomine debet Ecclesia, per quem tantâ est divini salis copiâ repleta! Sunt namque Ambrosii, & Augustini libri omnes & scripta abundantissimæ salis officinæ, unde omnium generum homines, Hæretici, & Hebræi, Idololatræ, & Christiani sive Religioni, sive seculo addicti, copiosè possint condiri.

Repulisti secundò, Pastor Sanctissime, pro viribus tuis a Fidelium cœtu putredinem omnem atque corruptionem. Invaserat per ea tempora totum pene terrarum Orbem Ariana lues; diffusa erat pestis illa in omnes has Provincias, & ipsa etiam Mediolanensis Ecclesia ante Ambrosium, ab Ariano Episcopo regebatur. Infecerat

(*a*) *Psalm. CXVIII. v.* 11.

(*b*) De hac, quæ Sancti Caroli ætate vigebat, opinione, vide adnotationem lit. (*c*) ad Homiliam LXVI. habitam Dominicâ XIII. post Pentecost., anno MDLXXXIII. Tom. II. in fol. pag. 302.

cerat hic morbus ferè omnes Italiæ Civitates & Regiones: Quanta verò ſolicitudine, quanto ſudore ac induſtria ſtuduit Ambroſius hujuſmodi corruptionem ſanare? Quot pertulit labores, quot peregrinationes confecit? Quoties Imperatores adivit? quoties Principum, & Magiſtratuum omnium in ſe odium concitavit? A quàm multis fuit ad mortem quæſitus? quot ei paratæ inſidiæ (a)? Omnia tamen propter Deum, & Animas irriſit, contempſit, neglexit, tulit, paſſus eſt, ſuperavit. Væ Provinciis his omnibus, ſi defuiſſet Ambroſius; nec modò his, ſed etiam iis omnibus, in quibus integra perſeverat adhuc Chriſti Religio! Fuit verè dux hic ſtrenuiſſimus, Sponſæ ſuæ Sacroſanctæ Eccleſiæ, ea tempeſtate, qua Petri navicula prope mergi videbatur, ſingulari Dei beneficio conceſſus. Montes hi, hæ Valles, omnis hæc Rhetòrum Regio, ſi loqueretur, nil profectò aliud, arbitror, diceret, niſi: Gratias tibi, Sanctiſſime Præſul, cui, poſt Deum, quidquid in nobis eſt integrum, quidquid catholicum, debemus; qui operarios huc miſiſti, ad meſſes has noſtras in Eccleſiæ horreum congregandas. Utinam viveres; utinam e Cœlis te in terras revocare liceret! Nos felices! O ſecula illa verè beata! Non hìc Luterana putredo, non hìc Zuvingliana peſtis ſerperet, prout, noſtris id exigentibus culpis, adeò longe lateque diffunditur. O quàm multos ex terrenis cœleſtes, ex carnalibus ſpirituales, ex Dæmonibus Angelos, Ambroſii labor & ſermones effecerunt! Quàm plurium ille adamantina corda confregit; quàm multis veritatis iter oſtendit; eos ex inſipidis ſapidos, ex inſulſis condîtos, ex frigidis calidos reddens! Quot ille contumaces ab animis morbos depulit, & ne infirmarentur, remedia providit! Verè ovibus ſuis Paſtor diligentiſſimus, populis dux ſtrenuiſſimus, ignaris magiſter, infirmis medicus, vita mortuis Ambroſius fuit.

Hæc autem omnia peregit, cùm verè ſal Evangelicum foret, atque apis non ſine gracili aculeo, nec ſine eà, quæ illum decebat, acrimoniâ. Profectò nullus illo mitior, ſed nullus etiam in Dei tuendo honore, in Sanctæ Matris Eccleſiæ immunitate ſervanda, in peccatis arguendis, in veritate monſtranda illo ſeverior, liberior, dili-

(a) Connotat hoc loco Sanctus Carolus Juſtinam Auguſtam, quæ abutens Imperatoriâ auctoritate Valentiniani Filii puerilem ætatem agentis, nihil intentatum reliquit, ut Sanctum Præſulem Ambroſium ad cedendam Arianis alteram ex hujus Urbis Baſilicis compelleret. De omnibus, quæ in hac perſecutione contra ipſum armavit Aulicorum & Magiſtratuum furor, ipſemet Ambroſius conſciam facit Sororem Marcellinam in Epiſtolis ad eam ſcriptis, in quibus ſe intrepidè obſtitiſſe narrat, paratum etiam mortem ſubire potiùs, quàm commiſſam ſibi a Prædeceſſoribus pretioſam hæreditatem ignominiosè diſpergere.

diligentior. Ambrosius Maximum Imperatorem, qui per vim sibi occupaverat Imperium, adiens, eò quòd injunctam pœnitentiam nollet suscipere, Fidelium communione privavit (*a*). Hic idem Eugenium, impium Imperatorem, Mediolanum venientem ne aspicere quidem voluit; imo Bononiam sese recipiens, Clero suo imperavit, ne in Ecclesiam ille admitteretur, nullæque ejusdem oblationes reciperentur aut munera (*b*). Hic Theodosium Imperatorem, qui in clade Thessalonicensi plures innocentes occidi mandaverat, publicè pœnitere coëgit, Ecclesiæ ingressu interdictum (*c*). Quàm magnus hic erat Sacerdos, qui neque Imperatoriam Majestatem, neque numerosas Principum cohortes, neque famulorum catervam, neque sicariorum copias metuebat! Projecerat ipse omnem spem suam in Deum, cujus causam agebat. Numquam hic veritatem sibi reticendam putavit; imo apertè Imperatorem ipsum Theodosium in publica concione, eò quòd Judæis & Hæreticis faveret, reprehendit (*d*). Mirentur hic alii Eliæ zelum,

---

(*a*) Hunc Cæsarem a Sancto Ambrosio fuisse anathemate verè perculsum, jam probavimus, contra Baronium, verbis Paulini, relatis in Adnotatione ad Homiliam III. de Sancto Ambrosio, habitam anno MDLXVII. Tom. I.

(*b*) Eugenius, occiso Valentiniano juniore, Imperium invaserat, atque inter cetera scelera, Victoriæ Aram, & Gentilium ritus restitui in Romana Urbe permiserat: Cùm autem nunciatum eidem fuisset, Theodosium ab Oriente cum valida militum manu contra ipsum adventare, iter ad hanc Metropolim instituit. Ambrosius, ùt id rescivit, declinans magis aspectum sacrilegi Tyranni, qoàm formidans Imperantis injuriam, scriptâ ad ipsum plenâ quidem reverentiæ, sed objurgationis quoque Epistolâ, ab hac Urbe discessit; seque Bononiam, ac subinde Florentiam recepit. Eugenius, ut aliquam Christianæ pietatis imaginem simularet, munera ad Ecclesiam Mediolanensem misit, ut Sacerdotum precibus contra hostem victoriam referret. Ea tamen intrepidè respuit Ambrosianus Clerus; quocirca Familiares Eugenii minati sunt, cùm victores reversi essent, *stabulum se facturos in Basilica Mediolanensi, ac Clericos sub armis probaturos*. Narrat egregium hoc factum Baronius ex Paulino, ad annum CCCXCIV.

(*c*) Quomodo ab ingressu Ecclesiæ Theodosium prohibuerit Sanctus Ambrosius, referunt Scriptores antiqui Theodoretus, Sozomenus, & Nicephorus, qui eumdem occurrisse Imperatori ante vestibulum tradunt, &, apprehensâ illius purpurâ, sistere gradum jussisse. Licèt autem sæpius rogaretur a Principe, ut eam libertatem adeondi Ecclesiam eidem concederet, qua infimi quique plebis gaudebant, nihilominus, per octo mensium spatium, longè illum ab ingressu detinuit; donec recurrente Natalitia Domini Solemnitate, ùt Theodoretus testatur, tamdem admisit, datâ priùs sponsione, ut publicam ageret pœnitentiam, & legem propriâ manu signaret, qua cavebatur, ne Reus ullus extremo supplicio afficeretur, nisi post diem a condemnatione trigesimum.

(*d*) Cùm in Orientis *Castro* appellato *Callinici* nonnulli Catholici Viri Judaicam Synagogam concremassent, & quoddam Valentinianorum Templum incendio absumptum fuisset a Monachis, quos memorati Hæretici insolenter vexaverant; Theodosius Imperator, accepto per Epistolas Comitis Orientis rerum hujusmodi nuncio, commotus irâ Edictum vulgavit, quo jubebatur, ut loci illius Episcopus Synagogam ære proprio restitueret; de Monachis verò acris sumeretur vindicta. Scripsit extemplo Sanctus Ambrosius ad Imperatorem, ut Episcopo ac Monachis parceret; sed frustra, Theodosio Aulicorum consiliis potiùs, qoàm Sancti Antistitis monitis aures præbente. Itaque cùm Imperator Ecclesiam Mediolani adiisset, suggestum conscendens Ambrosius apostolica libertate præsentem Principem coarguit, atque Rescripti ab ipso editi indignitatem ostendit: Neque Sacrum facere ad Aras voluit, nisi postquam Imperator de illo prorsus abolendo

lum, cùm Reginæ Jezabelis minas contemneret (*a*), Acabi proterviam nihili faceret (*b*), Prophetas Baalim gladio confoderet (*c*). Ego ſanè quid Ambroſio mirabilius excogitem neſcio, qui inter medios hoſtes ſecurus ſemper inceſſit; qui ſummorum Imperatorum odia intrepidus ſprevit; qui ſolum Dei honorem ſemper præ oculis habuit. O Sacerdotes, fratres dilectiſſimi, cavete, ne Ambroſii zelus veſtram damnet ſegnitiem, veſtram accuſet negligentiam & tepiditatem. Animadvertite, quàm ſit vobis neceſſaria iſthæc ſacroſancta in reprehendendo libertas, in corrigendo acrimonia, in Eccleſiæ Sanctæ juribus tuendis pertinacia. Inimicitias, dicitis, in nos excitabimus: veritas odium parit: ſubditis noſtris erimus exoſi. Imo (ego ſubdo) niſi hæc vobis contingerent, Sacerdotum eſſetis nomine indigni. Sed quid dico Sacerdotum? Audite Paulum: *Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem* (*d*). Cogitavit-ne hujuſmodi Ambroſius? Timuit-ne ipſe Imperatorum iras, minas, furores? Peribit-ne ergo grex Domini ſilentio hoc noſtro, ac deteſtabili timiditate? Abſit à vobis hoc, filii.

Sed quid de iis dicam, qui non modò liberè, ùt decet, peccantes non corripiunt, verùm etiam peccantibus blandiuntur? Sæviſſimi animarum interfectores, humani generis peſtes, bonorum omnium deprædatores, Chriſti hoſtes acerrimi. Utinam nulli ex his reperiantur in Orbe Chriſtiano! Accedit ad iſtos Uſurarius quiſpiam, qui mille illicitos contractus exercuit, advolvitur hujuſmodi Sacerdotum pedibus: Inveniunt ſtatim ipſi venenatas medelas, quibus contractus illos ſtare poſſe ſuadent; & ſic recedit miſer, uſuras uſuris cumulat, ſerpentes in ſinu ſuo ſerpentibus addit, & præceps ruit in gehennam. Concubinarius alter domi ſuæ peſtem nutrit; accedit ad aliquem hujuſmodi Pſeudoprophetam; non imperat hic, ſicuti munus ſuum eſſet, ut illa domo ejiciatur; ſat eſſe monet, ſi peccatis abſtineat, perinde ac ſi peccatum maximum non eſſet, populo ſcandalum afferre, & in continuo ac proximo peccandi periculo vivere. Diaboli hi, non Dei Miniſtri, potentibus adulantur, Magiſtratuum errores excuſant, cenſuris illaqueatos tegere ſtudent. De his conqueritur per Prophetam Dominus dicens: *Scietis quia ego Do-*

do promiſſum ac fidem daret. Narrat hæc Paulinus in Vita Sancti Ambroſii, num. XXII. & XXIII. Concio verò, quam habuit coram eo Cæſare Sanctus Ambroſius, legitur in Epiſtola XL. ad Theodoſium, & ſequenti ad Marcellinam Sororem, in prima Epiſtolarum Claſſe apud Maurinos Monachos, qui, in Vita hujus noſtri Sancti Antiſtitis chronologicè ſcriptà, rebus hiſce actis annum CCCLXXXVIII. aſſignant.

(*a*) *III. Regum XIX. v.* 2.

(*b*) *Ibidem XVIII. v.* 15. *& ſeqq.*

(*c*) *Ibidem v.* 40.

(*d*) *Ad Galatas I. v.* 10.

Dominus Deus : Eò quòd deceperint populum meum, dicentes : Pax, & non est pax, & ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis (*a*). *Parietis nomine*, fratres, *peccati duritia designatur. Ædificare ergo parietem, est contra se quempiam obstacula peccati construere. Sed parietem liniunt, qui peccata perpetrantibus adulantur; ut quod illi perversè agentes ædificant, ipsi adulantes, quasi nitidum reddant* (*b*). Significari verò per parietem peccatum, indicat id, quod ait Isaias : *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & Deum vestrum* (*c*); ac si dicat : Congeries scelerum vestrorum est durus paries, separans vos a Deo vestro. Hic est *paries*, ad quem *Ezechias faciem suam convertit* (*d*), vim lacrymarum profundens; considerans enim peccata sua, a fletu abstinere non potuit. Hic est paries, qui super filios Job (*e*) simul cecidisse, eosque oppressisse legitur. Hic est paries, quem Ezechiel perforare jubetur (*f*), quem debemus mentis oculis intueri, & cogitatione penetrare, ut cognoscentes flagitia nostra Deum ad iram provocantia, ea lacrymis & pœnitentiâ deleamus. Hunc parietem ædificabant Hebræi, Jeremiæ consilio non acquiescentes (*g*), sed scelera sceleribus cumulantes. Hunc parietem ædificant plerumque subditi nostri, quos Christus pretiosissimo suo Sanguine redemit; & Sacerdotes aliqui infelices blandiuntur, adulantur, pacem promittunt, ubi nulla potest esse pax, sive securitas. Peccat populus, & hi peccata confirmant; propterea adversùm hujusmodi tremenda illa verba subjicit Dominus : *Hæc dicit Dominus Deus : Væ quæ consuunt pulvillos sub omni cubito manus : & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas* (*h*)! Et quid est *pulvillos consuere*, quid *cervicalia* supponere, nisi peccata defendere, nisi adulari peccantibus? Væ igitur istis, qui hæc faciunt *ad capiendas animas!* Diaboli est istud officium, qui laqueum ubique parat pedibus nostris, qui animarum est venator : *Et violabant me*, prosequitur Dominus, *ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficerent animas, quæ non moriuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo, credenti mendaciis* (*i*). Et quibus coloribus potuisset hujusmodi indignissimorum avara adulatio vividiùs depingi? Utinam nulli umquam tales sint inter vos! Sed si in quospiam incideritis, fugite eos, filioli, cavete ab illis; *propter pugillum* enim *hordei animas* vestras immortales *interficere*

(*a*) *Ezech. XIII. v.* 9. & 10.
(*b*) Gregorius in Moralibus Lib. XVIII. Cap. XXVII. Editionis Parisiensis anni MDCCV.
(*c*) *Isaiæ LIX. v.* 2.
(*d*) *Ibidem XXXVIII. v.* 2.
(*e*) *Job I. v.* 19.
(*f*) *Ezech. VIII. v.* 8.
(*g*) *Jerem. XXII. v.* 13.
(*h*) *Ezech. XIII. v.* 18.
(*i*) *Ibidem v.* 19.

ficere quærunt. Quid est enim quidquid lucrari possunt, nisi parvum quidpiam, fluxum & caducum, quod brevi consumitur eripitur & evanescit? Sed non Sacerdotibus solis (quales Dei gratiâ non habetis) hæc a me dicta, velim existimetis; quin etiam et ad vos ipsos adamussim pertinere intelligatis: *Mentiuntur* quidem, inquit Dominus, hujusmodi Sacerdotes; sed cui? *Populo credenti mendaciis;* ego autem addo: quærenti mendacia. Numquid non quærunt, *qui dicunt videntibus: nolite videre: & aspicientibus: nolite aspicere. Loquimini nobis placentia* (a)? Numquid non hæc dicunt & quærunt, qui gravioribus peccatis commaculati, eos dumtaxat Sacerdotes adeunt, quos noverunt imperitiores, & ad ignoscendum faciliores? Heu, heu! quia *pulvillos* sibi jam *consuunt* peccatores, etiam absque Sacerdotum blandimentis; sibi ipsis adulantur, excusationes excogitant, usuras sibi suadent, usuras non esse, & mille hujusmodi.

Audistis ergo, Sacerdotes fratres, quanta in vobis requiratur in hoc munere adimplendo ingenuitas atque libertas. Unum addere libet, quò eam faciliùs exerceatis. Iidem illi, quos acriter reprehenditis, licèt nunc vobis videantur infensi, arctiori cùm resipuerint amicitiæ vinculo vobis jungentur. Hæc est maxima veritatis efficacia, ut etiam quos lædit in suî amorem tamdem inclinet. Cognoscent hi postmodum, fuisse vos animarum suarum patres, & medicos; agnoscent graves, quibus detinebantur infirmitates; morti sese proximos fuisse; sanitatem ipsis per vos restitutam; adhibuisse quidem vos ignem ferrum vinum, & aspera alia medicamenta, sed id cum lacrymis & pene coactos vos peregisse; demum hujusmodi fuisse morbi gravitatem, ut non mollibus, sed duris & acribus fuerit remediis curanda. Hoc ipsum mirabiliter in Ambrosio Sanctissimo animadvertite.

Ambrosius, sicuti erat animo humillimus (inflari quippe nesciebat, quemadmodum ipsemet Dæmoni publicè clamanti, se ab Ambrosio torqueri, semel respondit), ita etiam pro Ecclesiastica tuenda dignitate, & divino honore promovendo, acri zelo inflammabatur. Noverat, quanta sit Episcoporum, & Sacerdotum præstantia, quippe qui *gens sancta*, *genus electum*, *& regale* sunt *Sacerdotium* (b); dedecere ideo arbitrabatur, ut iis in locis, sacrarum nempe Ecclesiarum Choro, in quo laudes Deo summo ipsi decantant, Laici ulli, etiam Imperatoria dignitate fulgentes, consistere auderent. Quocirca Theodosium piissimum Imperatorem illic consi-

(a) *Isaiæ XXX. v. 10.* | (b) *I. Petri II. v. 9.*

dere tentantem, publicè coram omnibus expulit, nec inter Sacerdotes est passus commorari. Fuit quidem hæc, si prima facie quis consideret, gravis injuria; & eò gravior, quò in Orbis terrarum Imperatorem fuit illata. At tantum potuit veritas, tantum habuit virium, ut aliàs idem ipse Imperator in Græcia, ab Episcopo quodam honoris causâ intra Chorum invitatus, memor Ambrosii dixerit: *Non sic fecisset Ambrosius;* testatusque sit, neminem se Episcopum cognovisse, præter Ambrosium (*a*). Sed etiam aliàs hic idem Imperator obtentâ de Tyranno Eugenio victoriâ, cùm in Italiam properaret, illique obviam Aquilejam usque processisset Ambrosius, pro quibusdam veniam petiturus, conspecto Ambrosii vultu, statim equo descendens, Sanctissimi Episcopi pedibus provolutus: Tua, inquit, Beatissime Pater, ope tantam reportavi victoriam, tuis mihi precibus tot sunt a Domino concessa trophæa; te ergo Patrem semper novi, & habebo, quamdiu vixero (*b*). O inexcogitabilem integritatis vim! Expulerat non multò ante Ambrosius publicè ex Ecclesia Imperatorem, ob cædem Thessalonicæ patratam, cumque octo & ampliùs menses ab Ecclesia ingredi prohibuerat, publicè agendam pœnitentiam indicens: Et tamen, videte nobilem vindictam, & dignam Catholico Principe indignationem. Patrem agnoscit, ùt patrem veneratur, equo descendit, pedibus advolvitur, lacrymatur, ac quidquid petit, Ambrosio indulget. Verè solus Ambrosius Episcopus inter multos Episcopos. Hic magnus ille est Azarias, peculiari quodam privilegio, dictante Spiritu Sancto, in sacris literis Sacerdotis nomine celebratus. *Ingressus* Ozias Rex Israël *Templum Domini*, *adolere voluit incen-*

(*a*) Verba Theodosii ad Nectarium Constantinopolis Episcopum retulimus ex Theodoreto, in Adnotatione ad alteram Sancti Caroli Homiliam, num. III., de eodem Sancto Ambrosio habitam Mediolani anno MDLXVII., & in primo volumine impressam.

(*b*) Theodosius relatâ de Eugenio insigni victoriâ, ipsoque etiam interfecto, Literas ad Ambrosium dedit, ut gratias Deo publicè redderet. Piissimi Imperatoris votum libentissimè Sanctus Præsul implevit; idque testatus est in Epistola ad Theodosium scripta, in qua laudem hanc illi tribuit: *Alii Imperatores in memoriam victoriæ Arcus triumphales parari jubent, aut alia insignia triumphorum; Clementia tua hostiam Deo parat, oblationem & gratiarum actionem per Sacerdotes celebrari desiderat* &c. Quandoquidem verò qui Eugenii partes secuti fuerant, intellecto Imperatoris adventu, iram victoris atque vindictam extimescebant; ideoque ad Ecclesiam tamquam in tutum asylum pleno agmine confugerant. Eorumdem lacrymas sustinere non potuit Ambrosius; proinde tum per Literas, tum per Legatos rogare Principem adventantem non destitit, ut Reis ignosceret: Quinimo non satis habens, sæpius a Theodosii clementia postulasse miseris veniam, profectus ipsemet fuit ad Urbem Aquilejensem, ut coram preces effunderet. Verùm Theodosium invênit, non modò cuncta quæ peteret concedere paratum, sed etiam provolutum ad pedes vidit, & confitentem, ejusdem meritis ac pracibus fausta omnia quæ acciderant se debere. Baronius, qui ex Paulino ista describit in Vita Sancti Ambrosii ab ipso contexta, Epistolas etiam ab Ambrosio de hac re ad Theodosium missas per compendium refert.

incensum super Altare thymiamatis. Statimque ingressus post eum Azarias Sacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi, restiterunt Regi, atque dixerunt: Non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujuscemodi ministerium: Egredere de Sanctuario, ne contempseris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc a Domino Deo (*a*). Egregium profectò animi robur Azarias ostendit; quamobrem, cùm de ipso in sacris literis mentio fit, dicitur: *Johanan genuit Azariam. Ipse est, qui Sacerdotio functus est in domo, quam ædificavit Salomon in Jerusalem* (*b*). Numquid non èt alii innumeri *Sacerdotio functi sunt*, in eadem domo? Sunt quidem; sed intrepidus Azariæ animus, qui, ut Sacerdotalem tueretur dignitatem, Regium vultum non expavit, hunc sibi titulum meruit. Quantò igitur æquiùs Ambrosius vocandus est Episcopus, qui eamdem ob causam, non Regi sed Imperatori, nec uni sed quatuor (*c*) adeo liberè restitit? O sal minimè infatuatum! O sal acre, sed condiens, sed purgans, sed præservans!

Discite hinc amatissimi filioli, quàm indignum sit & temerarium, Laicos audere Sacerdotum sese negotiis ingerere. Quòd si loco, quem in sacris obeundis muneribus occupant, tanta debetur reverentia, quantam ab Imperatore potentissimo adhiberi voluit Ambrosius; quàm sedulò ipsosmet Dei Ministros revereri opus erit? Quis eos ad seculare Forum præsumet attrahere? Quis, suadente Diabolo, violentas in illos manus audebit injicere? Verè ipsorum dignitas atque auctoritas omni est veneratione colenda; solet quippe Dominus Deus, qui se illorum partem dicit, acerrimus esse vindex eorumdem libertatis, acerbissimè quandoque illatas illis injurias ulciscens. *Iratus Ozias, tenens in manu thuribulum, ut adoleret incensum, minabatur Sacerdotibus. Statimque orta est lepra in fronte ejus coram Sacerdotibus in domo Domini super Altare thymiamatis. Cùmque* res-

(*a*) *II. Paralipom. XXVI. v. 16. & seqq.*

(*b*) *I. Paralipom. VI. v. 10.*

(*c*) Hi fuere Valentinianus II., instigante Matre Justina, Maximus, Theodosius, & Eugenius. Adjungendus istis est Valentinianus I., quem Ambrosius in ipso suscepti Episcopatûs limine generosa libertate coarguit, quemadmodum narrat Theodoretus Lib. IV. Historiæ Eccles. Cap. VII. his verbis: *Paucis post diebus* (nempe ab Ordinatione) *cùm divinus Ambrosius multâ cum libertate Imperatorem alloquens nonnulla reprehendisset, quæ a Magistratibus haud rectè facta videbantur, respondit Imperator: Hanc tuam libertatem jam pridem cognitam habebam; sed, licèt eam probè nossem, non solum non contradixi, imo assensum præbui Ordinationi tuæ. Proinde delictis animarum nostrarum medicinam adhibe, quemadmodum divina Lex præcipit.* Plura alia proferri possent exempla imperterritæ constantiæ, qua Sanctus hic Præsul contra Imperatorum Rescripta pugnavit. Satis erit, verba ejusdem describere, quæ Lib. II. de Officiis Cap. XXIX. leguntur: *Meministis*, inquit, *quoties adversùs Regales impetus pro Viduarum, imo omnium Depositis certamen subierimus;* statimque subdit, quæ recentissimè acta fuerant in Ecclesia Ticinensi: Sed sub quo Imperatore ista contigerint, Baronius in Vita Sancti Ambrosii se ignorare fatetur.

respexisset eum Azarias Pontifex, & omnes reliqui Sacerdotes, viderunt lepram in fronte ejus, & festinatò expulerunt eum. Sed èt ipse perterritus acceleravit egredi, eò quòd sensisset illico plagam Domini. Fuit igitur Ozias Rex leprosus usque ad diem mortis suæ, & habitavit in domo separata, plenus leprâ, ob quam ejectus fuerat de domo Domini (a). Cavete igitur, filii, cujuscumque gradus aut officii estis; caveant Magistratus: Dei pupilla sunt Sacerdotes. *Qui tetigerit eos, oculi* Dei *tanget pupillam* (b). Divinam ultionem pertimescite (c).

Discite hinc etiam omnes, quantùm Ambrosius Ecclesiastici decoris solicitus esset; quantâ vos modestiâ & religione in iisdem ipsis Ecclesiis expediat versari, vana colloquia fugere, turpes omnes cogitationes abjicere, incompositos demum actus vitare. Conjicite in primis, filiæ, vobis studendum esse, ut Ambrosii exemplo in Ecclesiis, prout decet, consistatis, velatis nempe capitibus, ac velis ipsis ad oculos usque demissis, tum *propter Angelos*, ùt monet Apostolus (d), tum etiam propter adstantes, ne eis peccandi offendiculo sitis; præsertim verò propter Dominum Deum, in cujus domo versamini. Vos verò Sacerdotes, quò estis dignitate præstantiores atque excellentiores, eò moribus etiam & vita debetis esse magis præclari, & Sanctissimo Patri Ambrosio simillimi, qui, ut perfectiùs animas Christi pretioso sanguine redemptas condiret, purgaret, præservaret, salis more liquefiebat ipse, ac pene annihilari videbatur. *Quis infirmabatur*, quin *èt ipse non infirmaretur? quis scandalizabatur*, quin *èt ipse non ureretur* (e)? *Gaudebat cum gaudentibus, flebat cum flentibus* (f). Si qui ad ipsum, ut peccata confiterentur, accedebant, in tot prorumpebat lacrymas, ut etiam illos lacrymari compelleret (g). Interea se ipsum jejuniis extenuabat,

(a) *II. Paralip. XXVI. v. 19. & seqq.*
(b) *Zachariæ II. v. 8.*
(c) Glussianus in Vita Sancti Caroli Lib. VII. Cap. V., de Oppido Belinzonæ loquens, quod Helvetiorum regimini suberat, ait, malè habitam fuisse Ecclesiasticam immunitatem a Magistratibus ejusdem, qui jura Sacerdotibus reservata invadebant; atque ideo sacra anathematum vincula spernentes, perturbare pacem Ecclesiæ non verebantur. Itaque S. Carolus sermonibus publicis, ac privatis monitis ita profecit, ut Primores tanti sceleris rei ad ipsum accederent, in Ecclesiæ communionem ac gremium restituendi; sponderentque, se in posterum reverentiam Sacerdotibus servaturos, nec amplius illaturos injuriam Ecclesiasticæ libertati.
(d) *I. ad Corinth. XI. v. 10.*
(e) *II. ad Corinth. XI. v. 29.*
(f) *Ad Romanos XII. v. 15.*
(g) Paulinus, qui ferme iisdem verbis hæc refert num. 39. & seqq., subjungit, Ambrosium flevisse etiam amarissimè, quotiescumque eidem nunciabatur sancti alicujus Sacerdotis obitus; eò quia difficile esset invenire virum, qui summo Sacerdotio dignus haberetur. Testatur etiam, illum ingemiscere vehementer consuevisse, cùm videret, radicem omnium malorum avaritiam pullulare, *maximè in iis, qui in potestatibus erant constituti, itaut interveniendi apud illos gravissimus labor esset, quia omnia pretio distrahebantur.*

bat, & vigiliis; prandium numquam, nisi Festis diebus sumebat (*a*), orationibus semper, & scribendi aut concionandi laboribus deditus (*b*). Omnia sua in pauperes erogabat, & totum patrimonium Ecclesiis addixerat, solo fructuum usu Marcellinæ sorori reservato. Quis assequi valeat, quàm intimè aliorum peccata ipsum afficerent, ita ut mortem a Domino petiisse ob illa sit creditum, & longâ consumptum febri periisse (*c*)? Quid non aggrediebatur, ubi de animæ alicujus salute ageretur, etiam extra suum gregem positæ? Mandasse Dominum sibi de proximis suis omnibus reputabat

(*a*) Idem Paulinus in Vita Sancti Ambrosii narrat, *hunc quotidiano jejunio corpus macerasse, nec illi umquam prandendi morem fuisse, nisi die Sabbati, & Dominico, vel cùm Natalitia celeberrimorum Martyrum essent.* Cur autem Præsul iste omnibus per annum, & etiam Quadragesimæ Sabbatis jejunium solveret (quemadmodum ipsemet testatur in Libro de Elia, & Jejunio Cap. X. his verbis: *Quadragesimâ totis, præter Sabbatum, & Dominicam, jejunatur diebus*) in causa fuit consuetudo ab Oriente in Mediolanensem Ecclesiam inducta, ut nempe Sabbato Christifideles pranderent; cùm tamen Romæ, atque in aliis quibusdam Occidentis Ecclesiis eo die jejunium servaretur. Ecclesiastici hujus moris adeò tenax fuit Sanctus Ambrosius, ut, cùm Sancta Monica Augustini mater e Romana Urbe Mediolanum venisset, atque de hac re anxia foret, consuleretque Ambrosium, ab eodem acceperit celebre illud responsum, quod Sanctus Augustinus scriptum reliquit in Epistola olim LXXXVI., nunc in postrema Parisiensi editione XXXVI. cap. XIV., ad Casulanum Presbyterum, his verbis: „ Cùm in eadem Civitate (Mediolani) mater mea mecum esset, &, nobis „ adhuc Cathecumenis parùm ista curantibus, „ solicitudinem gereret, utrum secundùm morem nostræ Civitatis sibi esset Sabbato jejunandum, an Ecclesiæ Mediolanensis more „ prandendum; ut hac eam cunctatione liberarem, interrogavi de hoc supradictum hominem Dei (nempe Ambrosium). At ille: „ Quid possum, inquit, hinc docere amplius, „ quàm ipse facio? Ubi ego putaveram, nihil eum ista responsione præcepisse, nisi ut „ Sabbato pranderemus, hoc quippe ipsum facere sciebam; sed ille secutus adjecit: Quando hìc sum, non jejuno Sabbato; quando „ Romæ sum, jejuno Sabbato: Et ad quamcumque Ecclesiam veneritis, inquit, ejus „ morem servate, si pati scandalum non vultis, aut facere. „ Idem Sanctus Augustinus rationem affert hujus discriminis inter Romanam, & Orientales Ecclesias, quarum morem Mediolanensis sequebatur; scribens enim ad Casulanum superiùs memoratum, hæc habet Cap. XIII.: „ Romana Ecclesia cum aliis „ jejunabat propter humilitatem mortis Domini; jejunia quippe humilitatem significant, „ unde dictum est Psalm. XXXIV.: *Et humiliabam in jejunio animam meam:* Orientales „ verò relaxabant jejunium propter requiem „ significandam, quia eo die Caro Christi in „ monumento requievit; excepto tamen Sabbato majoris hebdomadæ, quo ad renovandam doloris memoriam, quam Discipuli humanitus morti Præceptoris impenderant, illi „ etiam jejunium devotissimè celebrabant, qui „ ceteris per totum annum Sabbatis prandebant: utrumque videlicet significantes, & „ in uno anniversario die luctum Discipulorum, „ & ceteris Sabbatis quietis bonum.

(*b*) Testis de assiduo Ambrosii studio, ac frequentiâ Concionum est Sanctus Augustinus, qui Lib. VI. Confessionum, Cap. III. hæc habet: „ Cùm legebat, oculi ducebantur per „ paginas, & cor intellectum rimabatur; vox „ autem & lingua quiescebant. Sæpe cùm „ adessemus (non enim vetabatur quisquam „ ingredi, aut ei venientem nunciari mos erat), „ sic eum legentem vidimus tacitè, & aliter „ numquam; sedentesque in diuturno silentio „ (quis enim tam intento, esse oneri auderet?) „ discedebamus „. Et infra: „ Certè mihi „ nulla dabatur copia sciscitandi quæ cupiebam de tam sancto oraculo, nisi cùm aliquid „ breviter esset audiendum: Et eum quidem „ in Populo res veritatis tractantem omni die „ Dominico audiebam.

(*c*) Quo morbi genere sublatus fuerit Sanctus Ambrosius, minimè indicat Paulinus, narrans solummodo, eumdem, ordinato Ecclesiæ Ticinensis Episcopo, incidisse in infirmitatem, qua, cùm plurimis diebus detentus esset in lectulo, tamdem expansis in modum Crucis manibus orans migravit ad Dominum. Credibile tamen est, ingravescentis febris tabo consumptum interiisse, ùt Sanctus Carolus hìc testatur.

bat (*a*); proinde omnibus ſana conſilia, ſalutaria monita, & ſubſidia opportuna præbebat, omnes doctrinâ inſtruens, ac turpia perpetrantes liberrimè increpans.

Audivimus jam de Ambroſii officiis & moribus multa quidem, filii, ſed minima. Quid nos ergo Apoſtolis, quid Apoſtolicis Viris, quid demum debemus Ambroſio? Annon ſibi invicem congruunt Epiſcopus & Populus, Paſtor & Grex, Magiſter & Diſcipulus, Medicus & Infirmus; ſal, & quod ſaliendum eſt? Ita profectò. Debuit ergo ille condire, debuit putredinem omnem procul repellere, debuit ipſe, ut hæc faceret, zelo pene conſumi. Debemus nos etiam ſal iſtud recipere, *obedire Præpoſitis noſtris* (*b*), pœnitentias injunctas amplecti, objurgationes licèt acerbas æquo animo ferre, condiendos denique nos, & purgandos libenter exhibere. Graves videntur reſtitutiones; grave, quod illicitè retinetur, dimittere; grave, crapulis abſtinere & compotationibus. Cenſet quoque infirmus grave ſibi eſſe amariſſima pocula ſumere, crura & brachia quandoque inciſioni exponere; ſed recuperatâ valetudine, omnis gravitas in levamen, omnis amaritudo in ſummam tranſit dulcedinem. Nolite in præſentia, filii, oculos in hæc conjicere, ſed anteriora reſpicite; quæ ventura ſunt animadvertite; quis eorum ſit finis futurus, conſiderate: & hilari animo omnia complectemini.

Jam verò ad te, Pater amantiſſime Ambroſi, me Populi hujus erga te ſingularis pietas redire compellit. Non ſunt hi natione Mediolanenſes, non Eccleſiæ tuæ ſubditi: Sunt tamen Eccleſiæ Catholicæ filii; cujus etiam, licèt non præcipuè ſicut Mediolanenſis, fuiſti tamen aliquatenus Paſtor, cùm eam exemplis paveris ac doctrinis, & in præſentiarum ſuffragiis paſcas & precibus. Cur ergo ab eximiæ caritatis tuæ viſceribus Belinzonenſes hi filii, ad te potiſſimùm confugientes, debeant excludi? Fuiſti tu, cùm apud nos viveres, animarum amantiſſimus; nunc dum regnas in Cœlis, quantò eris zelo ferventior? Supplices ad te iſti omnes accurrunt; hodiernum diem Ordinationis tuæ ſolemnem eſſe (quod priùs non conſueverant) voluerunt; eſt hoc maximæ erga te obſervantiæ & amoris indicium. Merentur amantes a te redamari: Oderunt hi, quæ tibi adeò, dum vitam ageres, diſplicuerunt; omnes ſtatuunt in poſterum Sacroſanctæ Eccleſiæ debitum honorem tribuere, Eccleſiaſticam immunitatem viribus omnibus conſervare. Jam plurimi, qui eam ignoranter aliquatenus violaverant, humillimè a pia Matre veniam

(*a*) *Eccleſiaſtici XVII. v. 12.* | (*b*) *Ad Hebr. XIII. v. 17.*

niam postularunt, quam etiam sunt consecuti. Publico sese omnes juramento obstrinxerunt, numquam ampliùs se illam perturbaturos, nec aliam in rem, quæ ad Ecclesiam pertineat, violentam manum injecturos. Subditi sunt Rhetorum eorum, qui veteri titulo Sanctæ Matris Ecclesiæ defensores & propugnatores nominari volunt & gloriantur. Eorum ego ad te nomine, licèt indignissimus in tua Sede Successor, supplex accedo: Suscipe filios hos benignissime Pater in clientelam & patrocinium tuum; quod ipsi adeò expostulant, eis benignus impende. Bono ipsi sunt corde, promptamque voluntatem Deo auxiliante gerunt. Fructus jam in ipsis pœnitentiæ non obscuros, summo nostro cum gaudio vidimus; sed homines infirmi sunt, in mari versantur fluctibus continuò agitati, ac debili admodum navi vehuntur. Exurge Pater, nec obdormias; adjuva eos, ne pereant; impetra tu illis constantiam, ut quamdiu vivunt, quæ tu horruisti, horreant, quæ dilexisti, amplectantur. Respice eos continuò benignitatis tuæ oculis, eorumque preces Domino Deo repræsenta; ut sub tuis auspiciis tranquillam vitam ducentes, tuis obtemperantes præceptis, tuæ tamdem effici mereantur quoque gloriæ participes. Amen.



HO-

HOMILIA LXXXIV.

IN EVANGELIUM LUCÆ

CAP. I.

Habita in Metropolitana Mediolani Dominica VI. Adventus Ritu Ambrosiano,

IN QUA CELEBRATUR FESTUM

INCARNATIONIS D. N. JESU CHRISTI

ANNO MDLXXXIII. XVIII. DECEMBRIS.



FUIT olim, dilectissimi filii, miseriarum omnium nostrarum atque calamitatum initium, perniciosissimum illud Angeli pravi colloquium cum Eva matre nostra (*a*). Blanda illa suasio omnes omnium generum calamitates in genus humanum invexit, falsis mendacibusque promissis eam sollicitavit ad abjiciendam divini præcepti obedientiam, ad aures fallaciis præbendas, sicque postmodum ad virum suum Adam Protoparentem nostrum in eamdem transgressionis foveam, unà secum præcipitandum. Hæc fuere primordia infaustissima atque origo laborum omnium, ærumnarum, dolorum, infirmitatum, & mortis, quibus sumus omnes obnoxii. Quid igitur mirum, si *incidit* Satan *in foveam, quam fecit* (*b*); si unde mors exordium traxit, inde Redemptionis beneficium inchoaverit; si ambo simul conveniant; si denique eàdem prorsus vià operatus fuerit salutem nostram Dominus, qua Dæmon æternum præparabat interitum? Colloquium miserias omnes tunc induxit; alterum verò colloquium plenam attulit felicitatem. Illud Angeli, sed mali; hoc Angeli, sed boni Gabrielis: Illud a Satana institutum, hoc a Deo decretum:

(*a*) *Genesis III. v. 1. & seqq.* | (*b*) *Psalm. VII. v. 16.*

tum: Illud ad Virginem Evam, hoc ad Virginem Mariam. Fallacibus illa, veriſſimis iſta promiſſis præſtitit fidem: Receſſit illa a mandato Dei; hæc totam ſeſe divinæ voluntati ſubjecit. Iſtiuſmodi ergo Myſterium hodie nobis in Evangelio Sacro repræſentat Eccleſia, cujus quidem memoria licèt Martio menſe celebretur, quia tamen in Quadrageſimale Jejunium incidit (quo tempore cùm omnia ad pœnitentiam & lacrymas, necnon ad morienti Chriſto compatiendum invitent, nos gaudii & exultationis Officia Ritu noſtro Ambroſiano miſcere non aſſuevimus) ideo in hodiernam Dominicam hujuſmodi Feſtum tranſtulimus: Quod & antiquiſſimo apud nos uſu receptum agnovimus, & apud multas alias quoque Eccleſias obſervari comperimus (*a*). Præterquamquod non incongruè, imo opportunè admodum atque appoſitè Dominicam Nativitatem octo poſt diebus celebrandam, ab Incarnationis ejuſdem memoria, ac Officii recitatione præcedi debere, antiquis Patribus noſtris viſum didicimus. Hoc igitur Myſterium ex Evangelii lectione (quatenus temporis patientur anguſtiæ) percurrentes, aliqua de eo dicemus.

Prima ipſa Evangelii verba Legationis, de qua agitur, ſublimitatem detegere incipiunt; ideo accuratè admodum Evangeliſta deſcribit & mittentis, & miſſi, & ejus ad quam mittitur, & loci quò mittitur, nomina. *In menſe autem ſexto*, inquit Lucas (*b*), *miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo in Civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam Viro, cui nomen erat Joſeph, de domo David, & nomen Virginis Maria*. O verè grandis Legatio, atque admirabilis! Cujuſvis Legationis excellentia ac dignitas tribus his potiſſimùm facilè dignoſcitur, nempe ex præſtantia mittentis, Legati, & illius, ad quem Legatio dirigitur; quos ſi excelſos ac præcellentes eſſe contigerit, magnum profectò ſubinde negotium, de

(*a*) Concilium Toletanum X. habitum anno DCLVI. Can. I. hæc habet: „ Quonian die, „ qua invenitur Angelus Virgini Verbi con- „ ceptum & nunciaſſe verbis, & indidiſſe mi- „ raculis, eadem feſtivitas non poteſt celebra- „ ri condignè, cùm interdum Quadrageſimæ „ dies, vel Paſchale feſtum videtur incumbe- „ re, in quibus nihil de Sanctorum Solemni- „ tatibus, ſicut ex antiquitate regulari cau- „ tum eſt, convenit celebrari. „ Sancit verò: „ Ante octavum diem, quo natus eſt Do- „ minus, Genitricis quoque ejus dies habeatur „ celeberrimus, & præclarus &c. Additque „ hanc inſtitutionem exemplo non carere; *In* „ *multis namque Eccleſiis, a nobis & ſpatio re-* „ *motis, & terris, hic mos agnoſcitur retineri.* „ Inter has Eccleſias non immeritò reponi poſſe Mediolanenſem, quæ Dominicâ VI. Adventûs Domini Solemne celebrat Officium de Incarnatione Verbi, ſeu de Annunciatione B. Mariæ, adnotavere Bollandiſtæ ad diem xxv. Martii, & Martene de Antiqu. Eccleſiæ Ritibus Tom. III. Lib. IV. Cap. XXI.: Hic verò animadvertit, hactenus Eccleſiam Toletanam, octavâ ante Domini Nativitatem die, hanc Feſtivitatem Solemni ritu recolere.

(*b*) *Cap. I. v. 26. & ſeq.*

quo agitur, esse conjicitur: Si verò tria hæc in his verbis propositis comprehendi intelligamus, certè Legationis magnitudo humanum omnem non modò, verùm etiam Angelicum intellectum transcendit. Qui mittit est *Deus*, infinitus immensus æternus incomprehensibilis omnipotens, qui nec describi, nec definiri ullatenus potest; qui, quid sit, nemo umquam percepit, quid non sit, omnes intelligunt; quem *nemo vidit umquam* (*a*); qui ubique est, nec loco circumscribi potest aut termino; a quo omnia procedunt; de cujus essentiæ plenitudine, cuncta quæ sunt, id ipsum quod sunt recipiunt; qui solo verbo universa creavit, gubernat, possetque unico nutu in nihilum, unde sunt creata redigere; cui comparata omnis creatura, nihil est; qui se ipsum solus intelligit, potentissimus *Regum Rex*, *& Dominantium Dominus* (*b*), semper fortis immortalis & victor; *in cujus manu sunt omnium potestates*, *& omnium jura Regnorum;* qui cuncta moderatur, & quos vult de stercore erigit, ac cum Principibus sedere facit (*c*), eosque etiam si velit de sublimitatis solio in miseriarum profundum deturbat. O Deus! Quid tuam ego magnitudinem verbis hisce conor aperire? Annon omnia satis patent cùm dicimus, quòd sis Deus? *Quis* enim *Deus*, *præter te Deum nostrum* (*d*)*?* Ecce ergo qui mittit.

Mittitur *Angelus*, & non quidem infimi ordinis, sed ex supremis, nempe Gabriel, unus ex iis, qui adstant continuò ante thronum sublimissimi Dei (*e*), qui interpretatur *Fortitudo Dei ;* atque ideo sola nominis sui interpretatione, gravitatem Mysterii, quod nunciat, ostendit, fortitudinis videlicet maximæ opus: de quo dicitur : *fecit potentiam in brachio suo* (*f*), cùm e converso de Cœlis, & creatis omnibus Substantiis dicatur, quòd *opera digitorum Dei* sint (*g*); majoris quippe fortitudinis fuit, hominem ex peccati profundo ad divinæ gratiæ culmen extollere, quàm de nihilo eumdem creare.

Mittitur verò *ad Virginem*, gratiarum thesaurum in se continentem, cœlestibus donis omnibus adeo plenam, ut pura nulla creatura umquam illam æquare potuerit, quam sibi Deus elegit in Matrem: Et quanti momenti est negotium, pro quo pertractando Legatio instituitur! Quàm inusitatum, quàm novum (o Deus!), quòd ad rebelles homines mittere digneris; quòd ex iis Virginem unam elegeris, quam gratam habere volueris, & per eam universo homi-

(*a*) *Joann. I. v.* 18.
(*b*) *I. ad Timoth. VI. v.* 15.
(*c*) *Psalm. CXII. v.* 7. *&* 8.
(*d*) *Psalm. XVII. v.* 32.
(*e*) *Luce I. v.* 19.
(*f*) *Ibidem v.* 51.
(*g*) *Psalm. VIII. v.* 4.

hominum generi reconciliari! Fuerat tot annorum millibus Cœlum occlusum, ejectus inde in hanc lacrymarum vallem homo transgressor, positus Cherubim, qui Paradisum custodiret, ne cuiquam ad illum aditus pateret (*a*): Et tamen ad hominem hodie mittitur Angelus.

Solent qui se aliquâ injuriâ lacessitos aut provocatos existimant, expectare, ut qui offensam irrogavere, eosdem supplicabundi præveniant, & humilibus officiis, necnon etiam interpositis Patronis reconciliationem petant, ac illatæ injuriæ veniam non semel efflagitent. Offenderat omnis homo Deum, quia in Adam & Eva omne hominum genus concludebatur. Justè & meritò iratus erat hominibus Altissimus Deus; nec conqueri quispiam poterat, divinæ vindictæ sagittas in se dirigi, quam adeo acriter priùs ipse provocaverat. Et tamen prævenit hodie lædentem, rebellem, injuriosum, inimicum hominem Deus; & prior ipse reconciliari quærit, ac ob id nuncium nobilissimum Gabrielem Angelum mittit. Verè hodie decet nos dicere: *Quid est homo, quòd memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum* (*b*)? *Quid*, inquam, summe Deus, *est homo*, nisi pulvis, nisi figmentum de terra, cinis, fumus, & quod omnibus pejus est, nisi peccator? Quid est, inquam, hic homo, nisi is, qui tuî oblitus, innumera a te accepta beneficia parvipendens, & quæcumque a largitate tua perceperat, mente non recolens, te contempsit irrisit abjecit? Quid, inquam, hic homo est, nisi impudentissimo Ruben, *patris cubile ascendenti* simillimus (*c*), cùm gloriam tuam, tibique debitum honorem usurpare tentavit, ac fieri Deo similis, *sciens bonum, & malum* (*d*)? Attamen hodie *memor es ejus*; & post plurimos præteritos annos, post tot acceptas injurias, post tam multa ab ipso patrata facinora *visitas eum*; Legatum ad eum Angelum mittis, ut demum eidem, post expletum Angeli nuncium, te ipsum hypostaticè unias. O quanta, & quàm grandis est ista dignatio! Et *quis*, o filii, *sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in Cœlo, & in terra* (*e*)? Habitat in majestate suprema, in solio Divinitatis residet, ante quem millia millium Sanctorum Spirituum curvantur continuò; nec tamen dedignatur oculum dimittere ad nos, ex alta Cœlorum habitatione vilissimos vermes respicere, & inter nos Virginem, virtutibus quidem

(*a*) *Genes. III. v. 24.*
(*b*) *Psalm. VIII. v. 5.*
(*c*) *Genes. XLIX. v. 3. & 4.*
(*d*) *Ibidem III. v. 5.*
(*e*) *Psalm. CXII. v. 5. & 6.*

ac donis sublimissimam, sed in oculis suis demississimam intueri, atque Legationem adeò nobilem, tantique momenti ad eam dirigere, quæ humilitate, paupertate spiritûs, suique ipsius contemptu, a nemine umquam æquanda *gratiam apud ipsum invênit* (*a*).

Hæc profectò singularis est prærogativa, a Deo homini concessa, ut nempe ad ipsum Angelos mittat, eique cœlestes Ministros deservire præcipiat, quos voluit esse omnes *administratorios spiritus propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis* (*b*): Tam est de nostra salute solicitus, ut in hujus solicitudinis partem Angelos quoque quodammodo adsciverit.

Sed congruè admodum Angelus ad eam mittitur, quæ Virginitatem Deo voverat; Virginitas enim homines propiores Angelis facit, de quibus dicitur, quòd *neque nubent, neque nubentur* (*c*). Siquidem qui Deo corpus suum & membra integrè consecrant, Angelicam in carne vitam ducunt, & arctissimam quamdam cum ipsis cœlestibus Spiritibus contrahunt cognationem. Unde quid mirum, si ad propinquam moribus, si ad vitæ sociam, si ad Angelici candoris participem Angelus mittitur?

Meritò etiam Angelus mittitur, quia quod nunciare accedit, non modò hominibus, sed etiam universis Angelorum ordinibus, maximo gaudio cedit atque lætitiæ. Nunciare mittitur, Deum humanam carnem esse de Maria suscepturum, ac perditum hominum genus Passione sua recuperaturum, illudque captivum sanguinis pretio redempturum; hac verò ratione fore, ut qui e terrestri Paradiso ejecti exulare cogebantur, postmodum per Christi mortem, in cœlestem Patriam reducerentur. Hoc autem nonne est Angelorum ruinas resarcire? nonne vacuas eorum sedes replere? Ecce igitur, quia totus Legationis hujus fructus atque emolumentum non in solos homines recidit, sed magna quoque ex parte in Angelorum gaudium convertitur.

Mittitur ergo *Gabriel ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David* (*d*). Virgo erat Maria, quæ integritatis florem perpetuò intemeratum servare in corde suo statuerat; imo illum Deo sacraverat, seque arctissimo voti vinculo eidem obstrinxerat. Et tamen (o miram Dei providentiam!) *erat desponsata*. Absit tamen, ut suspicetur quispiam, ullam humani commercii maculam intercessisse apud eam, quæ omnium anteactæ ætatis prima virginitatem Deo voverat. *Despon-*

(*a*) *Lucæ I. v.* 30.
(*b*) *Ad Hebræos I. v.* 14.
(*c*) *Matth. XXII. v.* 30.
(*d*) *Lucæ I. v.* 27.

Desponsata igitur primò erat ob decorem & famam ipsius; nam, cùm occultum esse voluisset hominibus Christi Incarnationis Mysterium Altissimus Deus, decrevit etiam a Virgine opprobrium arcere, ejusque incolumitati simul consulere. Siquidem illam viro carere noverant Hebræi; atque ideò si prægnantem vidissent, ac parturientem, stupri statim, & humanæ ac illicitæ copulæ diffamassent, & juxta Mosaycæ Legis dispositionem morti adjudicassent, ac lapidibus obruissent (*a*). Præterquamquod occasionem quoque inde sumpsissent, Christi Domini ejus Filii verbis fidem nullam adhibendi; quinimo in eumdem, tamquam illegitimè genitum, turpem calumniam effudissent, indignumque reputassent, ejus prædicationi, tamquam ab homine vilissimo pronunciatæ, aures accommodare. Discite hinc devotæ mulieres, quanta vobis sit famæ & pudoris habenda ratio, cujus adeò Dominus fuit in propria Matre solicitus. Siquidem delicatissima res est, mulieris honor; vèl levissimo nævo maculatur turpissimè, ac veluti pretiosissima vestis, vèl minimâ sorde plurimum splendoris amittit. Fugienda vobis esse scitote, non modo quæ honori manifestè adversantur, sed etiam quæ, vobis neque id cogitantibus, aliquam hominibus possint suspicionem injicere. Nec satis est ab iis abstinere, quæ impudicas mulieres reddunt infames, sed aliis etiam plurimis, quæ non adeo dedecerent; ne ullus cogitandi de vobis mali quidpiam locus relinquatur. Hinc est, quod non abs re toties vos obsecramus in Domino, ut *modestia vestra nota sit omnibus hominibus* (*b*), ut oculis in terram demissis continuò incedatis, ut ubique (sed in Ecclesiis potissimùm) velatis capitibus, ac velis ad oculos usque attractis persistatis: melius quippe est divitiis omnibus bonum mulierum nomen (*c*); & honestatis fama vobis super omnia esse debet cordi perpetuò.

Voluit insuper Dominus, Josephum custodem ac testem esse virginitatis Mariæ, ideoque eidem desponsari; quin etiam illum ministrum atque adjutorem ipsi assignavit. Debebat Virgo puerpera, media hyeme, nocturno tempore, in Præsepio Deum parere; tenellum Infantem, fugiens in Ægyptum, deferre; Filii necessitatibus providere, illumque educare. Cur ergo solicitudinis socius, adjutor, & individuus peregrinationum comes Joseph ipsi adjungendus non erat, ut Mariæ præsto semper adesset? Erat autem hic *Joseph de domo David*, ut de eadem familia fuisse quoque Mariam intelligamus; neque enim mulieres, nisi in eadem, ex qua oriundæ erant,

(*a*) *Deuter. XXII. v. 23. & 24.* | (*b*) *Ad Philippens. IV. v. 5.* | (*c*) *Proverb. XXII. v. 1.*

erant, familia, nubere, antiquæ Legis mandato permittebantur (*a*).

Et ingressus Angelus ad eam. Hic duo innuuntur, cùm *ingressus* dicitur *Angelus;* primò nempe, quòd corporali specie, & hominis formâ assumptâ accesserit, (neque enim spiritibus ingredi aut egredi competit, sed solis corporibus): Secundò verò, quòd Mariam non ubivis, sed in secreto cubiculo latentem, atque intra se recollectam invenerit. O mulieres non eam in plateis aut in foro sedentem, non per Civitatis vicos, non in publicis locis seu spectaculis, sed solam in cubiculo suo invènit. Exclamat hìc Sanctissimus Pater noster Ambrosius: *Discant mulieres propositum pudoris imitari. Sola in penetralibus, quam nemo virorum videret, solus Angelus reperiret: sola sine comite, sola sine teste, ne quo degenere depravaretur affatu, ab Angelo salutatur* (*b*). Discite filiæ, vos potissimùm quæ virgines estis, ubi conversatio, ubi mora vestra esse debeat; in secreto videlicet cordis vestri, cum Sponso vestro Deo, & cum Angelis Sanctis. Discant etiam ceteræ, Mariæ exemplo, mulieres, nil magis dedecere, quàm huc illucque vagari, quàm per Civitatem cursitare, quàm frequentiores vias pede aut curribus perlustrare, seque omnibus videndas proponere; siquidem ex publico hoc conspectu maximum vobis periculum impendet, nec sine ingenti honestatis jactura potestis id agere. Memores estote, quid Dinæ acciderit, eò quòd curiositate compulsa egredi voluerit, & Civitatem obambulare; unde postmodum tam multa subsecuta sunt mala (*c*).

Statim ac ad Mariam ingressus est Angelus, benignè primùm Dominam suam atque Reginam salutavit dicens: *Ave* (quod idem est, ac salve seu gaude) *gratiâ plena*. Verè *plena gratiâ*, quæ in hac valle lacrymarum, ore Angelico, divino jussu sola gaudere juberis; nec immeritò, quia gratiâ plena, quia cœlestibus donis affluens, & ideo Deo gratissima. Cur verò, o Angele, Mariæ est gaudendum? Certè gaudere debet summopere, ex triplici potissimùm causa; nempe quia *gratiâ plena*, quia *secum erat Dominus*, & demum quia *benedicta* est *inter mulieres*. Erat hæc *plena gratiâ*; cùm enim eam sibi in habitaculum, domum, & Matrem Deus prælegisset, donis etiam ac thesauris suis, prout tanti Regis majestatem decebat, illam ornaverat, ac supra reliquas omnes creaturas repleverat. Fuere quidem *Stephanus*, aliique *pleni gratiâ*, ùt sacræ testantur Scripturæ (*d*); illi tamen gratiâ pleni fuere ad peculiare ali-

(*a*) *Num. XXXVI. v. 6. & seqq.*
(*b*) Lib. II. expositionis in Evang. secundùm Lucam, num. 8. Edit. Paris. anni MDCLXXXVI.
(*c*) *Genesis XXXIV.* (*d*) *Act. Apost. VI. v.* 8.

aliquod peragendum, ùt Stephanus ad fortiter pro Christi nomine mortem subeundam: At verò Maria miro quodam modo plena gratiis omnibus ad omnia perhibetur. Et quomodo præ ceteris Maria non esset *gratiâ plena*, de qua prodire debebat gratiarum omnium pelagus; quæ illius futura erat Mater & nutrix, *de cujus plenitudine nos omnes accepimus* (*a*)?

Dominus tecum Angelus addit. Non quidem, ùt aliàs Gedeoni dictum fuerat: *Dominus tecum, Virorum fortissime* (*b*); sed adhuc artiùs est *Dominus tecum*; excellentiùs est *tecum*, cum qua, & intra quam paulò post etiam in carne ex virgineo tuo sanguine compacta, est permansurus. Excellentissimè *Dominus tecum*, quia eò quòd tecum fuit, ideo hodie (ùt spero) mecum est, & cum his omnibus filiolis meis, quos nulla coinquinat labes peccati, sed protegit & fovet divina gratia; nisi enim in Maria, & cum Maria fuisset Dominus, & ex ea carnem sumpsisset, numquam nobiscum fuisset. Quàm mirè igitur est *Dominus tecum*, cùm id in causa sit, ut in me & in aliis inhabitet!

Benedicta tu inter mulieres; non præ mulieribus, ùt Judith, aut Jaël, quæ Sacratissimæ Virginis typus fuerunt; sed *inter mulieres*; quasi dicat: Ceteræ omnes mulieres maledictæ, tu verò sola inter ipsas benedicta. Erant duplici maledictioni in lege mulieres omnes subditæ, nec earum alteram valebant effugere: Aut enim liberis carebant, & ùt steriles maledictioni subjacebant; aut sterilitatis quidem effugiebant sententiam filios suscipientes, & maledictionem illam vitare nequibant, mulieribus omnibus in Eva datam: *In dolore paries* (*c*) filios tuos. Sola Maria *benedicta inter mulieres*, quæ neutram maledictionem incurrit, ab utraque immunis; sola enim & Virgo extitit, nec sterilis; & Mater, sed Virgo, & sine dolore parturiens, quem sine peccato conceperat. *Benedicta* ergo *inter mulieres*, in qua utraque maledictio deleta fuit, & per quam omnes post te nasciturae mulieres benedicentur.

Videt Maria tam novum sibi, & repentinum hominis ad se ingressum, cujus illa aspectum declinare consueverat; audit tam blandè se ab illo salutari, tot sibi laudes tribui: expavescit confestim & turbatur, dicente Evangelista: *Quæ cùm audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat, qualis esset ista salutatio* (*d*). Non quidem *turbata est* eâ animi perturbatione, quæ in ipsa rectum impediret rationis usum; nec *turbata*, ùt Zacharias, ad ejusdem Gabrielis voces, qui

(*a*) *Joannis I. v. 16.* | (*b*) *Judicum VI. v. 12.* | (*c*) *Genes. III. v. 16.* | (*d*) *Lucæ I. v. 29.*

qui *turbatus est*, *& timor irruit super eum* (*a*); sed ex altera potiùs, quæ ab ipsius honestate profluebat. Et sanè, cur non turbaretur Virgo, virum ad se videns intrantem? Quidquid speciem hominis referebat, pudori ejusdem suspicionem ac metum inferre videbatur. Sed turbant quoque humillimam Virginem sublimissimæ laudes: Siquidem qui verâ humilitate præstat, a laude omni abhorret, nedum (quod plerique nunc impudentissimè faciunt) laudari appetit. Valde periculosa, filii, laus est, & iis etiam, qui laudantur, molesta: Sive enim laude indignum commendes, eum erubescere compellis, optimè enim noscit, te mentiri; si verò dignum, eidem potiùs injuriam irrogas, eumque ad ruborem accendis. Humillima Virgo laudari se sentiens, turbatur; & quod admirabilius est, laudes ipsæ ab ore Angelico Dei jussu tributæ illam perturbant: Nos verò, infelicissimi peccatores, laudari optabimus ab iniquissimis adulatoribus; & hominum laudes tanto studio quæremus, cùm Mariam divinæ quoque laudes perturbent? Porro in laudibus etiam atque honoribus a Deo præstitis subest, filii, periculum; ideoque cautè nobis incedendum est, atque timendum. Nonne etiam David Regnum a Deo suscepit? Nonne Saul a Deo est unctus in Regem? Et tamen Saul in Regno a Deo obtento præcipitium incurrit; & David in Regia dignitate, ad quam ab ipso Deo elatus fuerat, peccandi occasionem invênit. Salomon a quonam, cum Regno amplissimo, tantam divitiarum copiam, tot Principum obsequia, tot Populorum vectigalia, tantam denique sapientiam, nisi a Domino Deo acceptam debuit? Attamen ipse quoque *incrassatus*, *impinguatus*, *dilatatus*, *dereliquit Deum factorem suum*, *& recessit a Deo salutari suo* (*b*). Valde ergo periculosi sunt honores, etiam ii, ad quos *tamquam Aaron* (*c*) quispiam *est vocatus a Deo*; proinde magis cautè ab hominibus sunt excipiendi: Ideo qui spiritu Dei vivunt & reguntur, quique contemplatione & vitæ innocentia ei magis appropinquant, non modò laudes & honores quosvis non amant, non expetunt, non quærunt, sed fugiunt etiam & horrent; nec eosdem, nisi inviti, suscipiunt. Docuit nos hoc excellentissimè Sanctus Pater Ambrosius, qui delatum sibi a Deo tam miraculosè hujus Ecclesiæ regimen, cui nos miseratione divina quamvis indigni præsumus, tanto studio ac industria recusare contendit, modò fugiens ab Urbe ac diu latens, modò plures reos torqueri jubens, ut eum veluti crudelem Populus a Pastorali admi-

(*a*) *Lucæ I. v.* 12. | (*b*) *Deuteron. XXXII. v.* 15. | (*c*) *Ad Hebr. V. v.* 4.

administratione rejiceret; denique permulta simulans, quibus protervi hominis existimationem sibi compararet, atque ita tamquam ineptus tanto oneri ferendo censeretur. Sed quando divinæ voluntati obsistere minimè se posse intellexit, tamdem acquievit, & sarcinæ gravissimæ humeros suppostuit (a). Hæ igitur fuere causæ turbationis Mariæ. Verùm, dum pauca adhuc, quæ sequuntur, explicare aggredior, vos eleemosynis largiendis incumbite.

SECUNDA PARS.

[Designata est hodierna dies, quæ tertia est mensis hujus Dominica, Supplicationi Sacratissimi Corporis Domini nostri Jesu Christi, quam (ùt vidistis) Ecclesiam lustrantes peregimus. Vestrùm est qui Sanctissimam hanc Societatem estis ingressi, omnibus, quibus potestis, honoribus Sacratissimum Christi Domini Corpus prosequi; sed nullus ei major honor potest exhiberi, quàm si frequenter a vobis dignè sumatur. O infinita Dei bonitas! Nostrûm esset, avidissimè illum sitire & esurire; & tamen ipse potiùs esurit nos atque sitit. Cupit ardentissimè, & invitat, ut illum crebrò suscipiamus; ideo, ne divinis Officiis locus desit, neve sacræ Functiones, quæ Dominicis diebus fieri solent, interrumpantur, sed ut possitis quotquot volueritis ad Eucharisticam Mensam accedere, providimus, ut in duobus propinquis Altaribus Divinus Cibus ministretur, ad quorum alterum viri, ad alterum verò se conferant mulieres, ut ad Deum ordinis omnis auctorem accedentes, ordinatè procedatis. Verùm Evangelii reliquum prosequamur.]

(a) Præstat verba ipsa referre, quibus Paulinus in Sancti Ambrosii Vita res ab ipso gestas enarrat, ut a delata eidem Episcopali dignitate removeretur, seque illa indignum ostenderet. Inquit enim: „ Egressus Ecclesiam, tribunal sibi parari fecit, & contra consuetudinem suam tormenta jussit personis adhiberi . . . . . . Publicas mulieres publicè ad se ingredi fecit, ad hoc tantùm, ut, visis his, Populi intentio revocaretur; At verò Populus magis magisque clamabat: *Peccatum tuum super nos*. Ille cùm videret, nihil intentionem suam posse proficere, fugam paravit, egressusque noctis medio Civitatem, cùm Ticinum se pergere putaret, manè ad Portam Civitatis Mediolanensis, quæ Romana dicitur, invenitur. „ Concilium Valentiæ in Gallia coactum anno CCCLXXIV. (quo exeunte ordinatus est Sanctus Ambrosius) quartum Canonem condidit in hæc verba conceptum: „ Nec illud, Fratres, scribere alienum ab Ecclesiæ utilitate censuimus, ut sciretis, quicumque se sub Ordinatione vel Diaconatus, vel Presbyterii, vel Episcopatus mortali crimine dixerint esse pollutos, a supradictis Ordinationibus submovendos; reos scilicet vel veri confessione, vel mendacio falsitatis. „ Proinde cùm Acceptus in Episcopum peteretur a Forojuliensibus (Forojulium in Gallia *Frejeux* appellatur), isque ad eum honorem vitandum quædam, humilitatis gratiâ, de se ipso crimina evulgasset, Sancta ea Synodus assensum præbere noluit, tametsi falsa ille de se dixisse crederetur; ùt constat ex Epistola Concilii ad Clerum & Plebem Ecclesiæ Forojulii, quæ legitur in Labbeo Tom. II. pag. 905. Juxta hujus Canonis decretum, de quo aliquid etiam statuerat Concilium Nicænum Canone IX., arcendus fuisset Sanctus Ambrosius, qui nominis sui famam, notâ (licèt fictâ) crudelitatis & impudicitiæ dedecorare tentaverat; nisi, ob divinæ vocationis miraculum, constans Clerus & Populus in eo ad Episcopatum petendo perseverasset.

Certà regula, Angelos bonos a malis, & Dei revelationes a Satanæ illusionibus discernendi, hæc est, quòd Angelus bonus ab initio quidem turbat, sed in exitu exhilarat; e converso autem Angelus malus. Didicit hoc experimento suo Eva, didicit Adam. Accessit ad Evam serpens, blandè eam est allocutus, pulcherrimum pomum ostendit, suasit, ut eo vesceretur, Dei similitudinem, & omnimodam promisit boni malique scientiam. Quid blandius his vocibus, quid pulchrius ac suavius his pomis, hoc esu, hac similitudine, hac scientia? Sed heu! Hanc jucunditatem quanta amaritudo, has blanditias quot sunt subsecutæ miseriæ? Contra hodie Gabriel Angelus Domini, primo ingressu turbat Mariam; sed turbationem omnem statim tollit, maximàque illam replet exultatione, subdens: *Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum* (*a*). O quale gaudium est Mariæ, quòd gratiam apud Deum invenerit; certiorque de illo facta fuerit, quod nemo hominum potest rescire, cùm *nemo sciat, utrum amore, an odio dignus sit* (*b*)! Tu verò Virgo sanctissima certum id esse ab Angelo audis, quia *invenisti gratiam apud Deum*. *Ne timeas* igitur, neque enim timori locus est, ubi Deus est; *perfecta* siquidem *caritas foras mittit timorem* (*c*), unde etiam David psallebat: *Si consistant adversùm me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversùm me prælium, in hoc ego sperabo* (*d*). *Ne timeas* ergo *Maria*.

Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, & regnabit in Domo Jacob in æternum, & Regni ejus non erit finis (*e*). Versabatur assiduè Maria in Sacrarum Scripturarum lectione; noverat, & ardentissimè optabat venturum Messiam; sæpe animo suo Isaiæ de hoc prædicentis verba solebat revolvere: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel* (*f*). Et (o magnum mysterium!) videte, quomodo Isaiæ verbis Angeli verba concordent; *Ecce*, inquit Isaias: *ecce*, inquit Angelus. *Virgo concipiet*, ait Isaias: *Concipies in utero, & paries Filium*, subdit ad Virginem Angelus. *Vocabitur*, dicit Isaias, *nomen ejus Emmanuel: Vocabitur*, inquit infra Angelus, *Filius Dei*. Quod ille dixit *Emmanuel*, hoc est, *nobiscum Deus*; hic dixit, *Filius Dei*. Credebat, hæc omnia adimplenda esse Virgo sanctissima, quam Spiritus Sanctus docere solitus erat, & quæ Scripturarum,

(*a*) *Lucæ I. v. 30.*
(*b*) *Ecclesiastes IX. v. 1.*
(*c*) *I. Joann. IV. v. 18.*
(*d*) *Psalm. XXVI. v. 3.*
(*e*) *Lucæ I. v. 31. & seqq.*
(*f*) *Isaiæ VII. v. 14.*

rum, ùt diximus, consueverat ruminare mysteria; unde non dubitans hæc futura, aut fieri posse, cùm optimè nosset, nihil esse Deo difficile, qui de nihilo cuncta creavit, sed modum hujus negotii, ac rationem perquirens, subjunxit:

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? His autem verbis Maria manifestè ostendit constans, ac firmum propositum virginitatis servandæ, quam voverat. O sacrosancta Virginitas, thesaurus pretio & comparatione omni verè excellentior! Quanti te illa faciebat, cùm se audiens in Dei Matrem eligi, atque ob id ab Angelo salutari, attamen de te anxia & solicita est, timens, ne Dei Mater evadens te amittat; quamobrem tuî jactura eamdem magis angit, quàm tantæ cœlitus exhibitæ dignitatis nuncium exhilaret. Animadvertite Animæ a Deo benedictæ, quo in pretio sit habenda virginitas, qua solicitudine custodienda, ne aliqua ex parte periclitetur; quomodo abscondi debeat hic thesaurus, ne ulli pateat rapinæ. Verùm Angelus Mariam docet, qua ratione virginitatis thesaurum sit servatura, & Matris Dei simul adeptura inæstimabilem prærogativam; atque ita eamdem a concepto metu prorsus exolvit, inquiens:

Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque èt quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei (a). O divinæ Sapientiæ admirabile inventum! Quod hominis erat naturali virtute præstandum, omnipotentiâ Altissimus, obumbratione supplet Spiritus Sanctus, qui *superveniet in te;* unde patet, ad hoc Redemptionis nostræ initium, & Incarnationis mysterium, omnes Sanctissimæ Trinitatis Personas concursum præbuisse: *Filius* siquidem *concipietur*, *Spiritus Sanctus superveniet*, & *virtus Altissimi obumbrabit*. Quia verò hoc potissimùm ab immensa Dei in genus humanum caritate profluebat, ideo Spiritui Sancto, qui amoris est inter Patrem & Filium vinculum, maximè tribuitur. *Obumbrabit* Mariæ *virtus Altissimi*, eam omni ex parte circumcinget, & sepiet. Quomodo autem ad eam poterit inimicus appropinquare, Dei obumbratione circumquaque vallatam? Pellit hæc umbra Dæmones omnes, peccata omnia, suggestiones omnes, & quæcumque demum ad peccandum invitant; *ideoque*, quia sic obumbrabitur Virgo, *quod nascetur ex ea sanctum, vocabitur Filius Dei*.

Verè *sanctum*, & quidem præclariori ratione, nam de Spiritu Sancto conceptum, in quo nullum habuit locum semen immundum.

(a) *Lucæ I. v.* 35.

Natus est quidem *sanctus* Joannes Baptista, *sanctus* natus Jeremias; sed hi ex utero nati sunt *sancti*, non autem nati *sancti* nativitate in utero; hoc est non concepti *sancti*, sed ex humano commercio. Secus autem contigit in hoc Dei Filii conceptu, de quo dicitur, *quod nascetur ex te sanctum*. Imo etiam sanctitate Mariam ipsam longè antecellit; nam licèt ista, quæ Dei erat Mater futura, sancta quoque in utero nata fuisse credatur; id tamen singulari a Deo privilegio est ei concessum, non autem datum naturali propagatione; Filius autem ejus Christus, naturali sanctitate *Sanctus* vocatur, *ideoque et quòd nascetur ex te sanctum*, o Maria,

Vocabitur filius Dei. *Vocabitur*, inquam, quia antequam vocaretur, erat; & quia nascens Sanctissimæ Trinitatis mysterium Mundo aperiet: ignorabat namque Mundus, tres esse in Divinitate Personas. Deum quidem esse, negare non poterat, in cujus agnitionem ex tam mirabilibus ejusdem operibus adducebatur; sed amodo Personas quoque, post Filii hujus nativitatem, Mundus distinguet; & hic, quem, o Maria, *concipies*, *vocabitur Filius Dei*. O admirabilem, inauditam, & verè ineffabilem Legationem! Quis umquam tale mysterium mente assequi potuisset, Deum nempe hominem fieri; virginem simul aliquam esse posse, & matrem? Hæc omnia tamen Gabriel, Dei verbis annunciat. Quid ergo superest, o benignissima excelsi quidem Dei, sed etiam nostrûm omnium Mater, nisi ut tuum præstes assensum; neque enim sine te tanti momenti res est perficienda. Quod ergo responsum præbes Angelo, ut illud Deo, cujus Legationem agit, valeat referre? Verùm, quid respondeat Virgo Sanctissima, Deo semper obediens, & humillima? nisi quod protinus subdit:

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Quò magis ejus excellentia, & dignitas ab Angelo prædicatur, eò se ipsam magis demittit. Salutat eamdem Angelus, ùt Dei Matrem; ipsa Dei Ancillam se profitetur. Quanta hinc nobis oritur admiratio, & quàm profunda elucet humilitas in Maria! Repudiavit Assuerus Vasthi Reginam, ob nimiam animi elationem; sed blandè amplexatus est humilem Esther (*a*): Tu verò Esther Maria, eximiâ tuâ animi demissione, in tuî amplexus tuumque in uterum e Cœlis Dei Filium traxisti, qui superbientem Evam e Paradiso rejecerat. Verùm altera hinc in Virgine virtus effulget, obedientiæ videlicet promptitudo, cùm ait: *Ecce*; quasi dicat: præstò sum, parata sum; quid moror

(*a*) *Esther I. & II.*

moror exequi quidquid præcepit Dominus? Sic in Sacris Literis, hujusmodi promptitudo voce hac exprimebatur: *Ecce ego*, Domine, *mitte me* (*a*); sic David in Psalmis, in Christi figura loquens inquit: *Tunc dixi*, *Ecce venio* (*b*).

Statim ergo, ùt præbuit Virgo assensum, momento eodem conceptus est Christus, ex purissimo illius sanguine sacrum corpus Spiritu Sancto efformante, simulque Altissimo animam sanctissimam creante, ac corpori uniente: Quo effectum est, ut Maria Mater fieret, semper tamen intacto flore Virginitatis. O quantum efficax fuit hoc *fiat!* Per verbum hoc *fiat* creaverat olim Deus omnia; per verbum hoc *fiat* nunc homo admirabili modo unitus est Deo, & Deus factus est homo. O incomprehensibilis unio! Duæ adeò inter se dissitæ naturæ, ùt sunt finita & infinita, creator & creatura, Deus & homo, arctissimo & indissolubili vinculo in unum conjunguntur. Quantum nos omnes mortales obedientiæ huic tuæ, Maria, debemus! Assensus Evæ nos omnibus cumulaverat malis; assensus tuus bona nobis cuncta restituit. Illa assentiens mortem intulerat, tu mortis vires confregisti: illa Cœlum occluserat, tu Cœli portas disjecisti, tu demum fuisti salutis nostræ exordium, gratiarum omnium & felicitatis origo.

Porro, te assentiente, Dei Filius dignatus est carnem nostram induere; & quanti æstimanda est hæc benignitas! Quis nos jam contemptibiles reputet? A nemine se despiciendam Sponsa dicebat, quam osculatus fuerat Sponsus (*c*); & nos honore omni dignos quispiam non censebit, quibus tam intimè unitus est Deus? Oculos vestros, filii, per omne creaturarum genus circumagite; ac videte, cuinam tam grande munus obtigerit. Cœlos penetrate, & diligenter omnes illos Angelicos Choros ab infimo ad supremum usque perpendite: Profectò intelligetis, quia *nusquam Angelos apprehendit*, *sed semen Abrahæ* (*d*), qui sumus nos. De hoc ergo æquum est, nos gloriari & extolli, nostram hinc dignitatem agnoscere, ne fortè nobis dicatur: *Si ignoras te*, *o pulcherrima inter mulieres*, *egredere*, *& abi post vestigia gregum*, *& pasce hædos tuos* (*e*). Contemplare, o homo, divini in te amoris excessum; quàm te ardenter dilexerit, qui te adeò strictè complexus est; nec hoc contentus, se quoque tibi reliquit in cibum in Sanctissimo Altaris Sacramento, ut eum comedas, ut ei perfectè uniaris, & in ipsum transformeris.

Verùm

(*a*) *Isaiæ VI. v. 8.*
(*b*) *Psal. XXXIX. v. 8.*
(*c*) *Cant. Cantic. VIII. v. 1.*
(*d*) *Ad Hebræos II. v. 16.*
(*e*) *Cant. Cantic. I. v. 7.*

Verùm quæ de Beatiſſima Dei Matre hactenus diximus, de nobis quoque, o filii, dici poſſunt. Poſſumus nos, ſi velimus, eſſe Dei matres; Deum poſſumus quotidie piis votis concipere, & ſanctis itidem operibus parturire. *Miſſus eſt Angelus Gabriel ad Mariam:* Miſſi fuerunt, & quotidie mittuntur ad nos ab eodem Deo Angeli plures, ipſius divinæ voluntatis nuncii. Angelus Dei, Mediolanenſes, fuit ſæva, quæ inter vos proximis annis viguit peſtis, qui vobis nunciabat, ut reſipiſceretis, ut Deum conciperetis. Angelus Dei ſunt flagella, tribulationes, perſecutiones, penuria, egeſtas, fames, mortes: Angelus Dei ſunt innumera & quotidiana ejus in nos beneficia: Angelus Dei fuit Viſitator Apoſtolicus, qui vos ſuperioribus annis Sanctiſſimi Chriſti Vicarii nomine inviſit (*a*). Angeli demum Dei ſumus nos, & quotquot divinam vobis voluntatem annunciant. Quid autem annunciamus, niſi quòd deliciæ Dei ſunt eſſe vobiſcum (*b*); niſi quòd, licèt nullius egeat, vobiſcum tamen perpetuò verſari deſiderat (*c*); niſi quòd vult concipi a vobis, & in lucem emitti?

Mercatores & Artifices, annunciamus vobis, & obteſtamur vos, ne pluris aureum unum, quàm animam veſtram faciatis; ut a mendaciis & dolis abſtineatis; ut recordemini, mortales vos eſſe, nec quidpiam horum, quæ tanto ſtudio, & ſæpe evidentiſſimo cum ſalutis veſtræ periculo quæritis, vobis hinc eſſe aſportandum. Divites, annunciamus vobis, ſpinas eſſe divitias, nihilque ipſis periculoſius. Nobiles, vobis annunciamus, veram nobilitatem eſſe humilitatem. Juvenes vobis annunciamus, carnem quam adeò colitis, inimicam eſſe æternæ veſtræ felicitatis, nec eſſe ejuſdem blanditiis fidendum; imo oportere, ut flagellis illius petulantia contundatur. Mulieres, modeſtiam in inceſſu & veſtibus, in mente & corpore, domi, in Eccleſiis, & ubique conſervandam vobis annunciamus. Omnibus denique indicimus, ut pœnitentiam agatis; ut *convertatur* unuſquiſque *a via ſua mala* (*d*), & reſipiſcat. Quid aliud, obſecro, totum hoc eſt, niſi Angelus, qui a Deo ad vos ſingulos mittitur, ut annunciet, velle Deum a vobis concipi, & ex vobis ac in vobis naſci?

Sed

(*a*) Ingreſſus eſt Mediolanenſem Urbem *Hieronymus de Ragazzonibus* Eccleſiæ Famauguſtanæ Epiſcopus, menſe Majo anno MDLXXV. miſſus a Gregorio XIII. Pontifice Maximo, ut Apoſtolici Viſitatoris munere fungeretur in hac Metropoli, ac Diœceſi; exceptuſque fuit a Sancto Carolo ſummo honore ac reverentia, ùt teſtatur Gluſſianus in ejuſdem Vita Lib. III. Cap. VII.

(*b*) *Proverb. VIII.* v. 31.

(*c*) *Matth. XXVIII.* v. 20.

(*d*) *Jonæ III.* v. 8.

Sed me miserum! quia multi, Sacratissimæ Virginis verba, non eo tamen, quo ipsa, animo proferunt: *Quomodo fiet istud? Quomodo*, inquit Mercator, filios meos ditabo, patrimonium augebo, pinguem posteris hæreditatem relinquam, faciamque, ut honestè inter ceteros versari possint, ac non semper infimo jaceant in loco, si illicitis etiam viis pecuniam non coacervem? *Quomodo*, inquit ille, qui terrenis affluit divitiis, desideria mea perficiam, & domesticis perfruar bonis, si quæ mihi servanda sunt, pauperibus distribuero? *Quomodo*, inquit juvenis, annorum florem ita consumam, quomodo optatis voluptatibus indulgebo, si ventri & genio, quamdiu per ætatem licet, non satisfecero? *Quomodo*, inquiunt mulieres, coram ceteris in publicum prodire poterimus, si pretiosis, sicut aliæ, vestibus non exornemur? *Quomodo* non erimus aliis risui & subsannationi, si a communi vivendi regula recedentes, totos dies in Ecclesiis versari, ac Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentis frequenter vacare voluerimus? *Quomodo*, inquiunt omnes, vias difficiles asperioris vitæ ambulabimus? *quomodo* non mœrore conficiemur, si quæ nobis proponuntur, exequi voluerimus? O maledictum *quomodo*, a noxia pusillanimitate procedens! Docebo igitur ego vos *quomodo*.

Mariam imitamini, & uniuscujusque vestrûm Anima ad Deum conversa intimo affectu eum alloquatur, dicens: *Ecce Ancilla tua*, o Domine, *fiat mihi secundùm verbum tuum*. Jam non ampliùs sanctissimis tuis monitis aures occludam: loquere jam, quia audiet semper, & exaudiet *Ancilla tua; tua*, quia eam creasti & redemisti. Sed adjuva èt tu illam, repelle ab ea quæcumque tibi obluctantur, discute mentis caliginem; & qui olim solo tuo *fiat* lucem creasti, dic quoque jam in anima mea: *fiat lux* (*a*): Recedant tenebræ, nox errorum diluatur, recedat ignorantia, recedat malitia. Heu mi Domine! quàm multi statuerunt ventura hæc Natalis tui Festa, in luxu, tripudiis, crapulis, commessationibus, & ebrietatibus celebrare! Non ita, mi Domine, non ita vis, tuì nascentis memoriam coli; impera ergo, & dic: *fiat lux*, ut videant isti, quid beneplacitum sit tibi; ut agnoscamus omnes, *quomodo* debeamus ad tantam Solemnitatem nos disponere; teque demum concipere, & per gratiam hic parere, ut tamdem tu ipse nos in cœlesti tua gloria recipias. Amen.

HO-


(*a*) *Genes. I. v. 3.*

HOMILIA LXXXV.

IN NATIVITATE DOMINI

Habita in Metropolitana Mediolani

ANNO MDLXXXIII. XXV. DECEMBRIS.



OBSIDEBATUR antiquus Dei Populus in Civitate Samariæ a Rege Syriæ, numeroso ac validissimo exercitu. Miseranda Civitas undequaque circumdabatur; nihilque eorum, quæ humanæ vitæ sustinendæ erant necessaria, illuc asportari permittebatur. Eam ob rem *facta est fames magna in Samaria, & tamdiu obsessa est, donec venumdaretur caput asini octoginta argenteis, & quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis* (*a*). Sed quod miserabilius fuit, *cùm Rex Israël transiret per murum, mulier quædam exclamavit ad eum dicens: Salva me, Domine mi Rex. Qui ait: Non te salvat Dominus: unde te possum salvare? de area, vel de torculari? Dixitque ad eam Rex: Quid tibi vis? Quæ respondit: Mulier ista dixit mihi: Da filium tuum, ut comedamus eum hodie, & filium meum comedemus cras. Coximus ergo filium meum, & comedimus. Dixique ei die altera: Da filium tuum, ut comedamus eum. Quæ abscondit filium suum. Quod cùm audisset Rex, scidit vestimenta sua, & transibat per murum. Viditque omnis populus cilicium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecus* (*b*). Verùm Dominus Deus ad miserendum pronus, sicuti illorum fuerat provocatus sceleribus, ita eorumdem pœnitentia commotus, per Eliseum Prophetam servum suum, maximam sequenti die ad eos adventuram rerum omnium copiam, atque, ob hostilis exercitus fugam, prædam optimam e castris reportandam promisit. *Quatuor ergo leprosi*, qui in hostium transire potestatem decreverant, ferro magis, quàm fame mori eligentes, *cùm*

(*a*) *IV. Reg. VI. v.* 24. & 25. | (*b*) *Ibidem v.* 26. & *seqq.*

cùm venissent ad principium castrorum, ingressi sunt unum Tabernaculum, & comederunt, & biberunt: tuleruntque inde argentum, & aurum, & vestes, & abierunt, & absconderunt: & rursum reversi sunt ad aliud Tabernaculum, & inde similiter auferentes, absconderunt. Dixeruntque ad invicem: Non rectè facimus: hæc enim dies boni nuncii est. Si tacuerimus, & noluerimus nunciare usque mane, sceleris arguemur (*a*). Samariam ergo intrantes, Regi, & universo Populo hoc annunciaverunt, qui duobus præmissis exploratoribus, rei veritate comperta, Urbe simul omnes egressi, diripuerunt castra Syriæ; *erat* enim *omnis via plena vestibus, & vasis.* Et *factus est modius similæ statere uno, & duo modii hordei statere uno, juxta verbum Domini* (*b*).

O dilectissimi filii, quid infelix illa Samariæ conditio, nisi miserrimum Mundi statum ante Christi ortum indicabat? Opprimebantur homines dira obsidione, imo possidebantur ab exercitibus Syriorum, Dæmonum scilicet Infernalium; summâ rerum omnium laborabant inopia. *Parvuli petebant panem, & non erat qui frangeret eis* (*c*): fœtus suos cervæ, præ herbarum carentiâ, cogebantur deserere; quia non erat qui ignorantes erudiret, qui Dei verbum proponeret. Matres ipsæ filios devorabant; Pastores quippe ab ovibus lanam, & quæ sibi erant proficua tantùm quærentes, se ipsos pascebant, non oves (*d*). Avaritiâ suâ ac aviditate Populos filios dilaniabant Sacerdotes, qui eis matres esse debuerant. Cùm ecce hodie in Bethlehem, Domo panis, natus est Panis vitæ. *Audiri fecerat Dominus in castris Syriæ sonitum curruum, & equorum, & exercitûs plurimi. Surrexerunt ergo, & fugerunt in tenebris, & dereliquerunt tentoria sua* (*e*). Audire hodie fecit Dominus multitudinem cœlestis exercitus canentis, & pacem hominibus advenisse nunciantis (*f*): Unde turpissimè fugere Dæmones compelluntur. Defluxit denique e Cœlo gratiarum omnium, & donorum uberrima copia. Illi *scelus* putabant, populo *usque mane* ista non annunciare; & nos *sceleris* maximi non *arguemur, si tacuerimus?* Nuncium illud ab hominibus ferendum erat; ab Angelis nos istud audivimus. Clamabimus ergo, filii, quia *dies boni nuncii est*, quo bonorum omnium fons nascitur, ut se nobis, ac omnia simul cum se ipso communicet. Dies etiam magni nuncii est, quia inter cuncta, quæ operatus est in nobis Deus,

(*a*) *IV. Reg. VII. v. 8. & seqq.*
(*b*) *Ibidem v. 15. & seq.*
(*c*) *Thren. IV. v. 4.*
(*d*) *Ezechiel. XXXIV. v. 8.*
(*e*) *IV. Reg. VII. v. 6. & 7.*
(*f*) *Lucæ II. v. 13. & 14.*

majus hodie opus annunciatur; quia ab Angelo & non ab homine nunciatur; quia huic nuncio applaudit cœlestis exercitus, dicens: *Gloria in Altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (a): Magni denique, quia magna omnia, quæ in nos derivata sunt, hinc sumunt exordium. Nunciamus ergo hoc vobis, quod nunciarunt hodie Pastoribus Angeli; nunciamus recessisse hostes, dira nos omnes obsidione liberatos, non ampliùs nos penuriâ laboraturos; nunciamus, amplissima spolia & dona licere unicuique vestrûm hodie, si volueritis, colligere. Ut hæc igitur apertiùs omnes agnoscamus, in tanti celebratione mysterii tum quæ circa ipsum in primis sunt peracta, tum de subsequenti ejus manifestatione breviter nonnulla differamus.

Accuratè admodum narrat Lucas Evangelista sacratissimum hunc Mariæ, Dei Matris, partum; & locum tempus atque occasionem ejusdem adnotans, dicit: *Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis. Hæc descriptio prima, facta est a Præside Syriæ Cirino: & ibant omnes, ut profiterentur singuli in suam Civitatem*, nempe eam, unde originem traxerant. *Ascendit autem & Joseph a Galilæa de Civitate Nazareth in Judæam, in Civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, eò quod esset de domo, & familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi Uxore prægnante. Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret. Et peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio: quia non erat eis locus in diversorio* (b).

Ac primùm, quis universam hanc sacratissimam historiam considerans, admiratione non rapitur, coactus in ea verba prorumpere: Deus noster *terribilis in consiliis super filios hominum* (c)! Siquidem hic maximè elucet summa in perducendis ad exitum divinæ suæ voluntatis decretis providentia, cùm eam ex omnibus hominum quandoque nihil minus cogitantium, imo etiam contraria plerumque pertentantium operibus felicissimè eliciat. Ægrè ferebant fratres Joseph prædictum ab eo fuisse, quòd illis foret dominaturus; unde in eumdem plura machinantes, tamdem hoc mitius iniere consilium, ut illum Ægyptiis venumdarent (d): Id ita statuentes, ut a suis eum oculis amoverent, illoque in longinquas regiones perducto, ac servituti mancipato, nullus eisdem relinqueretur dubitandi locus, quòd aliquando fratris imperium

(a) *Lucæ II. v. 14.*
(b) *Ibidem v. 1. & seqq.*
(c) *Psalm. LXV. v. 5.*
(d) *Genes. XXXVII.*

rium essent subituri. Et hæc tamen (o altissima Dei judicia!) occasio fuit, in id prorsus incidendi, quod tanto studio conabantur effugere; nam venditus Joseph, Pharaonis gratiam acquirit; Ægypto toti præficitur, summis honoribus cumulatur. Cùm verò maxima fames universam terram invaderet, compulsi fuere Fratres Joseph, sese in Ægyptum conferre; ad ipsum quem ignorabant accedere; citra omnem cogitationem eidem subjici. Itaque, divina ducente voluntate, cui obsistere minimè poterant, id pati debuere, a quo summopere abhorrebant (a). Verùm mille hujusmodi exemplis, quæ sese mihi offerunt, omissis, Cæsar ipse Augustus, cùm universum terrarum Orbem describi juberet, quid minùs quàm de futuro & nascituro Messia cogitabat? Attamen hac utens occasione Altissimus Deus, humana carne assumpta, qui fuerat in Cœlis ab æterno a Patre genitus sine Matre, nunc in tempore nascitur ex Matre sine Patre. Non immeritò profectò clamabat Isaias: *Notas facite in populis adinventiones ejus: mementote, quoniam excelsum est nomen ejus* (b). Magna sane, ac prudentissima *adinventio!*

Neque enim frustra, filii, aut inconsultò factum putetis, ut in ea inciderit tempora Christi Nativitas, quibus potissimùm universus terrarum Orbis describebatur. Prodibat in Mundum Cœli & terræ Dominus, qui omnia creavit ex nihilo, *qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat* (c). Jure igitur, ut hoc quasi tributum ei reddat omnis hominum cœtus, universorum nomina mandantur describi. Nec fortè absque arcano quodam tanti mysterii præsagio effectum est, ut licèt ejusdem inscius omninò Cæsar Augustus, tunc temporis Romanis imperans, numquam se a quopiam passus sit Dominum nominari; ne scilicet nascenti communi omnium Domino inferret injuriam (d). Hic Dominus ille est, de quo cecinerat Vates: *Et dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos*

(a) *Genes. XLII.*
(b) *Isaiæ XII. v. 4.*
(c) *Psalm. CXLVI. v. 4.*
(d) Svetonius Tranquillus in Vita Octaviani Augusti de præclara ejusdem animi moderatione loquens hæc adnotavit: „ Domini „ appellationem, ùt maledictum & opprobrium „ semper exhorruit. Cùm spectante eo ludos „ pronunciatum esset a mimo: *O Dominum* „ *æquum, & bonum!* & universi quasi de ipso „ dictum exultantes comprobassent, statim „ manu vultuque indecoras adulationes repressit, & in sequenti die gravissimè corripuit „ edicto; Dominumque se posthac appellari ne „ a liberis quidem, aut nepotibus suis, vel „ seriò vel joco passus est: atque hujusmodi „ blanditias etiam inter ipsos prohibuit. „ Ex hac narratione Sanctus Carolus desumpsit occasionem, transferendi in laudem Nativitatis Christi Domini, quod in Augusto Svetonius commendavit.

Orbis terrarum (*a*): cujus *principatus super humerum ejus* (*b*); qui Cruce sua sacratissima Mundi tyrannum fugaturus erat, ac Evangelii sui prædicatione omnes homines ab ejusdem jugo erepturus.

Hæc autem, nascente Christo, terrarum Orbis descriptio, (o infelicissimi Judæi lapidibus duriores, & pravo corde) nonne vos manifestè convincit, illum, quem crucifixistis, verum esse Mundi Messiam, a vobis adhuc frustra expectatum, vobis in Lege promissum, a Patribus vestris tanto tempore desideratum? Non erat venturus Messias, donec a vobis Regnum esset translatum, donec exteris essetis servire coacti; & ecce tempus promissionis impletum. Quid enim est aliud, Romani Imperatoris præcepto vos omnes describi, nisi Regno, atque dominio, & Sacerdotio spoliatos alienæ subjici dominationi? Et tamen pertinaciter in incredulitate persistitis. Christus de Virgine natus, hic est Messias, hic Dei Filius. Huic quia non credidistis, facti estis similes miserrimo illi Duci, qui, eò quòd Eliseo maximam futuram rerum omnium copiam in porta Samariæ in crastinum annuncianti præstare fidem recusasset, quin potiùs illudens dixisset: *Si Dominus fecerit etiam cataractas in Cælo, numquid poterit esse, quod loqueris?* (*c*), quod non credidit, vidit; sed gustare non meruit, nec eo perfrui: Siquidem a populo oppressus in eadem porta jacuit extinctus (*d*). Christum vos vidistis; *medius vestrûm stetit* (*e*), nec cum agnovistis; ex vobis carnem assumpsit, nec tamen credidistis: sed oppressi amisso Regno, Sacerdotio, ac quod pejus est, Deo, extincti insuper jacuistis. Miserandi sanè, ac omnium lacrymis deflendi! cùm eum noscere nolueritis, qui tamen præcipuè propter vos venerat, dicens: *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israël* (*f*). Debuisset hæc sola vestri descriptio, præter alia tam multa a vobis inspecta & audita, omnes ex animis ignorantiæ atque perfidiæ tenebras depulisse.

Hæc ipsa quoque descriptio, quæ Mariæ partûs veluti occasio fuit, Micheæ (*g*) Prophetiam implevit, qui multis ante seculis fore prædixerat, ut in Bethlehem Messias nasceretur, dicens: *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in Principibus Juda: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum* (*h*). Prædicent

(*a*) *Psalm. LXXI. v.* 8.
(*b*) *Isaiæ IX. v.* 6.
(*c*) *IV. Reg. VII. v.* 2.
(*d*) *Ibidem v.* 17.
(*e*) *Joann. I. v.* 26.
(*f*) *Matth. XV. v.* 24.
(*g*) *Cap. V. v.* 2.
(*h*) *Matth. II. v.* 6.

cent alii Romam, alii Athenas, alii inclytam Babylonem: Sed cui te comparabo nobilissima Civitas, omnibus dignitate præstans, & tali tantoque decorata Cive, qui totius est terrarum Orbis Dominus? Felices lapides, felices muri, quos sibi in Patriam eligere dignatus est Deus! Verùm Maria quoque, in hac peregrinatione pariens Dei Filium, Herodi, & Archelao, Dæmoni, ac cunctis insidiatoribus mysterium reddebat occultius. Addite, filii, hoc partu in peregrinatione edito manifestè declarari, quis futurus esset Christus, & quales nos esse requireret. Christus in hoc Mundo futurus erat advena, peregrinus, ac veluti profugus in terra aliena, a suis minimè recipiendus; ideo nascitur peregrinans in utero Matris iter facientis, ut descriptioni interesset. Insinuabat, *non habere nos hic manentem Civitatem* (a); peregrinos, quamdiu hic vivimus, nos esse debere, nobisque in hoc Mundo tamquam in hospitio degendum: ideo ipse Dux noster & magister in peregrinatione nascitur. I nunc miserrime Avare, Mundi hujus te perpetuò Civem fore existima; compara tibi agros domos & vineas, & Christiani te postea nomine jacta; ejus, inquam, te voca discipulum, qui non modò moriens & vivens semper fuit peregrinus, sed etiam in Matris adhuc latitans utero. Et quæ major potuit esse peregrinatio, quàm in una Civitate conceptum, in itinere ad aliam, nativitatem sortiri? Quis ergo hoc descripti Orbis tempus Christi nativitati absque mysterio destinatum asserat? Erat Dei Filius diram servitutem a cervicibus nostris excussurus; ideo elegit ipse antequam nasceretur servire, *& sub lege fieri, ut eos, qui sub lege erant, redimeret* (b). Describuntur demum mortalium nomina, eo nascente, qui fideles suos ac sequaces erat libro vitæ adscripturus. O beatissimam descriptionem! O felicissimos illos, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ (c)!

Huic ergo Imperatoris edicto ut obtemperaret Joseph, tenellam Virginem sibi desponsatam assumens, in Bethlehem proficiscitur. Ecquis itineris hujus labores excogitans, delicatissimæ Virgini non compatiatur, & paratas sibi delicias ac commoda non erubescat? Longum erat iter atque difficile; erant hi Sanctissimi Peregrini pauperes, ac omni re necessaria destituti. Erat jam partui vicina Virgo; tempus conficiendo itineri admo-

(a) *Ad Hebr. XIII. v. 14.*
(b) *Ad Galat. IV. v. 4. & 5.*
(c) *Ad Philippens. IV. v. 3.*

admodum contrarium erat, ob furentes ventos & atrocia frigora, ob hospitiorum & cubilium defectum; eò quòd tam multi hospites omni ex parte illuc accurrerent. Sed pergamus èt nos spiritu, ac peregrinantes cum Sanctissimis hisce Viatoribus progrediamur. Sequamur piissimos gressus, puritate ac simplicitate parvuli effecti; ac humili & devoto corde, Joseph ac Mariæ in itinere, ùt possumus, deserviamus. Audiamus, quinam sint eorum sermones, *quos conferebant ad invicem ambulantes* (a). Modò de Deo, modò cum Deo loquuntur; quandoque orando, aliquando dulcissimè colloquendo, ac suavissimis hisce colloquiis viæ superabant incommoda.

Verùm ubi ad diversorium pervenerunt, idque plurimis hospitibus plenum comperissent, nullusque esset, qui Sacram hanc Familiam agnosceret, & ob paupertatem quoque despicerentur, locum sibi nullum invenientes, ad animalium stabulum sese receperunt; cùmque eos muta animantia excepissent, quos infelicissimi homines rejiciebant, considens Regina Cœli, Virgo sacratissima enixa est Deum, Dei Filium. Aperti illic sunt Cœli, *germinavit terra* Mundi *Salvatorem* (b); stabulum animalium, factum est Cœlum. O felicissima jumenta, tanto reddita digna spectaculo! O miserrimi homines, brutis indigniores! Siquidem *cognovit bos possessorem suum, & asinus Præsepe Domini sui* (c). O nobilissimum stabulum! O aureas paleas nascenti Christo suppositas, cervicalibus omnibus Regiis, atque tapetibus ditissimis præponendas! O summam ac singularem paupertatis virtutem, quam sic Dei Filius semper cordi habuit, atque dilexit! Considerate, obsecro, dilectissimi, ac toto corde pensate extremam inopiam & humilitatem, quam Cœli Rex elegit in hoc Mundo, dum nasceretur; pauperem domum, pauperem lectum, pauperem Matrem; omnia pauperrima, & quidem commodata etiam a bestiis. Tale sibi cubile delegit Mundi Creator, tales sunt sacratissimi illius Partùs deliciæ. *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra* (d)! Verè tu, Deus, mirabilium es operator. Jam non miror Mundi machinam, nec terræ stabilitatem, non dierum successionem, nec temporum mutationes. Miror tantùm, eò quòd videam Deum in Virginis ventre latentem, miror Omnipotentem in Præ-

(a) *Lucæ XXIV. v. 17.*
(b) *Isaiæ XLV. v. 8.*
(c) *Ibidem I. v. 3.*
(d) *Psalm. VIII. v. 2.*

Præfepio vagientem. Quanta pro nobis Domine fecifti! Creaveras omnia verbo unico, identidem èt nos verbo ad tuì fimilitudinem formaveras; poteras etiam verbo redimere. Sed clarè apparet hinc, quàm nobilis creatura fit homo, ac toto Mundo præftantior; pro cujus periclitantis remedio tam multa funt facta. Hoc myfterium adeò fublime fenfus meos omnes excedit, ac me cum Propheta exclamare compellit: *Domine audivi auditionem tuam, & timui* (a). *Confideravi opera tua, & expavi* (b). Jure quidem obftupefcis Propheta Sanctiffime: Quid enim admirabilius, quàm quod pauciffimis verbis hic exprimit Evangelifta dicens: *Peperit Filium fuum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in Præfepio: quia non erat eis locus in diverforio* (c)? O myfterium maximè venerandum! O res non vocibus explicanda, fed intimo cordis affectu confideranda; non linguæ officio exprimenda, fed filentio celebranda! Quid mirabilius, quàm videre illum Dominorum Dominum, quem *laudant aftra matutina* (d); eum, *qui fedet fuper Cherubim, & volat fuper pennas ventorum* (e), cujus fedes eft Cœlum, ac *terra fcabellum pedum ejus* (f), in tantam deveniffe pauperiem, ut, cùm pro nobis nafci dignatus eft, a Matre *reclinaretur in Præfepio*, eò quòd *locus ei* alius *non effet in diverforio?* Quæ adeò vilis perfona in tantam umquam devènit indigentiam, ut, alio deficiente loco, filium fuum reclinaret in Præfepio? Quæ conjunctio duorum ita inter fe diftantium, Dei, & Præfepii? Quid vilius Præfepio, loco beftiarum? quid fublimius Deo fuper Cherubim fedente? Quì fieri poteft, ut extra fe quifpiam non rapiatur, hæc cogitans; Deum in ftabulo, Deum in Præfepio, Deum lacrymantem, Deum præ frigore trementem ac viliffimis *pannis involutum?* O Rex gloriæ, o fpeculum innocentiæ; quid tibi cum his afflictionibus, cum lacrymis, cum frigore ac nuditate, quæ tributum funt ac pœna criminum noftrorum? Noftra, noftra funt hæc; hæc nobis debentur, non tibi. Tuum eft Regnum, tua Majeftas, tuum Imperium; Tibi *immortali & invifibili, foli Deo*, debetur *honor & gloria* (g): At mihi infeliciffimo peccatori hæc congruunt, quæ pro me tam dignanter affumpfifti. Quàm inextricabilibus ac fortiffimis vinculis me unde-

(a) *Habac. III. v. 2.*
(b) Verba ifta non leguntur in Vulgata, fed tantùm in antiqua Verfione, quâ utitur Ecclefia Ambrofiana.
(c) *Luca II. v. 7.*
(d) *Job XXXVIII. v. 7.*
(e) *Pfalm. XVII. v. 11.*
(f) *Matth. V. v. 35.*
(g) *I. ad Timoth. I. v. 17.*

undequaque, Domine, circumdedisti; quomodo me tantis beneficiis immersisti! Noveram priùs, mille gehennas iis infligendas esse, qui in te delinquebant; verùm post tam magna & tam nova munera, quæ pœnæ, qui cruciatus, quæ mortes adhuc peccantibus non debentur? Benedictus sis Domine, qui talibus me catenis alligasti, ac tot mysteriis tui in me amoris ignem accendere studuisti.

Extruxerat magnifico sumptu, celeberrimum Templum Salomon, &, cùm Dei promissa cogitaret, quòd nempe in eo habitare dignaretur, totus extra se raptus clamabat: *Ergo-ne putandum est, quòd verè Deus habitet super terram? Si enim Cælum, & Cæli Cælorum te capere non possunt, quantò magis domus hæc, quam ædificavi (a)?* Sed quid dixisset Salomon, si non in nobilissimo Templo, auro & argento ac omni lapide pretioso, & ebore ornato, sed in sordidissimo stabulo ac fœtido, inter animalia, Dominum, non ùt ibi, patrocinio tantùm & gratiarum largitione præsentem, sed re ipsa in carne assumpta lacrymantem conspexisset? Excedunt hæc profectò humanum captum. Deficit hic omnis lingua, cor omne languet, & mens tantæ non sufficit cogitationi.

Ergo in stabulo Deus est? Et cur? O Deus meus! Moriar si dixero, sed dicam: *quia non erat ei locus in diversorio (b)*. Erat locus hominibus, mulieribus, peccatoribus vilissimis; & Deus, omnium Dominus locum non inveniebat. Cujus erat Mundus totus? Nonne Dei? Et cujus erat diversorium? Nonne Dei? Annon hic erat, qui omnia de nihilo, verbo suo creaverat? Et *locus ei non erat?* Munde ingratissime, semper rebellis & Deo infense; tu semper in more habuisti, ut Deo locum non dares. Das tu locum omnibus, præterquam Deo. Hæc figura erat perfidiæ vestræ, ingratissimi Judæi, qui, cùm Dei populus essetis, ab ipso tot privilegiis, præ ceteris omnibus insigniti, tot beneficiis aucti, ipsum tamen *in propria venientem non recepistis (c)*; imo ingressum turpissimè rejecistis, ac Civitate vestra exclusum, inter infames latrones Cruci suspendistis. Hoc vos peragitis infelicissimi peccatores, qui intra vos Dæmonibus, serpentibus, & struthionibus locum dantes, Deum vestrum expellitis. Quid est adulter quod facis; nisi libidini locum dare, excluso Christo? Quid avare, quod congeris; nisi, ut pecuniæ sit locus, Christum

(a) *III. Reg. VIII. v. 27.*
(b) *Luce II. v. 7.*
(c) *Joann. I. v. 11.*

ſtum propellere? Quid eſt, juvenes miſerrimi, ebrietatibus & crapulis, (fortè per hos quoque ſanctiſſimos dies) incumbere, niſi Chriſto nullum in animabus veſtris locum relinquere? Pudeat, pudeat vos, tantæ ingratitudinis reos apparere. Si cui fortè munus aliquòd licèt exiguum vos tribueritis, omnia vobis ab illo exiſtimatis deberi. Ecquis vitam vobis largitus eſt, niſi Chriſtus? quis vos creavit, quis dira ſervitute exemit; quis vires ſuppeditat, quis victum & veſtitum, ac cetera omnia neceſſaria vobis tribuit, niſi Chriſtus? Et vos infames, omni pœna digniſſimi, huic tam benefico, in diverſorio cordis veſtri domicilium denegatis?

Diſcite filioli, qui ad cauponas frequenter acceditis, omnia in iis peccatorum genera perpetrantes; quia ibi locus non eſt Chriſto, nec proinde Virtuti: Ubi autem locus non eſt Chriſto, Diaboli ſedes eſt, ac proinde malorum omnium officina & infernus. Hæc cogitantes expaveſcite, & deliciarum Mundi, turpiſſimarum ſeculi voluptatum, & Diaboli ſcholas fugite. Ecce tempus acceptabile, quo omnes in hoc ſolum deberemus incumbere, ut naſcenti Chriſto, ut divino huic Infanti frigore algenti ac trementi, domum & locum diſponeremus in nobis: Infans, inquam, iſte contemplatione & oratione ferventiſſima, piiſque operibus a nobis eſſet fovendus.

Sed rapit me rurſum in ecſtaſim dignatio tua infinita, benigniſſime Jeſu, ac me cum Propheta exclamare ad te compellit, & quod ille futurum admirabatur, hujus nunc impleti cauſam a te perquirere: *Quare quaſi colonus* factus es *in terra, & quaſi viator declinans ad manendum? Quare* factus es *velut vir vagus, ut fortis, qui non poteſt ſalvare* (a)? Si *Domini eſt terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & univerſi, qui habitant in eo* (b); ſi magnum hunc campum fabricaverunt ex nihilo digiti tui, cur non ùt Dominus poſſeſſionis accedis, ſed veluti *colonus?* Cur, cùm ſis Dominus omnium, ne locum quidem reperiri vis ortui tuo? Si *in propria venis*, cur *in diverſorio locum non invenis?* Si terra domus tua eſt, & *pedum* tuorum *ſcabellum* (c), cur *quaſi vagus* locum quærens, non reperis; nec tuî quiſpiam in tantis tuis neceſſitatibus miſeretur? Sed tuo nobis nomine, ac tuis verbis Iſaias reſpondet, hunc tuum ipſum mirabiliſſimum ortum ita deſcri-

(a) Jerem. XIV. v. 8. & 9.
(b) Pſalm. XXIII. v. 1.
(c) Matth. V. v. 35.

describens: *Parvulus enim natus est nobis, & Filius datus est nobis, & factus est Principatus super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis* (a); atque horum omnium causam subdens: *Zelus*, inquit, *Domini exercituum faciet hoc* (b). *Zelus*, o filii, *zelus Domini*, horum omnium fuit causa, summus nempe in nos indignissimos ejus amor, cui hoc totum debemus: *Sic enim Deus dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (c). Quorsum autem a Propheta perquiro, quod tuis ipsemet verbis per Moysen servum tuum nobis apertissimè indicasti? Apparueras tu ei in flamma Rubi (d): Videbat ille Rubum ardere, nec tamen consumi; id autem tuî Incarnationem ac Nativitatem exprimebat, qua Matris tuæ Virginitas nullatenus erat violanda. Subinde tu horum omnium, tantæque tuæ dignationis causam illi declarans, dicebas: *Vidi afflictionem Populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi propter duritiam eorum, qui præsunt operibus: & sciens dolorem ejus, descendi, ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam, & spatiosam* (e). *Videras* tu Domine generis humani *afflictiones*, diram tyrannidem, qua premebatur; *eorum, qui præerant, duritiem:* Pervenerant ad aures tuas Sanctissimorum Patrum clamores voces & ejulatus; ideoque *descendisti, ut de manibus nos eriperes* Dæmonum, ac *in terram* Patriæ tuæ cœlestis *educeres*. Sola igitur clementissima nostrî miseratio, solus amor, *colonum* te, & *vagum* ac *viatorem* hodie fecit: quæ demum etiam omnia te postmodum in durissimum Crucis lignum extulerunt.

Ecce ergo, dilectissimi filii, quia jam veterum Patrum satisfactum est votis. Cessent nunc qui clamabant: *Rorate Cœli desuper, & nubes pluant justum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem* (f); quia jam hac nocte *e Cœlo ros* cecidit; *pluerunt nubes justum*, & *terra germinavit Salvatorem*. Cessent qui clamabant: *Utinam disrumperes Cœlos!* (g); jam enim disrupti sunt. Cessent qui clamabant: *Inclina Cœlos tuos, & descende* (h): *Mitte Domine, quem missurus es* (i); jam enim inclinavit, & descendit; jam missus est, qui erat mittendus. *David in præsidio* consistens, cùm *statio Phili-*

(a) *Isaiæ IX. v. 6. & 7.*
(b) *Ibidem v. 7. in fin.*
(c) *Joann. III. v. 16.*
(d) *Exodi III. v. 2.*
(e) *Ibidem v. 7. & 8.*
(f) *Isaiæ XLV. v. 8.*
(g) *Ibidem LXIV. v. 1.*
(h) *Psalm. CXLIII. v. 5.*
(i) *Exodi IV. v. 13.*

Philiſthinorum eſſet *in Bethlehem*, *deſideravit* aquam de lacu, *& ait: O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethlehem juxta portam! Irruperunt ergo tres fortes caſtra Philiſthinorum, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethlehem, quæ erat juxta portam, & attulerunt ad David: at ille noluit bibere* (a), oſtendens, quòd non eam aquam ſitiret, nec illam ciſternam; ſed *quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum* (b), ita deſideraret ipſe, fontem hunc ſublimiſſimum, qui hodie ſcaturivit in Bethlehem, libare, ac hujus immaculati Agni ſanguine inebriari. Sed ceſſet jam, o Rex Sanctiſſime, tanta hæc ſitis, quia nocte hac fons ſcatuit; *ciſterna* hæc *aquarum*, gratiarum omnium pelagus apparuit *in Bethlehem*. Exclamabat, ac ſuſpirabat amore æſtuans Sponſa, & dicens: *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & deoſculer te, & jam me nemo deſpiciat* (c)? Ecce, ecce, filii, quia *invenimus eum foris*. Latebat prius in Cœlo, jam deſcendit; foris illum in ſtabulo invenimus; oſculatus eſt nos. Sed quid dico oſculatus? *Sponſavit nos ſibi* (d); noſtram aſſumpſit naturam: *Verbum caro factum eſt* (e). Quis *nos* ultra *deſpiciat?* quis noſtram dignitatem non admirabitur? Ne nos ipſos, filii, contemnamus, ne nobilitatem noſtram ignoremus, ne formam noſtram peccatis dedecoremus. Agnoſcamus nos hodie, minoratos paulò minus ab Angelis (f), imo eis hac ratione quaſi prælatos; & tantæ conformem nobilitati in poſterum vitam ducamus. Sic mores noſtros, & opera componamus, ut tantum hoc munus, & ſtatûs noſtri ac gradûs, in quo hodie ſumus a Deo conſtituti, excellentiam agnoviſſe oſtendamus.

SECUNDA PARS.

[Requirunt hæc Feſta, ut licèt ſit nobis ſemper orandum, hoc tamen tempore orationibus potiſſimùm vacemus. Has nos etiam a vobis inſtanter imploramus, ut in iis noſtri memores, magnum quoddam negotium, ad Dei ipſius honorem tendens, commendatum habeatis.]

Mira eſt Dominicorum myſteriorum diſpoſitio; ſic enim ſunt ordinata, ut & majeſtatis ſplendore fulgeant, & humilitatis

(a) II. Regum XXIII. v. 15. & ſeq.
(b) Pſalm. XLI. v. 2.
(c) Cant. Cantic. VIII. v. 1.
(d) Oſee II. v. 20.
(e) Joann. I. v. 14.
(f) Pſalm. VIII. v. 6.

tis abjectione sint plena. Licèt utrumque hoc in singulis facilè conspiciatur, in hodierno tamen, Sole clarius elucet. Nascitur hodie Christus ex paupercula Matre; sed Virgine, quæ Filium pariendo Virginitatem non amisit, imo fœcunditate illustravit. Patrem habet putativum pauperem Joseph; sed naturalem habet Patrem in Cœlis, Altissimum Deum, ei dicentem: *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (a). Nascitur in obscurissimo ac vilissimo stabulo; sed fulget in Cœlo. A multitudine Cœlestis Militiæ Pastoribus, & a nova Stella Magis in Oriente manifestatur. Desunt famuli, & ancillæ; sed exercitus famulantur Angelici. Vagit Infans inter arcta positus præsepia; sed Cœlum moderatur & terram. Tremit, & alget; sed eum contremiscunt Dæmones, ac timent. Debilis apparet in membris, sed fulget latens in carne Divinitas. Manifestatur Pastoribus, & rusticis ac idiotis hominibus; iis videlicet, illorum typum gerentibus, per quos (licèt quoque pauperes ac simplices piscatores), totus Mundus Christi Fidei & Evangelio erat subigendus: manifestatur denique pauperibus quidem ac vilibus hominibus; sed ab Angelo. *Et Pastores erant*, inquit Lucas (b), *in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus: Nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in Civitate David. Et hoc vobis signum: Invenietis Infantem pannis involutum, & positum in præsepio.*

Consolamini pauperes, consolamini, quos Mundus debiles & viles existimat; quia non Regibus hodie aut Satrapis, non Philosophis aut Mundi Sapientibus, sed rudibus Pastoribus Angelus Christi evangelizat mysterium. *Vobis*, inquit, *evangelizo gaudium magnum*. Et quibus erat id annunciandum, nisi iis, de quibus ipse, qui nascebatur, Christus, erat dicturus: *Evangelizare pauperibus misit me* (c)? O sacrosancta paupertas! O verè altissima & nobilissima virtus! Tu assimilaris Reginæ Esther; te enim ob humilitatem tuam, repudiatâ Reginâ Vasthi, superbiâ videlicet, ac Mundi pompis & divitiis, potentissimus Assuerus Christus semper elegit, in Matre, ac in Patre putativo ante nativitatem suam: Te nascens, in loco, in pannis, in jumentis; te in omni vita, in morte, in Cruce, in iis, quibus fuit annun-

(a) *Ad Hebr. I. v. 5.* | (b) *Cap. II. v. 8. & seqq.* | (c) *Lucæ IV. v. 18.*

nunciatus, in iis denique, per quos poſt mortem erat Mundo prædicandus, ſemper requiſivit. Numquid ergo non es felix ac beata, quæ Regi gloriæ, in quo eſt omnis felicitas & beatitudo, arcto adeo vinculo ſemper extitiſti conjuncta? Sed non pauperibus quibuſcumque (o pauperes) annunciat Angelus, ſed *vigilantibus dumtaxat, & cuſtodientibus vigilias noctis ſuper gregem ſuum;* non ocioſis, non deſidibus, ſomnolentis aut torpeſcentibus, ſed vigilantibus dumtaxat, ac ſuper gregem ſuum vigilias cuſtodientibus. *Vigilate ergo* èt vos, *ut non intretis in tentationem* (*a*). Vigilate, cùm vobis maximè ſit vigilandum, *quia adverſarius veſter Diabolus, tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret* (*b*). *Gregem veſtrum cuſtodite:* Et qui ſunt greges veſtri, niſi ſenſus veſtri? Super hos, *noctis* præſentis vitæ, quæ denſiſſima nox eſt, *vigilias cuſtodite*, ne eos, veluti oves errantes aut diſperſas, lupus infernalis deglutiat. Ab hoc tanto gaudio, quod evangelizat Angelus, nemo, niſi non pauper excluditur; quo nemo certè pauperior. Quis enim eo miſerior, qui, cùm pauper ſit & egens, dicit tamen ſe divitem eſſe (*c*)? Verùm hic etiam vobis omnibus indicuntur vigiliæ, quia veſtrûm eſt, myſteriorum ſacrorum intelligentiam a Paſtoribus veſtris atque Prælatis percipere. Deſignabant nos Paſtores illi; vos oves eſtis, ideo per nos ſunt hæc vobis communicanda.

Hoc ergo nos quoque hodie vobis annunciamus, Mediolanenſes, quia natus eſt hodie Salvator Mundi, qui eſt Chriſtus Dominus, vobis, inquam, qui e Paradiſo ejecti fueratis, qui graviſſimo peccati morbo laboraſtis; non autem Angelis pravis, quos in damnationis ſtatu reliquit. Heu quantum tibi Chriſte debemus, quoniam noſtri miſereri volueris, denegatà Angelis ipſis hac indulgentià! Agnoſce homo immenſitatem amoris, & amori amorem repende.

Sed magno etiam myſterio non caret, quod Paſtoribus traditur ab Angelo cognoſcendi Domini ſignum: *Et hoc vobis*, inquit, *ſignum: Invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio*. Humilitas ergo & paupertas, Chriſti ſunt Inſignia & indumentum. I nunc maledicta ſuperbia, Diaboli ſignum: Abeant nunc ſumptuoſa ædificia, vaſta palatia, ampliſſimæ domus; abeant nunc aurea periſtromata, ſerica ornamenta, colorata tapetia; abeat lauta ſupellex; abeat demum famulorum, & pediſſequarum copioſa

(*a*) *Marci XIV. v. 38.* | (*b*) *I. Petr. V. v. 8.* | (*c*) *Apocal. III. v. 17.*

piosa multitudo. Non hæc Nobilium, non Christianorum sunt signa, sed Gentilium, sed Christifidelibus illudentium, sed Dæmonum. Et quæ major nobilitas, Christi nobilitate? Et quis nobilior eo existit, qui ad Christum propiùs accedit? Discite mulieres, quàm execrandus sit vester ille fastus & pompa, quibus infantes vestros vix natos, aureis eos & sericis velis involvendo, Dæmonis cogitis induere Insignia; vosque Christi signa pudet referre. Increpat hodie vos Christus infantulus non verbis, sed facto; vilissimi *panni*, quibus *involvitur*, aurum damnant & sericum; *præsepium*, in quo *reclinatur*, eburneas & pretiosas vestras cunas accusat.

Quid verò faciendum nobis sit, (ut sermoni tamdem finem apponam), intueamur. Audite, quid Pastores fecerint, quid ipsis spectantibus, Maria; & quid a vobis requiratur agnoscite. *Factum est, ùt discesserunt ab eis Angeli in Cœlum, Pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes, & invenerunt Mariam, & Joseph, & Infantem positum in præsepio. Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de Puero hoc. Et omnes, qui audierunt, mirati sunt, & de his, quæ dicta erant a Pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Et reversi sunt Pastores glorificantes, & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, & viderant* (*a*). Ecce quæcumque hodierno die nos exequi deceat.

Gratias in primis & laudes Deo omnes referamus, Angelorum exemplo, qui in Cœlis & in terra pro nobis ei gloriam exultantes canebant. Accedamus, Pastorum vestigia sectantes, ad præsepe sanctissimum, ad meditandam Christi Infantis Divinitatem, & Dei in nos benignitatem. *Transeamus* hodie omnes a vitiis & peccatis, quibus hactenus fuimus irretiti, transeamus a pravis consuetudinibus, a vanis colloquiis, & nos conferamus *in Bethlehem*. Verè Bethlehem es, Sancta Mater nostra Ecclesia; verè tu domus panis; in te namque filiolis tuis panis vitæ tribuitur, panis Angelorum comedendus apponitur. Ad hanc domum transite omnes, filii, Sanctissima Sacramenta frequentiùs sumentes in posterum: Nec solùm de transitu cogitandum est vobis, sed quod mente concipitis, *festinanter* implendum, nullà interpositâ morâ; *nescit* enim *tarda molimina Spiritus Sancti gratia* (*b*).

Com-

(*a*) *Lucæ II. v. 15. & seqq.* | (*b*) S. Ambrosius Lib. II. Comment. in Luc.

Communicemus itidem aliis, eorumdem Pastorum imitatione, nos quoque hæc sancta mysteria. Sit de divinis dumtaxat muneribus omnis sermo noster; de Christo tantùm colloquamur; de Deo incarnato solùm verba faciamus, & vocibus nostris alios nobiscum ad Deum pertrahamus, qui divinam bonitatem, Christi paupertatem & humilitatem admirentur. Demum Mariæ exemplum sequentes, *conservemus omnia verba hæc, conferentes in corde nostro;* & tam insignium donorum memoria ab animo numquam deleatur.

En ergo, dilectissimi, Filium Dei, vobis similem factum. En *parvulum natum vobis:* En *Filium vobis datum* (a). *Egredimini ergo, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum Mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus* (b). O piæ animæ, & Christi Sponsi vestri amore incensæ, *egredimini* jam ab omnibus Mundi curis & solicitudinibus, vestrisque cogitationibus recollectis ac sensibus, contemplamini verum *Salomonem,* Cœli & terræ pacificatorem, eum, qui veram attulit, & reliquit hominibus pacem, qui eos æterno Patri reconciliavit, non *in diademate, quo coronavit eum* Pater, quando ab æterno similem illum sibi generavit, suæque divinitatis gloriam ei communicavit; sed in *diademate*, quo coronavit eum *Mater sua*, quando ipsum in tempore peperit, ac nostræ humanitatis & carnis induit infirmitate. Venite, & *videte* Filium Dei, non in sinu Patris, sed in amplexibus Matris; non inter Angelicos choros, sed inter vilissima animalia; non in majestate sedentem ad dexteram Patris, sed in bestiarum præsepio reclinatum; non tonantem aut fulgentem in Cœlo, sed plorantem & trementem in stabulo. Venite, & celebrate *diem* hunc *desponsationis illius*, quo egreditur de Virgineo thalamo; desponsatâ sibi humanâ naturâ tam arcto matrimonii vinculo, quod nec vitâ, nec morte sit dissolvendum. Hic *dies* est *lætitiæ* secretæ *cordis ejus*, quando exteriùs ùt infantulus lacrymans, interiùs tamen gaudio perfundebatur, quòd nos redempturus accederet. Gaudete èt vos simul & flete; lacrymas emittat miserationis affectus; gaudium eliciat salutis spes; ac nato Christo renascimini èt vos: curantes, ut qui hodie in præsepio est natus, vobis nascatur in corde, ut *ambulantes in novitate vitæ* (c), æternis tamdem cum ipso gaudiis perfruamini. Amen.

HO-

(a) *Isaiæ IX. v. 6.*
(b) *Cant. Cantic. III. v. 11.*
(c) *Ad Roman. VI. v. 4.*

HOMILIA LXXXVI.

IN FESTO SANCTI STEPHANI PROTOMARTYRIS

Habita in ejusdem Basilica Mediolani

ANNO MDLXXXIII. XXVI. DECEMBRIS.



QUANTAM hominum cordibus vim inferunt duo illa verba *Meum*, & *Tuum!* Certè qui ea diligenter perpenderit, atque ad æquum examen revocaverit, accuratè comperiet, duas has voces initium dare tot inordinatis curis atque anxietatibus, tot anhelis desideriis, amori simul ac timori, odiis & doloribus, variisque spei & affectuum incompositis motibus; dum quilibet *quærit quæ sua sunt* (a), eaque studet conservare, atque augere. Hinc tot dissensiones & lites, tot discordiæ & rixæ, tot plerumque vulnera & homicidia. Quòd si rerum terrenarum, quæ fluxæ sunt, possessio tantum in animis roboris habet; quantum, dilectissimi filii, Christianorum hominum pectora urgere deberet vox ista *meum*, quæ ad Deum tam nobilem & excelsum possidendum, justè conduceret? O quàm præclarum est, quàm insigne, quòd possit quis dicere: *Deus meus, & Dominus meus* (b)! Hoc ut possimus, nobis jam contulit Christus Dei Filius, cùm se hominem fecit. Hujus tanti muneris memoria hoc sacratissimo tempore colitur; hoc nobis heri Angelus evangelizabat dicens: *Quia natus est vobis hodie Salvator Mundi, qui est Christus Dominus* (c). Hoc adeò inculcabat Propheta exclamans: *Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis* (d). Jam ergo Deus est noster; ideo enim humanam naturam nostram sibi univit, ut possint singuli dicere: meus est Deus; nec ex eo quòd unius sit, alteri eripitur. Lætatur Sancta Mater Ecclesia, tantum nobis accessisse thesaurum, & tali nos proprietate ditatos; sed curat

(a) *Ad Philipp. II. v. 21.* | (b) *Joann. XX. v. 28.* | (c) *Luc. II. v. 11.* | (d) *Isaiæ IX. v. 6.*

rat in primis, ut quod jam factum est nostrum, omni studeamus diligentia servare: ideoque id nos potissimùm docet, eaque suggerit, quibus ad id instruamur. Stephanus Protomartyr [cujus natalitius dies non hodie celebratur, sed mense Augusto, quo die Inventionis ejus memoria recolitur (a)] noverat, se hoc thesauro per Filii Dei Incarnationem fuisse donatum; ideoque Deum suum apprehendens, ac tenacissimè servans, eo se numquam est passus a quopiam privari; studuitque, ut qui Deum habuerat factum suum, singulari quadam ratione et ipse fieret Dei. Itaque admodum appositè, postquam heri diem coluimus, quo Deus factus est noster, hodie statim illius peragimus Festum, qui suo nos exemplo edocuit, quomodo in hac Dei possimus possessione persistere, fierique itidem nos Dei. Amplissimus campus est, Protomartyris hujus integerrima vita, & sanctissima mors; verùm aliqua ex innumeris attingentes, ex sacra itidem lectione Evangelii mysticè explicati, quid Deo singuli debeamus, eo potissimùm nomine, quòd factus sit noster, considerabimus.

Hodierni Evangelii historia, quam jam audivistis ex Matthæi capite decimo septimo, est hujusmodi: *Cùm venisset Jesus* cum Discipulis suis *Capharnaum, accesserunt, qui didrachma accipiebant ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma? Ait: etiam. Et cùm intrasset in domum, prævênit eum Jesus, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Jesus: Ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore ejus, invenies staterem: illum sumens, da eis pro me, & te (b).*

Multa sese hic offerunt, filii, quæ longâ & non inutili essent tractatione prosequenda; nam hic in primis locus videretur aptus agendi de Ecclesiasticorum hominum immunitate a gravaminibus omnibus secularibus, a censibus atque tributis; dum eos, tamquam *filios Regis*, ab his omnibus *liberos* affirmat Petrus, & Christus confirmat: proinde magna hic eorumdem dignitatis sublimitas posset expendi, cùm filii Regum nuncupentur, & sint. Insuper quis non videat, quàm appositè de duplici Regno posset tractari? Christus enim interrogans Simonem de *Regibus terræ* tributum accipientibus, apertè indicat, duplices esse Reges, duplexque itidem Regnum; alte-

(a) De Natali die Sancti Stephani jam disseruimus in Notis ad alteram Concionem, habitam a Sancto Carolo Anno MDLXVII. Tom. I.

(b) *Matth. XVII. v. 23. & seqq.*

alterum quidem fragile, ideft *terræ*, cui Reges hi præfunt, & in quo locus non eft Chrifto, utpote *cujus Regnum non eft de hoc Mundo* (*a*); alterum verò non terræ fed Cœli, non labile fed conftans, non momentaneum fed æternum. Confiderandum pariter effet, quàm Deo difpliceant fcandala, quamque ipfe ftudiosè curet, ne eadem eveniant; nec ea folùm, quæ *activa*, fed etiam, quæ *paſſiva* nuncupantur, quæque nullius agentis culpâ, fed a malo tantùm videntis afpectu, aut ignorantiâ profluunt. Væ auctoribus fcandalorum, filii: *Væ homini illi, per quem fcandalum venit* (*b*)! *Væ illi, qui fcandalizaverit unum de pufillis, expediret ei, ut fufpenderetur molâ afinariâ in collo ejus, & demergeretur in profundum maris* (*c*)! Væ vobis, matres, quæ libidinibus veftris filias ad omnem armatis licentiam, & ad fovendam carnis petulantiam provocatis! Væ vobis, patres, qui pravis veftris exemplis filios blafphemare, ludere, ac nefanda hujufcemodi mille docetis, eorumdem potiùs interfectores quàm patres! Quis etiam ex Evangelio admirandi fummam Dei potentiam argumentum non fumat, cùm pifcem illum unà cum ftatere, ufibus fuis aut de novo creaverit, aut inveniri decreverit? Jam verò quàm immenfa hinc elucet Chrifti paupertas, qui nec adeò tenuem denarium penes fe haberet, fed a pifce ei effet fubminiftrandus! Quanta autem Petri fides fuit, adeo promptè novo Domini præcepto obtemperantis, nec quidquam aut refpondentis, aut objicientis! Hæc omnia certè effent hìc præclarè admodum tractanda. Sed quid cum Stephani Protomartyris, cui hodiernus dies eft facer, hiftoriâ? quid hæc ad propofitam rem faciunt? quid ad hujus gloriofiffimi Agonothetæ triumphos atque victorias?

Altiori eft opus indagine, filii; literæ nobis limites funt tranfcendendi, ac ad fpirituales fenfus confugiendum. Abfit enim, ut quifpiam allegoricos fenfus non magnifaciat, quos paffim adhibet Sancta Mater Ecclefia. Aliud ergo mare hìc eft intelligendum; alius hamus, alia efca, alia pifcatio, alii pifces, alius ftater; ac omnia quidem hæc in univerfum difcutienda, tum verò fingillatim Martyri facratiffimo applicanda.

Eft ergo mare Mundus, de quo rectè Propheta: *Hoc mare magnum, & fpatiofum manibus, illic reptilia, quorum non eft numerus* (*d*). Bone Deus, quàm aptè Mundus hic, mare appellatur; nulli profectò rei fimilior, quàm mari! Mare eft procellofum, in quo incolas ejus innumeræ femper curæ & folicitudines obruunt. Huic neque

(*a*) *Joann. XVIII. v.36.* | (*b*) *Matth. XVIII. v.7.* | (*c*) *Ibidem v.6.* | (*d*) *Pfalm. CIII. v.25.*

neque tranquillo aut blandienti credendum est; nihil enim magis instabile, incertum, atque mutabile; & cùm blandiri in primis videtur, tunc maximè timendum est, ne repentè non cogitantes absorbeat.

At verò quinam Maris hujus sunt pisces? Nil dubium, quin homines isti sint; sicut enim inter pisces, aliqui majori mole constant, & hi parvulos devorant; ita (proh dolor!) ea est miserabilium horum præsertim temporum conditio, ut potentiores opprimant debiliores. Avari usuris enecant pauperes, eorum sanguine pascuntur; alii pupillos & viduas deglutiunt, injustas eis lites inferentes, & mille dolis ac fraudibus eorum facultates surripientes. *Impius* denique *prævalet adversùs justum* (*a*); jura pervertuntur, leges violantur, pecuniis atque potentia & favoribus plerumque omnia reguntur. O quàm multis hisce piscibus abundat hoc mare! Sed, sicut ex piscibus aliqui mundi erant, & sacrificiis ac hominum cibo apti, ii nempe, qui pinnis sustentabantur, & squammis toto corpore tegebantur; qui verò e contra pinnis carebant & squammis, immundi habebantur: sic hominum alii mundi sunt, immundi alii. Illi quidem contemplationis, & assiduæ orationis veluti pinnis sustentantur; custodiâ etiam sensuum atque membrorum suorum veluti squammis obteguntur; & hi grata Deo sunt sacrificia: Alii verò utroque carent; nullam sensuum suorum curam habent, contemplationis suavitatem non gustant; suntque coram Christo immundi.

Vagantur continuò per mare pisces; & cur, nisi ut modicam sibi escam ac victum quærant? Sed (o me miserum!) cur in Mundo vagantur homines, Avari potissimùm, nisi ut modicum terræ sibi comparent, nisi ut levissimo cibo pascantur? Serpunt hi semper humi, piscibus iis similes, qui cœno & luto continuò immerguntur. O homo qui ad tam sublimem & nobilem finem creatus extitisti, sicuti Deus est, ac æterna Cœli felicitas; quantam tibi ipsi, tibique constituto termino injuriam infers! Quæ est tua hæc stoliditas, ac turpis ingrati animi culpa, quòd tanta nobilitate indignum te reddas; & neglecto Deo, adhæreas Mundo; contempto Cœlo, terram eligas; cœlestia terrestribus postponas; fluxa & caduca sempiternis præferas: cùmque *conversatio tua in Cœlis esse possit* (*b*), etiam quamdiu vivis in carne; piscium tamen immundorum ad instar, immergi mavis turpissimarum voluptatum, & solicitudinum luto! Erigere, erigere, & pinnis sustentare; oculos in Cœ-

(*a*) Habac. I. v. 4.

(*b*) Ad Philipp. III. v. 20.

Cœlum tolle, & finem tuum aliquando considera. Ecce igitur, quinam maris hujus sunt pisces.

Nunc, qui sint piscatores, videamus. Sicut autem duplex est piscatio, bona videlicet, aut mala; ita etiam duplices contingit esse in Mundo piscatores. Piscatur Dæmon, piscatur et Christus. Dæmon procul dubio escas miserrimis his piscibus proponit, quibus cos in sui redigat potestatem; & cur, nisi *ut devoret* (*a*)? Ejus verò hami & retia, sunt voluptates honores pompæ, Mundi favores; sunt dignitates, omnesque ceteræ insidiæ, quæ nobis incautis tendit perpetuò. O miseros nos; quàm multis hujusmodi retibus circumdamur, ut difficillimum sit, nisi cautis admodum & vigilantibus, isthæc effugere! Bonus quidem animarum nostrarum piscator fuit Christus, qui ideo venit in Mundum, ut Humanitatis & Incarnationis suæ escâ propositâ, nos in rete suum attraheret. Piscator hujusmodi fuit Petrus, & Apostoli, quibus a Domino dictum: *Faciam vos fieri piscatores hominum* (*b*). Piscatores sunt eorum successores Episcopi, Prælati, Prædicatores, & quicumque in horum numero recensentur. Eorumdem piscatio est prædicatio sanctissima, & proposita rectè vivendi exempla, dum loquendo & piè vivendo, verbis & factis homines adducunt ad Deum. Retia sunt, Scripturæ sanctæ explicatio, ex variis Evangeliorum & Librorum sacrorum sententiis veluti filis contexta. Hujusmodi piscatores se missurum pollicebatur per Prophetam Dominus, dicens: *Ecce ego mittam piscatores multos, & piscabuntur eos: & post hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum* (*c*).

Horum verò hamus sunt sacræ Paginæ, & Verbum Dei, de quo dicitur: *Vivus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens usque ad divisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque, ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis* (*d*). Esca eidem hamo annexa, est beata spes æternæ gloriæ. Sed ad ea, quæ proposito nostro congruunt, propiùs accedendo, hamus certè est Christi Incarnationis sanctissimæ mysterium. Verbum caro factum, est esca. O esca, o hamus! Latère solet hamus sub esca, qui piscem eam apprehendentem capit & sauciat. Sed quid animas nostras æquè potest apprehendere, sauciare, transfigere, quàm jugis ac seria tanti beneficii contemplatio? Quis tam grande mysterium recogitans, non vulneratur in corde, amoris jaculis non transfigitur, non capitur totus? Ergo Deus me ita dilexit,

(*a*) *I. Petri V. v.* 8. | (*b*) *Matth. IV. v.* 19. | (*c*) *Jerem. XVI. v.* 16. | (*d*) *Ad Hebr. IV. v.* 12.

xit, ut majestate sua dimissa, descendere voluerit in terras, carnem assumere, atque omnibus nostris infirmitatibus subjici? Quanta Pastoris hujus pietas, tam multa ferentis incommoda, ut me perditam ovem quæreret! Et quis adeò durus, qui hujusmodi mente revolvens, totus non liquefiat, & in amorem non resolvatur? Hoc est, quod Isaias cogitans, quodammodo disrumpebatur, & volens exprimere, quomodo exprimeret, ignorabat; ideoque innuebat: *Vox dicentis: clama* (dicebant ei spiritus & cor ejus: *clama*) *Et dixi* (inquit) *Quid clamabo* (*a*)? In ecstasim enim, hæc considerans, rapiebatur: utque magnitudinem mysterii exprimat, bipartitum subdit sermonem; nam primùm quidem carnis fragilitatem enarrat; tum verò æterni Verbi sublimitatem profert, ut, tacente ipso, nos inferamus, quàm excelsum opus fuerit, hæc duo inter se adeò distantia, arctissimè copulari: *Omnis caro*, inquit, *fœnum, & omnis gloria ejus, quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia Spiritus Domini sufflavit in eo. Verè fœnum est populus: exsiccatum est fœnum, & cecidit flos.* Tum subjungit: *Verbum autem Domini nostri manet in æternum* (*b*), ac demum de venturo Messia loqui pergit. Quid hominis carne vilius aut fragilius; quid Verbo æterno immutabilius? Et tamen *Verbum Caro factum est* (*c*).

Præcipit ergo Dominus Petro, ut hamum mittat, & in primo pisce, quem ceperit, staterem inveniet. Quis ergo est primus hic piscis? Certè Stephanus, miles invictus; hunc Petrus prædicatione sua primùm jacto hamo cepit, & traxit in rete. Habuit hic *in ore staterem*, Christi videlicet confessionem in morte, pro qua prior omnibus sanguinem fudit. Hic primus extitit, qui Christi morti mortem rependerit; ipsis etiam Apostolis ob hoc superior, quòd in tam nobili triumpho illos præire fuerit dignus, & arduum Crucis iter post Christum primus calcaverit. O dignissimum Primatem! Ecce primum piscem, filioli, Christi Domini escâ captum, ac postmodum Martyrii igne probatum. Quærat nunc primatus suos Mundus; ambiant homines ejus asseclæ primos accubitus, primas sedes, primas dignitates; studeant novas semper adinventiones excogitare, ut inter ceteros primi habeantur. Excogitent mulieres nova semper vestium genera, novos ornatus, novas pompas, ut primatum inter æquales teneant. Nullus certè hujusmodi primatus, primatui Stephani umquam æquabitur, qui primus pro Christo vitam neglexit, corpus lapidum ictibus exposuit, mori non recusavit. O quanti

(*a*) *Isaiæ XL. v. 6.* | (*b*) *Ibidem v. 6. & seqq.* | (*c*) *Joann. I. v. 14.*

ti refert primatus hujusmodi! quàm Deo est gratum, quempiam alios virtutibus antecellere, ac ceteris bene vivendi iter sternere! Hic namque præter propriam beatitudinem, qua cum reliquis in Cœlo fruetur, accidentalem quoque in dies gloriam acquiret: Siquidem quotquot, ipsius exemplis aut sermonibus, a peccato ad justitiæ fuerint iter conversi, & in libro vitæ descripti, de eorum ipse beatitudine participabit, utpote quia ab eo, post Deum, illorum salus profluxerit. At e converso, væ illis, qui, veluti Duces ad malum, alios anteire, ac scandalum præbere non erubescunt! De horum enim manibus Dominus perquiret illorum, qui perierint, animas; & quò copiosior fuerit eorum numerus, quos pravo exemplo ad damnationem compulerint, tantò major in inferno, pœnarum & tormentorum iisdem fiet accessio. Equidem, cur putatis, quòd *Dives* ille Epulo, *qui induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie*, in inferno sepultus, Abraham rogaret, ut mitteret aliquem ex mortuis ad suos, qui eos moneret, a peccatis abstinere, ne et ipsi pœnis illis subjicerentur (*a*)? Num ex caritate in eosdem? Minimè certè, cùm caritati in inferno nullus sit locus. Non ob aliud profectò, nisi ne, peccantibus illis, quibus ipse dux fuerat, & in gehennam missis, ipsius quoque cruciatus ac pœnæ augerentur. O felices illos, qui Ecclesias dotant, qui Hospitalia erigunt, qui pia legata instituunt! Hi namque, si rectè viventes, extremum vitæ suæ diem in osculo Domini clauserint ac in Cœlum ascenderint, erunt perpetuò participes bonorum omnium, quæ a pia illorum institutione initium atque incrementum acceperunt. Quis exprimere queat Sanctissimorum Benedicti, Francisci, Dominici, ac aliorum hujusmodi immensum gaudium, ac quotidianam eis accedentem gloriam, ex religiosis operibus, ac rebus præclarè gestis eorum, qui relicta ab ipsis vestigia sequentes ac patrocinio adjuti militant Deo, in extructis Cœnobiis angelicam vitam ducentes, atque agrum Domini studiosè excolentes? Hujusmodi est gloriosissimus Stephanus Protomartyr, qui constantiâ suâ ac fortitudine tam multos, qui ipsum sunt secuti, ad eadem perferenda supplicia inflammavit.

Sed terret fortè quempiam, Martyrii nomen, effusio sanguinis, & vitæ dispendium: Id tamen omne primus oppetiit innocentissimus Christus Dei Filius pro nobis. In hunc conjecit oculos Stephanus. Cruce sua Dominus, aliisque toleratis cruciatibus, veluti

(*a*) *Luc. XVI. v. 19. & seqq.*

luti quibuſdam funibus ſibi nos obligavit. Senſit hos funes Stephanus, agnovit hoc debitum; & ideo ſe trahi paſſus eſt ad ſupplicii locum; ideo mortem adeo alacriter ſubiit, imo avidiùs expetivit, quàm nos hanc miſerrimam vitam. Hinc ei tanta libertas arguendi Judæos, eoſdemque ita exprobrandi: *Dura cervice, vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis. Quem Prophetarum non ſunt perſecuti Patres veſtri* (*a*)?

Fateor quidem, quia Stephanus virtute ſuâ hæc peragere minimè potuiſſet, utpote homo imbecillis atque infirmus. Sed eum roboravit, dilectiſſimi, divinæ vis gratiæ; & ideo de illo dicitur: *Repletus erat Spiritu Sancto* (*b*). Et quid hoc eſt niſi Spiritus Sancti donis, fortitudine, ſapientia, intellectu, conſilio, prudentia, pietate, & timore Domini exornari? Ab hiſce in Stephanum derivarunt ejuſdem Spiritus Sancti fructus uberrimi, qui illum caritate replevere, nempe gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, & caſtitas. Virgo erat Stephanus, & vitæ animique candorem ſpecies etiam corporis referebat externa; vultu namque erat Angelico (*c*). Innocentiſſimus hic ab Apoſtolis, Orbis terræ futuris Judicibus, habitus, viduarum & pauperum fuerat miniſterio deputatus; quo in officio tanta cum integritate verſatus eſt, ut re ipſa nomen ſuum expreſſerit: coronam ſiquidem virtutum omnium geſtabat. Intuemini Stephanum, filii, quicumque Hoſpitalium, & piorum Locorum adminiſtrationem ſuſcepiſtis, & regimen. Diſcite, qua fide, quo ſpiritu, quo animarum zelo in iis muneribus vos gerere debeatis, ut ſcilicet *fideles in paucis* reperti, *ſupra multa* a Domino *conſtituamini* (*d*), ſicut conſtitutus eſt Stephanus.

Juvit quoque mirum in modum Stephanum viſio illa, cùm dixit: *Video Cælos apertos, & Filium hominis ſtantem a dextris Dei* (*e*). Videbat ampliſſima præmia, æterna bona, breviſſimis laboribus præparata; conferebat hos cum illis, & ideo lapides torrentis illi dulces erant. Videbat Jeſum *ſtantem* ac paratum, ei in certamine adeſſe, ut vincere poſſet; ideoque lætus & hilaris in corde ſuo dicebat: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat* (*f*). Sed fortè dicitis: hæc non videmus. Ah cæci corde, modicæ fidei! Quorſum Fidei oculus datus eſt vobis? Nonne eodem obviam vobis eſt, hæc cuncta videre? Adſtat ſemper, dilectiſſimi, Dominus Jeſus; *non eſt abbreviata manus* ejus

(*a*) *Act. Apoſt. VII. v.* 51. & 52.
(*b*) *Ibidem VI. v.* 5.
(*c*) *Ibidem v.* 15.
(*d*) *Matth. XXV. v.* 21. & 23.
(*e*) *Act. Apoſt. VII. v.* 55.
(*f*) *Ad Philipp. IV. v.* 13.

ejus (*a*); immutabilis eſt & conſtans, ſibi numquam diſſimilis. Quod Stephano præſtitit, omnibus, qui ad illum confugerint, præſtare eſt paratus. *Aperti* ſemper ſunt *Cœli;* in promptu ſemper auxilia ſunt; quamobrem vigere continuò in nobis debet beata ſpes æternæ illius gloriæ conſequendæ. Quæ, obſecro, mortes, quæ martyria, qui lapides, quæ cruces ſecures patibula non vileſcant, imo dulcia non reddantur, conſideratione æternæ felicitatis, quæ his mediis comparatur? Tranſeunt hæc omnia, filii, & breviſſimè. Vidiſtis, cùm ſumus ingreſſi Eccleſiam, appenſum goſſipium igne ſuppoſito citiſſimè conſumptum; quod Ritu noſtro in Martyrum ſolemnitatibus fieri conſuevit, non ob aliud, niſi ut ſciatis, quæcumque hìc pro Chriſto pati poſſumus, ita citò tranſire, ſicuti momento fermè combuſtum eſt goſſipium (*b*). Tranſeunt quoque miſerrimæ hæ Mundi voluptates, hæc carnis oblectamenta, & omnia illa, ob quæ infeliciſſimi peccatores æternam a ſe abdicant gloriam, ac ſempiternis cruciatibus ſe reddunt obnoxios. Clamabunt ipſi in Inferno, fruſtra pœnitentiam agentes: *Tranſierunt hæc omnia* (*c*), & tamquam fumus evanuerunt. *Momentaneum eſt* quod hìc patimur, *æternum* tamen *gloriæ pondus operatur in nobis* (*d*). Et quis non videat, quia *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*e*)?

His ergo muniebatur & inflammabatur Stephanus, ſe ipſum excitans urgenſque ad fortiſſima quæque aggredienda. Cur non hæc quoque inflamment nos, dilectiſſimi? At non adeſt hoſtis, abiere perſecutores, nec ulla pro Chriſti nomine ſanguinem effundendi, mortemque obeundi ſeſe offert occaſio. Certè tamen poſſumus ſpiritualiter Martyres fieri. Abnegate voluntates veſtras, filii, *veterem hominem exuite cum actibus ſuis* (*f*), pravas conſuetudines deponite, *mortificate membra veſtra* (*g*), pœnitentiæ operibus incumbite: Erunt hæc vobis martyria, quia carni & ſenſui veſtro contraria. Sed ea, quæ relin-

---

(*a*) *Iſaiæ LIX. v.* 1.

(*b*) Pontificale Romanum cæremonias deſcribit, quæ adhibentur in Conſecratione & Coronatione Summi Pontificis; inter cetera autem adnotat, Magiſtrum Cæremoniarum, poſt egreſſum Pontificis Max. e Sacello Sancti Gregorii, Stuppam arundini impoſitam in ejuſdem conſpectu comburere debere, & ad Pontificem converſum, genibus flexis alta voce ter dicere: *Pater Sancte, ſic tranſit gloria Mundi*. Eadem verba proferuntur in Eccleſia Mediolanenſi, cùm Archiepiſcopus, vel primus Sacerdos, ſolemnem Miſſam celebraturus ad Altare accedit, in Natalitiis Apoſtolorum, vel Martyrum, quibus dicatæ ſunt Eccleſiæ hujus Diœceſis; nec aliud diſcrimen intercedit inter Romanam, & Ambroſianam conſuetudinem, niſi quòd, accepta a Miniſtro arundine cum cerea facella ſuperimpoſita, ipſemet celebrans Antiſtes aut Sacerdos, ſuſpenſum ad Altaris cancellos Goſſipii globulum igne admoto ſuccendit, ac ſubjungit, *Sic tranſit gloria Mundi*.

(*c*) *Sapient. V. v.* 9.

(*d*) *II. ad Corinth. IV. v.* 17.

(*e*) *Ad Rom. VIII. v.* 18.

(*f*) *Ad Coloſſenſ. III. v.* 9.

(*g*) *Ibid. v.* 5.

linquimus (dicet iterum aliquis) præsentia sunt, & oculis nostris exposita; quæ verò nobis a Deo promittuntur, futura sunt & absentia. Debent hæc ipsa quoque, filii, nobis esse præsentissima; Dei siquidem promissa his quatuor potissimùm, ab hominum sponsionibus differunt: primò enim mendax est omnis homo, & quandoque, quod in animo volvit non exequi, ore promittit: At Deus, quæ spondet, largiri semper intendit; ideo Paulus: *Incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Absit. Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax* (*a*); & ad Deum Propheta: *Principium verborum tuorum veritas* (*b*). Est secundò hominis propria instabilitas & mutatio; sed Deus unius semper est voluntatis: *Non est enim Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ùt filius hominis, ut mutetur* (*c*). Tertiò, licèt homo quamdiu vivit, in promissis constans sit; quandoque tamen ea, quæ promiserat atque exequi decreverat, morte præventus adimplere non potest: *Exibit spiritus hominis, & revertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes ejus* (*d*); *Deus* verò *manet in æternum* (*e*). Postremò promittunt aliquando homines, quæ etiam exequuntur, sed plerumque non sine maximo periculo; & cùm utilia se agere putent, amicis suis sunt origo malorum; dare piscem cogitant, & scorpium præbent: Secus autem Deus: *Verba* enim, *quæ loquitur ipse, spiritus, & vita sunt* (*f*). Cùm talia igitur sint, quæ Dominus diligentibus se promittit; quid jam cunctamur? quid non statim omnia relinquentes ei adhæremus? Agricola projicit semen suum, spe copiosæ messis futuræ; quæ tamen expectatio quandoque illum etiam fallit: At nos, qui falli non possumus, qua erimus excusatione digni, si magnis minima prætulerimus? Eja ergo amatissimi in Domino: Ecce Deus, qui factus est noster; jam quilibet dicat ex corde cum Thoma: *Dominus meus, & Deus meus* (*g*). Donavit nobis semetipsum, & *quomodo non omnia nobis* secum *donavit* (*h*)? Imitemur Stephanum; in possessione hac Dei persistamus; arctè illum complectamur; efficiamur èt nos Dei: Reddamus amorem amori; danti demus, ut eo in perpetuum, absque ullo amissionis metu, unà cum Protomartyre gloriosissimo Stephano perfruamur. Amen.

(*a*) *Ad Roman. III. v. 3. & 4.*
(*b*) *Psalm. CXVIII. v. 160.*
(*c*) *Num. XXIII. v. 19.*
(*d*) *Psalm. CXLV. v. 4.*
(*e*) *Joann. XII. v. 34.*
(*f*) *Ibid. VI. v. 64.*
(*g*) *Ibid. XX. v. 28.*
(*h*) *Ad Roman. VIII. v. 32.*

HOMILIA LXXXVII.

IN FESTO

SANCTI JOANNIS EVANGELISTÆ

Habita in Templo Maximo Mediolani

ANNO MDLXXXIII. XXVII. DECEMBRIS.



AGNA profectò, dilectiſſimi filii, eſt hodierna feſtivitas Sanctiſſimi Evangeliſtæ Joannis, quem licèt Evangeliſtam appellaverim, quo tamen ſit nomine vocandus, ſeu quo titulo ornandus, anceps admodum ſum atque ambiguus. Ignoro, Virginem-ne dicere debeam an Confeſſorem, Pontificem an Doctorem, Martyrem an Prophetam, Evangeliſtam an Apoſtolum. Nam verè omnia fuit, Apoſtolus, Evangeliſta, Propheta, Martyr, Doctor, Pontifex, Confeſſor, & Virgo. Glorioſi tamen hi tituli minimè ſufficiunt ad ejus exprimendam dignitatem & excellentiam. *Virgo* quidem extitit, tanto cordis & corporis ſplendens candore, ut èt Virginis nomen ſibi potiſſimùm comparaverit, & ſingulari hac prærogativa inter ceteros diſtingui meruerit. *Confeſſor*, ſed adeo aliis præcellens, ut Chriſtum & verbis & facto, longè apertiùs ſit confeſſus. *Pontifex* Epheſinæ Eccleſiæ, quam tamen ita gubernavit, ut univerſam etiam Aſiam regens, ſumma cum laude Paſtorale miniſterium exercuerit (*a*). *Doctor* celeberrimus, tempore illo adeo calamitoſo naſcen-

(*a*) Sanctus Hieronymus in Libro de Scriptor. Eccleſiaſt., ubi de Sancto Joanne loquitur, univerſas ait Eccleſias Aſiæ ab eodem fuiſſe fundatas. Baronius tamen in Annalibus ad annum Chriſti XCVII. & Tillemontius in Commentar. ad vitam Sancti Joannis, art. IV. intelligendum id eſſe teſtantur de pluribus Aſiæ Eccleſiis, non de omnibus; cùm certum ſit, multas fuiſſe ibidem erectas ab Apoſtolis Petro & Paulo: Quia tamen Sanctus Joannes in longam ſenectam vitam produxit, omnium Eccleſiarum illius Provinciæ curam geſſiſſe conſilio verbis ac ſcriptis dubitari nequit, atque ideo veluti earumdem Auctor, reputari potuit a S. Hieronymo. Optimè S. Carolus de ſolo regimine, non de fundatione mentionem fecit.

ſcentis Eccleſiæ, in Fidei fulcimentum datus. *Martyr*, non unicum tantùm martyrii genus paſſus, ſed plura. *Propheta*, qui univerſum ejuſdem Sanctæ Eccleſiæ ſtatum ad Mundi uſque finem prævidit, & deſcripſit. *Evangeliſta*, ſed Aquila, tantò ceteris Collegis ſuis in Evangelii ſcriptione ſublimior, quantò præ cunctis avibus altiùs evolat Aquila, ac in ſolares radios fortiùs oculos conjicit. *Apoſtolus* denique Domini, ſed ita ſupra reliquos ab eodem dilectus, ut *dilecti* etiam nomen obtinuerit. Quo te ergo, Sanctiſſime Joannes, nomine compellem, cùm omnia tibi jure debeantur, cùm excellas in omnibus? His tamen prætermiſſis, eo te ego hodie nomine nuncupabo, quod cetera omnia, eorumque prærogativas in ſe continet, quo tu adeò mirificè es delectatus, ut eodem plerumque (ſicuti in hodierno Evangelio) te ipſum exprimeres: *Dilecti* nimirum Domino, ejus inquam *Diſcipuli, quem diligebat Jeſus*. Breviter igitur, filii, de duplici hoc amore nonnulla dicemus, de dilectione ſcilicet Domini in Joannem, & de reciproca Joannis in Chriſtum.

Qualis & quantus fuiſſe putandus eſt Redemptoris noſtri in Joannem amor, cùm Joannes ipſe tanto animi affectu his verbis de ſe ſcripſerit: *Hic eſt diſcipulus ille, quem diligebat Jeſus* (*a*)? Sed numquid perſonarum acceptor es, Domine? Annon omnes Apoſtolos tuos præcipuè diligebas? Nonne dixiſti: *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos* (*b*), non æqualitate quidem naturæ, quæ tibi cum Patre erat una, ſed dilectionis ſimilitudine? Sicut namque infinitum bonum in te a Patre profluxerat, ita etiam tu in Apoſtolos tuos bona omnia diffundere optabas. Magna profectò hinc patet dilectio Chriſti in Joannem; ſi enim Apoſtolos omnes ſic amabat, ſicut dilexerat eum Pater, quomodo Joannem diligeret, quem præ aliis diligebat? Magnum erat, a Chriſto diligi; ſed ita diligi, ùt diligebatur ipſe a Patre, ingens admodum putandus erat hic amor. Quid ergo cenſendum eſt fuiſſe, præ Apoſtolis diligi? Excedit hoc menſuram omnem, & humanæ linguæ vim intercipit, ut dignè exprimatur. Satis eſſet hoc de Joanne dixiſſe, ut ipſius intelligeretur ſublimitas; ab hujuſmodi enim dilectione, veluti a fonte, bona omnia ac dona, gratiæ & prærogativæ dimanant. Quid enim eſt quempiam amare, niſi ei bene velle? At Dei velle, nonne eſt efficere? Dei ergo dilectio Joanni cuncta largiebatur, bonis illum omnibus cumu-

(*a*) Joan. XIII. v. 23. | (*b*) Ibidem XV. v. 9.

cumulabat. Verùm ad rem magis peculiariter descendamus.

Dilexit præ ceteris Joannem Christus in vita, in morte, & post mortem. Primùm quidem in vita eluxit amor hic maximus, cùm eum ad se accivit, ac in Apostolorum suorum Collegium sacratissimum cooptavit: Nam ex primis quatuor, quos Christus vocavit, Joannes fuit. Post hanc verò electionem, quis exprimere valeat, quot illum dilectionis suæ gratiis donaverit? Adstitit ei semper familiarissimus, adeò ut èt *in cœna super Domini pectus recubuerit* (*a*). O felicissimum accubitum! Quis umquam Angelorum tale donum est assecutus? Glorientur Reges, ac Imperiorum domini, quòd super aureis lectis quiescant, quia inania omnia hæc sunt in comparatione tam dulcis recubitùs. Super Filii Dei pectus requievit Joannes: nonne hoc erat etiam in terris degentem, in Cœlo reclinari? Et quos inde putatis hauserit thesauros? Procul dubio innumeros atque inexhaustos. Huic soli Dominus, quis eum esset traditurus, indicavit (*b*): Quod enim nec Petrus ipse ausus fuerat interrogare, ipse, a Petro rogatus ut quæreret, a Domino petiit. Si quis magnum aliquid a Rege desideret, eos potissimùm solet adire, qui a secretis sunt Regis, quique cum illo familiariùs versantur. Noverat Petrus, Joannem esse Christo a secretis, atque illi summa familiaritate conjunctum; idcireo Joannem adit & rogat, ut proditorem sibi manifestum fieri postulet. Cui verò quisquam cordis sui arcana communicet, nisi ei, quem veluti se ipsum diligat, cuique maximè possit confidere? Non enim passim hæc, aut quibusvis solent aperiri. Joanni soli arcanum illud futuri proditoris Dominus revelat: Quàm ergo illi erat perspecta Joannis fides & integritas, quàmque illi putandus est, dilectus fuisse! Neque autem quidquam umquam Dominus, dum viveret, egit, quo vel latentis Divinitatis speciem aliquam ostenderet, vel assumptæ Humanitatis infirmitatem insinuaret, quin omnium fuerit conscius Joannes, & ad omnia testis adhibitus. Transfiguratus est Christus in Monte Thabor, & *resplenduit facies ejus sicut Sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba, sicut nix* (*c*), & gloriæ suæ radiolum quemdam manifestans, felicitatis æternæ guttam veluti aliquam gustandam proposuit. Et quis ad hæc est vocatus? Joannes cum Petro & Jacobo (*d*). Ostenderat se tunc Deum

(*a*) *Joann. XXI. v. 20.*
(*b*) *Ibidem XIII. v. 26.*
(*c*) *Matth. XVII. v. 2.*
(*d*) *Ibidem v. 1.*

Deum verum, & Dei Filium Dominus; sed accedente hora mortis, volebat etiam se hominem verum, similemque nobis patiendo probare; in hortum secedit: *Tristis*, inquit, *est anima mea usque ad mortem* (*a*), pavet, & timet, sanguineo manat sudore, ab Angelo consolationem accipit. Et quis ad hæc vocatur, nisi Joannes cum Petro & Jacobo (*b*)? Felicissimos viros, qui & Divinitatis, & Humanitatis Christi testes oculati esse meruerunt! Et quanta vobis est fides adhibenda narrantibus, sive scribentibus, quod *propriis oculis vidistis, & auribus audivistis, & manus vestræ contrectaverunt de verbo vitæ* (*c*)? Sed quid hæc singula enarro, cùm satis sit, hoc pro firmissimo haberi, neminem umquam Christi secretorum conscium fuisse, præter Joannem, aut solum, aut, si alii fuerint admissi, cum ipsis quoque adscitum? Sive enim Reguli filiam suscitaturus Dominus, solus cubiculum ingredi voluit, nec multitudinem adesse (*d*); ingressus est tamen cum Domino Joannes: Sive cœnam sibi miserit paratum, Joannem misit (*e*). O te verè felicissimum præ omnibus, qui umquam fuerint, hominibus Joannem! Glorietur Salomon in sapientia sua, quia tu Salomone sapientior, supra ipsius Sapientiæ pectus recubuisti. Glorientur Sancti in sanctitate sua, quia tibi a Sancto Sanctorum gratiæ exhibitæ fuerunt, quales Sanctorum nemini umquam. Quòd si mater amoris est similitudo; quis non videat fuisse te singulari sanctimonia præditum, quem Dei Filius tanto amore est prosecutus? Quis non conjiciat, te ad illius purissimos & integerrimos mores propinquiùs accessisse? Equidem ista fuit Christi erga te dilectio, ejusque manifestissimum indicium, quamdiu vixit: sed moriens forsitan tui est oblitus?

Utinam hìc mihi Sanctorum Patrum suppeterent linguæ! Utinam omnis eorum præsto esset facundia, ut amoris erga te in morte a Christo patefacti magnitudinem adumbrare aliquatenus possem! Qui peculiari amicitiæ vinculo inter se obstricti sunt, cùm morte coguntur illud abrumpere, solent potissimùm ultimis tabulis legatum aliquod Amico relinquere, ut ab oculis erepti, in ejus adhuc memoria perseverent. At si hinc amor est commensurandus; quem umquam Joanne cariorem habuit Dei

(*a*) *Matth. XXVI. v.* 38.
(*b*) *Marci XIV. v.* 33.
(*c*) *I. Joann. I. v.* 1.
(*d*) *Matth. IX. v.* 23. & 24.
(*e*) *Lucæ XXII. v.* 8.

Dei Filius? *Cùm dilexiſſet* quidem *ſuos* omnes Chriſtus, *in finem dilexit eos* (*a*); quando in ultima cœna Teſtamentum inſtituens, ſalutaria illa monita, ac caritatis præceptum *ſuis* reliquit (*b*). Sed Cruci affixus, & morti propinquior, videte, quomodo præ ceteris Joannem dilexerit. Erat nihil Chriſto carius Mariâ, Sanctiſſima Matre ſua, ex cujus puriſſimo ſanguine carnem aſſumpſerat, cujus lacte fuerat enutritus, quam ſemper comitem habuerat, & tunc quoque moriens præſentem intuebatur. Cui hanc, obſecro, cui tantum theſaurum commendavit, cujuſque fidei credidit? Certè Joannis. Moriebatur Redemptor, ac mirum in modum Matris dolore angebatur: ſolamen eidem afferre, atque in ſuî vicem alium ſubſtituere Filium peroptabat. Quemnam autem delegit, niſi Joannem? inquiens: *Mulier*, *ecce Filius tuus* (*c*); & ad Joannem ſe convertens: *Ecce*, ait, *Mater tua* (*d*). Satius hic eſſe arbitror ſilere, quàm loqui; quibus enim verbis amorem hunc exprimam, prorſus ignoro. Ergo tam eras Dei Filio dilectus, Joannes, ut te dignum reputaverit, qui in ejus locum ſuccederes? Tam te ergo dilexit, ut Matrem ſuam, inæſtimabilem theſaurum, Cœli & terræ Reginam, Dominam Angelorum, tibi crediderit? Adeò tuî ſolicitus fuit, ut ipſe a te diſcedens, quem maternis viſceribus diligebat, Matrem ſuam tibi in Matrem ſubrogaverit? O quantî fidem tuam æſtimavit, & quàm tenerrimè te dilexit! Invideat meritò tibi omnis creatura cœleſtium atque terreſtrium; quam enim Angeli omnes ſupremi, ùt Dominam agnoſcunt & venerantur, tu Matrem habuiſti; & quidem non uſurpatam, aut arrogatam, ſed ipſo met Dei ore tibi conceſſam: quo nomine, quis non videat, te Angelis ipſis omnibus eſſe prælatum? Hac verò commendatione, quæ Dei vox fuit, ſtatim maternum erga te affectum Matri contulit, ut te ſicuti Filium amaret; & filialem pariter tibi conceſſit in eam affectum, quo tu illàm ùt Matrem diligeres.

Erat hæc Virgo (ut ceteras animi excellentias, ac innumeras Mariæ Dei Matris dotes omittamus) corpore vultu & aſpectu Regiam præſeferens majeſtatem, adeo ut Dionyſius Areopagita, cùm eam eſſet intuitus, dixiſſe perhibeatur: *Non poſſe hanc niſi aut Deam eſſe*, *aut Dei Matrem*. Hæc ergo fuit Joannis Ma-

(*a*) *Joann. XIII. v.* 1.
(*b*) *Ibidem v.* 34. & 35.
(*c*) *Ibidem XIX. v.* 26.
(*d*) *Ibidem v.* 27.

Mater, non quidem naturæ generatione, sed amoris privilegio. Hinc verò, quàm multas putandum est adeptum fuisse Joannem prærogativas; quàm sublimia ab ea didicisse; quot per ipsam gratiis fuisse donatum? Huic semper, quamdiu in terris morata est, Joannes adstitit, obsequium præstitit, seque obedientissimum filium probans semper eam ùt Matrem & dilexit, & coluit.

Verùm etiam mortuo Christo, & cùm Cœlos ascenderet, ac postmodum quoque, non minus eidem dilectus fuit Joannes. Parvum-ne fuit dilectionis signum, tot annos Dei Matrem, quot ipsa post Christum vixit, ei commendatam fuisse, cum ea semper perstitisse, ab eaque tamquam filium materni amoris signa omnia recepisse?

Vixit Joannes annos nonagintanovem; post Christi verò ascensum in Cœlos sexagintaocto (a). Hoc autem ipsum non obscurum fuit Christi dilectionis indicium. Diligebat ille summopere Sponsam suam Sanctam Ecclesiam, acquisitam sanguine suo: hanc, Mundum relinquens, Joanni commendavit, atque ideo eumdem tamdiu in Doctorem, columnam, ac cœlestium arcanorum magistrum Ecclesiæ reliquit. Ad hunc primis iis temporibus, quibus tenera adhuc erant ipsius exordia, in necessitatibus confugiebat omnis Ecclesia; licèt enim Ephesinæ potissimùm Cathedræ Joannes præsideret, universam tamen Dei Ecclesiam consolabatur. Plurimæ tunc exortæ sunt hæreses; cœpit tunc gravissimis fluctibus Petri navicula agitari: Joannes portus erat tutissimus; ad Joannem accurrebatur. Joannes Christi consilia, quæ optimè noverat, Fidelibus aperiebat; quid sentiendum esset, docebat; hæreses confutabat, hæreticos confundebat, Ecclesiæ hostes profligabat. Maximis sæpe in periculis Christi Sponsa fuisset, nisi præsto ei Joannes adfuisset. Joannem ergo, uti firmissimum murum, præsidium, Doctorem Christus Sponsæ suæ reliquit.

Sed etiam post mortem Christus, cui cùm viveret fuit adeò dilectus, Joannem Evangelistæ munere decoravit; eoque tam præstanter Joannes functus est, ut Aquilæ sit comparatus. O quàm altè divina mysteria penetravit! Quis prima ipsius Evangelii verba non admiretur? Quomodo statim æternam Verbi generatio-

(a) Hunc annorum numerum adnotavit ex Usuardo Baronius in Notis ad Martyrologium die XXVII. Decembris, in Annalibus tamen ad annum CI. incertum ait, quo anno decesserit.

rationem descripsit, inquiens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum* (*a*)! Imbiberat hic a Christi pectore Divinam Theologiam; viderat arcana Dei, & ideo eructabat cor ejus verba sublimia.

Nec Prophetiæ dono caruit Joannes, in quo ita excellens fuit, ut arcana Dei omnia sibi propemodum revelata fuisse ostenderit; cùm non modò quæ ad Divinum Verbum, sed etiam quæ ad domum illius, hoc est Ecclesiam, ejusque tum Militantis in terris, tum Triumphantis in Cœlis statum pertinebant, prophetico lumine declaraverit, atque prædixerit. Miramur omnes Pauli dignitatem, quòd *ad tertium usque Cœlum raptus, viderit arcana Dei* (*b*): Sed quantò majori admiratione est dignus Joannes, qui non tantùm, quæ ille vidit, vidit èt ipse; sed sublimiori prorsus modo? Quæ enim vidit Paulus, explicare non valuit, inquiens: *Quæ non licet homini loqui* (*c*); Joanni verò, quæ vidit, non modò loqui, sed etiam scribere licuit, in admirabili illo revelationum libro.

Dilexit demum præ ceteris Joannem morientem Christus mortuus, nam dulcissima illum morte ad se traxit; & qui nulla turpis peccati labe fuerat coinquinatus, sed Virgo purissimus hinc decedebat, nec mortis tædium sensit: se ipsum namque adhuc vivens in monumento collocans (*d*), in anima simul & corpore est in Cœlum assumptus, ùt plerique maximæ auctoritatis Docto-

---

(*a*) *Joann. I. v. 1.*
(*b*) *II. ad Corinth. XII. v. 2. & 4.*
(*c*) *Ibidem v. 4.*
(*d*) Augustinus Calmet in Dissertatione *de obitu Sancti Joannis Evangelistæ*, in ea est sententia, ut censeat, seculo secundo intexta fuisse adscititia quædam ornamenta, & fabellas genuinæ Sancti Joannis historiæ; proinde narrationem illam de Apostolo sponte in sepulchrum sese inferente ita explicandam esse existimat, quòd nempe Sanctus Joannes ætate senioque confectus tam placidè extremum diem clauserit, ut ne decessisse quidem videretur; adeoque locum dederit vulgari traditioni, ipsum adhuc spirantem in sepulchrum descendisse. Sanè ista vigebat etiam seculo VI. Gregorius namque Turonensis Libro primo Historiæ Francorum ait: „ Joannes Evangelista senex, & „ plenus dierum se deposuit in sepulchro. „ Neque argumentum quo Calmet eam explodere nititur, magni ponderis esse videtur; ita enim scribit: „ Cùm ad exitum vitæ properaret (*Joannes*), teste Sancto Hieronymo, „ officium pedes negabant; ne loquendi quidem suppetebant vires; ut ad Ecclesiam nisi „ inter Discipulorum brachia venire non posset..... An ab eo tempore vitam reproduxit, sive dulcem experiri vitam potuit vir, „ qui xc. annos natus, senectutis pondus vix, „ ac ne vix quidem sustinebat? „ Porro illud facilè eliditur, asserendo, iisdem brachiis Discipulorum potuisse, (Joanne eodem jubente) in tumulo vivum deponi: præsertim cùm ipsemet Calmet fateatur, in Præfationibus, præfixis ejus Evangelio & Apocalypsi, quarum altera Sancti Hieronymi, altera Gilberti nomen præfert, hæc in veteribus Bibliis latinis legi: „ Descendens in defossum sepulturæ suæ locum, „ facta oratione positus est ad Patres suos, tam „ liber a dolore mortis, quàm a corruptione „ carnis invenitur alienus. „ His tamen dimissis, Sanctus Carolus (ùt sæpius monuimus) Historias, prout sua ætate, nondum criticæ arti nostrorum temporum assuetà, tradebantur, in suas Conciones transferebat; nec rigidum illarum examen, sed fructum animarum curabat.

Doctores opinantur. Neque enim passus est Dominus, tam dilecti sibi Discipuli carnem, quam libido non maculaverat, a vermibus corrodi; qua in re Matri suæ illum similem fecit, neutrum passus, felicitatis plenitudine, ad corporum usque resurrectionem, carere (a). O Joannes felicissime, qui invenisti tantam gratiam in oculis Domini! Hæc profectò privilegia sunt, iis neutiquam comparanda, quæ Reges terræ aut Principes largiuntur. Exultas jam in Cœlo apud Christum, qui tibi extitit Pater, & apud Mariam, quæ tibi tradita fuit in Matrem. Quid ergo tuì gratià nobis non tribuet, qui tantam erga te quovis tempore dilectionem ostendit? Quid tuis precibus nobis sperandum non erit, qui tantà apud Deum auctoritate polles & merito? Huic, filii, vota sæpe persolvite, ad hunc in necessitatibus vestris confugite; hunc vobis in Patronum eligite.

SECUNDA PARS.

[Deputatus erat hic dies dilectis Sororibus Sanctæ Ursulæ; debebatur eis hodiernus sermo in Ecclesia Sancti Sepulchri; tenebamur ex consuetudine superioribus annis introducta (b), spirituali eas hodie cibo reficere: Et eò magis, quòd Joannes Virgo purissimus meritò sit primarius Virginum Advocatus. Sed in tanta solemnitate non fuit universus hic populus defraudandus. Patientur ergo Filiæ meæ dilectissimæ postridie sibi debitum persolvi; nec ob id tanti Advocati patrocinio carebunt.]

Jure exigit amari qui amat; hoc mutuæ dilectionis est debitum. Dilexit adeò Joannem Dominus; & Joannes numquid

(a) Rem haoc sumpsisse videtur Sanctus Carolus ex Sancto Thoma in expositione Symboli Apostolorum, seu potiùs Serm. II. de Sancto Joanne Apostolo, ubi hæc habentur: „ Pium „ est arbitrari, ut, sicut de Beata Dei Genitrice creditur, ita etiam Beatus Joannes re„ surrexisse probabiliter asseratur; quatenus „ sicut in virginea fuerunt integritate partici„ pes, ita nihilominus in anticipata resur„ rectione meritò videantur æquales; nec sit „ in resurrectione diversitas, quibus tanta fuit „ unanimitas conversationis in vita. „ Franciscus Maria Florentinius in Exercitatione III. de Festis Apostolorum diebus, præfixa veteri Martyrologio, ab ipso illustrato, plures antiquos & recentes Scriptores huic opinioni adhærentes recenset, eamque ipse quoque complectitur. Græca etiam Ecclesia, postremis post schisma seculis, Assumptionem Sancti Joannis in Divinis Officiis publicè profitetur. Natalis tamen Alexander in Histor. Eccles. Secul. I. cap. XII. art. VII. asserit, hæc omnia ex apocryphis historiis, sub Prochori nomine vulgatis hausta fuisse. Idem tradit Tillemontius tom. I. part. III. editionis Bruxellens. anni MDCCVI., addens, memoratam opinionem irrepsisse ab annis DC. etiam apud Latinos, sed nullo antiquitatis fundamento esse suffultam; imo pugnare ait cum auctoritate Polycratis, plurium Patrum, & ipsiusmet Concilii Œcumenici Ephesini.

(b) De hac Sodalitate jam egimus in Annotationibus ad Homiliam LXXXII. habitam Dominica IV. Adventus, anno MDLXXXIII. IV. Decembris.

non dilexit èt ipſe Chriſtum? Imo verò ardentiſſimè dilexit: nec id longa egeret probatione; hoc enim ſatis ſuperque patet, eò tantùm præmiſſo quòd intensè fuerit a Chriſto dilectus: Hæc enim inter ceteras divini amoris ſupra humanum eſt proprietas, ut in iis, quos diligit Deus, reciprocum quoque amorem producat; amans enim Deus, bene vult; bene volens, bona tribuit, & gratiam largitur, ac caritate replet, quæ perfectiſſima eſt, & ſublimiſſima ſanctiſſimi amoris regula.

Multis aliis tamen modis oſtendit Joannes, quantùm Chriſtum diligeret. Chriſtum diligebat èt Simon, qui interrogatus a Domino, an ipſum diligeret plus ceteris, ter reſpondit: *Tu ſcis Domine, quia amo te* (*a*). Hinc ergo cùm Petrum Chriſtus diligeret, & ab eo præ ceteris diligeretur, idem de Joanne erit ſentiendum. Sed non repugnant hæc, neque ullatenus inter ſe diſſentiunt: Ambo amarunt; amati ſunt ambo: Petrum præ ceteris Chriſtus amavit, fervorem ei tribuendo; Joannem ſecreta eidem revelando: Petrus peculiariter Chriſtum amavit in membris ſuis, in animarum zelo, in Eccleſiæ cura; Joannes caput omnium Chriſtum in ſe ipſo dilexit: Ideo Petro commiſſa Eccleſia, Joanni a Chriſto commendata eſt Mater. Petrum Chriſtus ſolido amore dilexit, ùt Pater, Joannem verò tenerè ut Mater; & hanc ob rem Petro dura & fortia, paſſionem nempe, Crucem & mortem mandavit iis verbis: *Cùm ſenueris, alius te cinget, & ducet quò tu non vis* (*b*), de Joanne verò, tenerè cum diligens, ob illius etiam juvenilem ætatem, dixit: *Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te* (*c*)? Ecce ergo, quia Petri amor in Chriſtum, & Chriſti in Petrum, nec Joannem minus reddidit Chriſto dilectum, nec ejuſdem in Chriſtum minuit amorem.

Sed ſigna, obſecro, tamdem videamus, quibus Joannis in Dominum amor elucet. In multis profectò, quòd eum valde diligeret, manifeſtavit. Ac primò in vocatione ad Apoſtolatum & Chriſti ſequela; nam, licèt Petrus quoque & Andreas a Domino vocati, eum ſint ſecuti, ſicut Joannes & Jacobus; illi tamen navem tantùm & retia, iſti verò præter hæc Patrem reliquerunt. O quantò majus eſt, Patrem quàm cetera cuncta dimittere! Quàm multos ſolet paternus hic amor a via Domini revocare, & a ſpirituali progreſſu retrahere! At Joannes conſtantiſſi-

(*a*) *Joann. XXI. v.* 15. 16. & 17.
(*b*) *Ibidem v.* 18.
(*c*) *Ibidem v.* 22.

tiſſimus, non modò omnia, quæ poſſidebat, omnemque erga illa cordis affectum, ſed paternæ dilectionis veluti oblitus, ipſum etiam Genitorem deſeruit, & exuens propemodum humanitatem, naturæ vinculum diſrupit, ut Chriſto adhæreret. Et quid majus hoc amore poteſt excogitari? Multum quidem eſt, ſi ſuarum rerum quis, propter alterum, jacturam faciat; ſed non omnes eò uſque perveniunt, ut inſitam erga Parentes animi propenſionem expugnent.

Secundò Chriſtum ſequutus eſt Joannes a florente ac tenera ætate, vitæ ſuæ primitias offerens Chriſto (*a*). O Patres, quàm grata eſt Deo, oblata eidem juventus! Quàm graviter peccatis, cùm filios veſtros permittitis primos annos Mundo tribuere! *Præcoquas ficus*, inquit Dominus, *deſideravit anima mea* (*b*). Joannes non in ſenectam diſtulit, ſed vocatus, adoleſcentiam ſuam ſtatim Chriſto conſecravit.

Fuit etiam mirum in modum fortis & conſtans Joannis amor: dilexit Chriſtum in proſperitatibus, dilexit in tribulationibus. Quis, Chriſto ad Caipham adducto, Pontificiam domum ſolicitus intrabat, niſi Joannes? Quis Diſcipulorum Chriſtum ad Crucem comitabatur; quis, eodem Cruci affixo, ad pedes Crucis adſtabat, niſi Joannes? Fugiebant tunc temporis ceteri; alter etiam cum juramento negabat, ſe noſſe Chriſtum: At Joannes ſemper ſibi æqualis, ſemper fortis, numquam amicum dereliquit, numquam ab eo receſſit. O quantam apud Deum vim habet hic amor! *Vos autem*, inquit Chriſtus, *eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo* (*c*). Nec conſtans hic Joannis amor illo ipſo tempore caruit remuneratione; in præmium enim Mariæ Virgini traditus fuit in Filium, eique commendata fuit ipſa in Matrem.

Solent amici in hoc quoque maximè agnoſci, cùm amicorum amicos diligunt, eorumdem verò inimicos odio habent. Quis autem magis Joanne hoſtes Chriſti eſt odio proſecutus? Quid non egit in Hæreticos ſui temporis? Scriptis & factis illos con-

(*a*) Vigeſimum octavum circiter annum tunc egiſſe Joannem aſſerendum eſt, ſi opinioni, quam Sanctus Carolus amplexus eſt de protracta ab illo vita uſque ad XCIX. annum adhæreamus. De hoc tamen varia eſt Scriptorum ſententia, cùm alii longius ſpatium vitæ Sancti Joannis tribuant, alii minus; quemadmodum Tillemontius in Commentar. ad vitam Sancti Joannis art. X. annotatione XV. ſcriptum reliquit.

(*b*) *Mich. VII.* v. 1.

(*c*) *Lucæ XXII.* v. 28. *& ſeqq.*

confutavit, nec *ave* eis dicendum præcepit. Imo balneum ingressus, cùm Hæreticum quemdam paulò ante in eo lotum fuisse audivisset, confestim inde prosiliit (*a*): tantum eos detestabatur. Mundus quoque, acerrimus est Christi inimicus. At Mundi hostis perpetuus fuit Joannes; hinc discipulos suos, & nos omnes monebat: *Nolite diligere Mundum, neque ea quæ in Mundo sunt* (*b*); & alibi: *Totus Mundus in maligno positus est* (*c*); *& omne quod est in Mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ* (*d*). Quis Sanctissimi hujus Viri caritatem verbis exprimere valeat? Quidquid loquitur, caritas est; quidquid scribit, caritas est; totus caritas est; ejusdem Evangelium mutuæ dilectionis præceptis redundat, nec aliud quàm caritas in ejus Epistolis resonat: hoc autem mirum non est; *ex abundantia* enim *cordis os loquitur* (*e*). Senex, cùm ad decrepitam pervenisset ætatem, nec vires ei ad prædicandum, prout voluisset, suppeterent, hoc semper repetebat: *Filioli diligite alterutrum* (*f*); in tantum, ut suis quoque discipulis tædio esset; & interrogantibus cur id toties repeteret, dignam Joanne responsionem dederit inquiens, *quia mandatum Domini est* (*g*), & si hoc servetur, cetera quoque adimplentur.

Sed etiam Martyrium subiens Joannes, amoris in Christum intensionem ostendit. Quòd si is alterum diligere est putandus, qui pro ipso asperum aliquid libenter patitur; ne hac quidem in re, Joannes Sanctorum ulli est postponendus. Quis enim ignorat, eum pro Christi confessione in vas olei ferventis libenter intrasse, eo animo, ut non modò illud tormenti genus, sed alia quæcumque acerbissima, pro Christo promptissimè toleraret (*h*)? Sed Dominus Ecclesiæ suæ iis temporibus consulens, illæ-

(*a*) Consultò prætermissum fuisse a Sancto Carolo nomen hujus Hæretici credendum est; dissentiunt namque de illo Scriptores. Sanctus Epiphanius hæresi XXX. rem hanc enarrans, Ebionem ait in balneo constitisse, atque admonitum Joannem statim exclamasse: „ Festinate, fratres, egrediamur hinc, ne cadat balneum, & pereamus cum Ebione, qui intus „ est, propter ipsius impietatem. „ Irenæus tamen, Eusebius, & Theodoretus, quos Baronius in Annalibus ad annum Christi LXXIV. refert, id Cherintho adscribunt. Quamobrem memoratus Annalium Parens, ne falsitatis notam Epiphanio tribuat, affirmari posse ait, utrumque Hæreticum in balneo repertum fuisse; siquidem magna necessitudo ex impietatis similitudine inter illos intercedebat. Tillemontius in Commentar. ad vitam Sancti Joannis art. IV. annotatione VI. minimè Baronio adhæret, asserens, non opus esse allatâ ab ipso conjecturâ, cùm Sanctus Epiphanius non rarò erraverit in historia.

(*b*) *I. Joann. II. v.* 15.

(*c*) *Ibidem V. v.* 19.

(*d*) *Ibidem II. v.* 16.

(*e*) *Matth. XII. v.* 34.

(*f*) *I. Joann. III. v.* 11. *&* 23.

(*g*) *Ibidem v.* 23.

(*h*) Domitiano persecutionem in Christi fideles movente Sanctus Joannes ab Ephesina Ecclesia Romam traductus est, ubi eximium Christianæ fortitudinis exemplum dedit, intrepidè

illæſum ipſum inde ſervavit. Ab hoc tamen ſupplicio exemptus, annon exilium longum eſt paſſus, in Inſulam Pathmos relegatus? Imo vita ipſa, quæ nobis adeò cara eſt, eidem acerbiſſima fuit. Siquidem uſque ad exitum primi ſeculi producta, dolorem potiùs quàm ſolamen attulit, cùm diutiùs dulciſſimo aſpectu ejus, a quo tantopere diligebatur, caruerit; ſexagintaocto annis Chriſto ſuperſtes (*a*). Quòd ſi eorum nos torquet abſentia, quæ nobis ſunt admodum accepta; Joanni certè, vitâ illâ adeo longevâ nil potuiſſet durius contingere, nullumque acerbius Martyrium irrogari, quàm a dilecto ſibi Deo disjungi. Paulus vitam hanc ita faſtidiebat, ut diceret: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*b*)? David item exclamabat: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt* (*c*)! Quanto igitur majori tædio affectus fuiſſe cenſendus eſt Joannes, qui tenerrimè illius dilectionem noverat, quo carebat invitus? Cur tamen invitum dico, cùm hoc ipſum pro Chriſti amore, martyrii loco, libentiſſimè pateretur? Quis cruciatus illos exprimat, quibus torquebatur, dilectum Magiſtrum ſuum in Cruce pendentem, ac tam dirè laceratum aſpiciens? Certè qui filium, vel fratrem, aut patrem amantiſſimum morientem viderunt vel interfectum, ii aliqua ex parte percipient, quàm acerbum Joanni fuerit hujuſmodi ſpectaculum. Fuit illud Mariæ Chriſti Matri viſu atrociſſimum, nam tunc potiſſimùm adimpleta eſt Simeonis prophetia, dicentis: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius* (*d*); ſed unum tantùm gladium enunciavit. At Joannis animam duplex doloris gladius transfixit, intuitus nempe Chriſti patientis, a quo diligebatur ùt filius, & præſens Mariæ dolor, quam ipſe diligebat ùt Matrem. Pungebant Joannis caput, Chriſti ſpinæ; Joannis manus & pedes, Chriſti clavi; totum ejus corpus, Chriſti flagella; denique ipſius animam Chriſti Crux dilaniabat. Opprimebat cor ejus, Mariæ *magna velut mare contritio* (*e*). O feliciſſimum Martyrem, qui tam præclaris teſtimoniis ſuum in Chriſ-

pidè ferens olei ferventis ſupplicium, quamvis inde non modò illæſus, ſed robuſtior etiam emerſerit, teſte Sancto Hieronymo Lib. I. contra Jovinianum cap. XIV. Hujus martyrii memoria die VI. Maji Romæ colitur, in Eccleſia appellata Sancti Joannis ante Portam Latinam, quæ magnificè erecta fuit, tamquam illuſtre monumentum Apoſtolicæ conſtantiæ, qua Sanctus Joannes ibidem perſecutorum ſævitiam devicit.

(*a*) Hunc annorum numerum adnotat Sanctus Hieronymus in Libro de Scriptor. Eccleſiaſt. ubi de Sancto Joanne agit, eamque ſecuti ſunt Baronius & P. Petavius; quibus etiam ſe ſubſcribere Tillemontius ait, quamvis id minimè ſecurum eſſe candidè fateatur.

(*b*) *Ad Roman. VII. v.* 24.

(*c*) *Pſalm. CXIX. v.* 5.

(*d*) *Lucæ II. v.* 35.

(*e*) *Thren. II. v.* 13.

Christum amorem expressit! Sed non minus cum longo tempore, quo supervixit, affligebant innumera, quæ committi in dies videbat peccata, hæreses passim pullulantes, Ecclesiæ oppressiones, animarum a Deo recessus, hominum ingrata tepiditas. Satis quoque fuisset eripiendæ Joanni vitæ, nisi divina illum manus sustentasset, horrendum supplicium, videlicet excidium Jerosolymitanæ Civitatis Patriæ suæ, ac Civium strages crudelissima, quæ ipso adhuc vivente contigit, Romanis eam Urbem barbarè diruentibus. Videntes a longe hoc spectaculum Prophetæ, toties plorabant & cruciabantur, inter quos Jeremias se consolari non poterat (*a*). Paulus Judæorum videns peccata, pro quibus plurima illis imminere flagella cernebat, adeò angebatur, ut *optaret pro illis anathema esse* (*b*). At quantò magis cruciatum credemus Joannem, qui hæc non a longè, ùt Prophetæ, sed coram; nec peccata Judæorum tantùm, ùt Paulus, sed peccata simul, & flagella ac pœnas iis irrogatas conspexit? Affligebatur his omnibus mirum in modum, qui animarum salutis desiderio maximè incensus erat, cùm pro iisdem tam multa vidisset Christum Dominum pati. Noverat ipse optimè, quàm pretiosa esset quælibet anima in oculis Domini; quàm caro pretio esset ab eo redempta; quàm abundè sanguinem suum pro singulis effudisset Christus, a quo adeò diligebatur: & ideo non poterat non summopere animas èt ipse diligere, easque peccantes aspiciens, animi dolore intensissimo non affici. Hoc autem licèt clarissimum sit, egregio tamen facto omnibus admirando (quod ejus vitam Scribentes enarrant) Joannes manifestissimè ostendit.

Perveniens ille post reditum ex Insula Pathmos ad proximam Civitatem, quemdam ibi Adolescentem reperit, staturâ mediocrem, sed aspectu liberalem; cùmque ex vivaci spiritu, generositatem animæ illius, ac morum docilitatem conjecisset, ipsum pluribus ad rectè instituendam vitam excitavit. Quoniam autem jam aliò discessurus erat, Civitatis Episcopo adolescentem in Ecclesia, coram Christo teste, commendavit, & multa ad illius disciplinam atque educationem spectantia præcepta reliquit. Episcopus prompto animo curam adolescentis suscepit, pollicitus, se illi in omnibus præsto adfuturum. His per-

(*a*) *Thren. I. v. 16.* | (*b*) *Ad Roman. IX. v. 3.*

peractis Joannes sese Ephesinæ Ecclesiæ restituit. Antistes verò exceptum domi propriæ adolescentem non destitit alere, instruere, ac rectis moribus informare, donec Baptismo eumdem ablutum, satisque in Christiana Religione firmatum existimans, liberum a custodia dimisit.

Huic autem, qui nimis citò solutus veluti a vinculis fuerat, sese adjunxere nonnulli ætate pares, sed effræni licentia, & pravis cupiditatibus irretiti. Primò quidem adolescentem ad vitia persuasibilem, opimis conviviis sibi conciliare studuerunt. Ab hoc autem exordio, qualis expectandus est finis? cùm facilis nimiùm ac proclivis sit via, quæ ducit ad vitia, ac persæpe contingat, ut qui primum in eam pedem infert, in extremum usque malitiæ & peccatorum profundum delabatur. Itaque in hoc tramite incedentes socii, dum noctu ad furta accederent, adolescentem secum pertrahebant. Ille verò jam imbibens amorem latrocinii, & spe opum acquirendarum inflammatus, quidquid eriperet, exiguum esse reputabat, ob indolem generosam, quam a natura sortitus fuerat. Denique inter latrones diu versatus ita in pessima hac arte profecit, ut non latro tantùm, sed eorumdem Princeps & sævissimus viarum grassator evaserit. O Juvenes discite, quàm periculosa sit, teneræ præsertim ætati vestræ, pravorum & scelestorum consuetudo; quàm verum sit, quod dixit Propheta: *Cum Sancto Sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum perverso perverteris* (*a*); quàmque optimè scripserit Salomon: *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea* (*b*). Fugite, fugite filii, quos libidini deditos agnoscitis, quos ad peccandum procliviores, quos effrænes ac licentiæ nimiùm amantes esse videtis: horum enim societas, est animæ venenum & scelerum radix, cùm sibi invicem peccata cohæreant; *abyssus abyssum invocet* (*c*); delictum semel admissum, in aliud pertrahat, & demum in barathrum iniquitatis detrudat. Discite Patres, quàm sit vobis super filiis vestris assiduè invigilandum, ac importunè etiam explorandum, quorum utantur sermonibus, quibuscum versentur; periculum enim in adolescente hoc vidistis.

Joannes igitur, rursum ad eam Civitatem cùm rediisset, ceteris, propter quæ eò venerat, dispositis: Age (inquit ad Episcopum)

(*a*) *Psalm. XVII. v. 26. & 27.*
(*b*) *Ecclesiastici XIII. v. 1.*
(*c*) *Psalm. XLI. v. 8.*

copum) depositum nobis redde, quod ego & Christus, loco testis, in Ecclesia tibi commisimus. At ille, cùm existimaret pecunias esse quæ repeterentur, primùm quidem obstupuit, utpote sibi minimè conscius, se id quod repetebatur, accepisse. Ubi autem intimiùs suspirans senex Joannes, ardentiori spiritu, atque cum lacrymis dolorem indicans subjunxisset: Adolescentem repeto, & fratris animam: Ille (inquit Episcopus) mortuus est. Porrò interrogatus, quando, & quomodo, quave morte: Deo (subdidit) mortuus est, cùm latrocinium exercere, & montem loco Ecclesiæ inhabitare elegerit, perditorum societatem potiùs amplexus, quàm nostram erga ipsum solicitudinem ac curam. At Joannes ab his verbis vehementer confossus: Revera, ait, egregium te custodem animæ fratris reliqui. Verùm equus jam adsit, ac viæ ductor mihi detur; statimque conscenso equo, & laxatis habenis, velocitatem equi minorem esse desiderio suo existimabat: Jamque cum festinatione montem apprehendens a latronum excubatoribus, nihil deprecans, neque fugiens, capitur. In hoc, inquit, prorsus veni; itaque ad Principem vestrum me adducite. Porrò, ubi ille hunc esse ipsum Joannem cognovit, pudore suffusus fugam capessebat; Joannes verò senectutis suæ oblitus fugientem insequitur, magna gravique voce clamans: Quid fili, fugis me Patrem tuum? Meam reverere canitiem, ac florentis ætatis tuæ miserere; adhuc tibi spes vitæ relinquitur: ego pro te rationem reddam: consiste in loco, fili; Christus me misit ad te.

Hæc cùm audisset adolescens, primùm quidem constitit, pavimentum demissè intuens; nec audens præ pudore oculos sursum erigere: deinde projectis in terram armis, miserando quodammodo ejulatu ac magno cum dolore lamentari cœpit, & venientem amplexatur senem: solam occultat dexteram; verebatur enim hanc ipsi porrigere, quam tot sceleribus ac latrociniis fœdaverat. Eam sic tacitus & flens, indignationis plenus alloquitur: Scelesta manus, quæ Creatori tuo adeò inimica fuisti, humano sanguine polluta, latrociniis deturpata, omni supplicio dignissima, mihi ipsi animæ mortem toties machinata; indigna, quam Sanctissimus hic Vir Pater meus aspiciat; audax nimiùm, si dexteræ ipsius conjugaris. Porrò Joannes tamquam Pater, præ vehementi amore sauciata sentiens viscera, spondet veniam, misericordem pollicetur Judicem, & apprehensam dexteram deosculatur:

tur: ad Ecclesiam reducit adolescentem, & tamdiu in orationibus, jejuniis, & prædicationibus perstitit, donec denuo Juvenis animam est lucratus, & pristinæ illum sanitati ac gratiæ restituit (a).

O admirandam Joannis caritatem, qua urgente nec ætatis confectæ rationem habuit, nec viarum difficultatem, aut montium asperitatem, vel latronum insidias & pericula extimuit, neque impiam sacrilegamque manum osculari exhorruit! Quàm meritò igitur Christus tam peculiari Joannem amore prosecutus est, qui tam ardenter Christum in membris suis dilexit! Quid non obtinebit jam gloriosus in Cœlis a Christo, qui etiam cùm in terris degeret Joanni secreta petenti, quæ aliis non revelaverat, aperire non dubitavit? Te ergo Sanctissime Evangelista, Apostole, Propheta, Doctor, Pontifex, Confessor, Martyr, Virgo: Te, inquam, Joannes in Advocatum & Patronum hodie assumimus; ne nos miseros famulos tuos a benigno excludas patrocinio; miserere animabus nostris, quæ, tu adstans Cruci vidisti, quàm caro pretio sint redemptæ: Memento Christi Magistri tui dilecti, & nostri oblivisci non poteris; quos enim ille sanguine suo lavit, tu non poteris nisi propitia intercessione servare: Impetra nobis ardentissimi illius amoris tui vim, ut diligamus èt nos eum, *qui prior* tam intimè *dilexit nos* (b); & in caritate perpetua viventes, caritatis fructum, æternam scilicet gloriam assequamur. Amen.



(a) Narrat hæc Eusebius Lib. III. cap. XVII. Historiæ suæ, ex Clemente Alexandrino. Baronius verò ad annum XCVIII. addit, Sanctum Joannem Chrysostomum, scribentem ad Theodorum lapsum, ejusdem Adolescentis exemplo usum fuisse, ut eum ad meliorem frugem revocaret.

(b) *I. Joann. IV. v. 10.*

HOMILIA LXXXVIII.

IN FESTO

SS. INNOCENTUM

Habita in Basilica Metropolitana Mediolani

ANNO MDLXXXIII. XXVIII. DECEMBRIS.



Ox in excelso audita est lamentationis, luctus, & fletus Rachel plorantis filios suos, & nolentis consolari super eis, quia non sunt (a). Audistis, dilectissimi filii, paulò antea in prima Missæ Lectione has voces recitari ex Jeremia Propheta. Lamentabatur, & flens ac gemens dicebat: Audio vocem insurgentem, ac sese in altum tollentem, vocem, inquam, lamentationum, luctuum, dolorum, suspiriorum, gemituum plenam; hæc verò Rachelis vox erat, flentis filios suos sævissimè trucidatos, ac miserrimè pereuntes, nec consolationem ullam admittentis super iis, quos ultra non videbat. Propheta in spiritu prævidebat miserandam antiqui Israëlitici Populi captivitatem, qua decem illæ Tribus erant abducendæ, & venundandæ; ideoque lugebat amarissimè. Attamen consolabatur simul se & Populum spe futuri reditùs in propriam Patriam, dicens: *Quiescat vox tua a ploratu, & oculi tui a lacrymis, quia est merces operi tuo, ait Dominus, & revertentur de terra inimici. Et est spes novissimis tuis, ait Dominus: & revertentur filii ad terminos suos* (b). Sed hoc solo fortè sensu verba illa constringi putabimus, aut non ulteriùs Spiritum Sanctum ea direxisse? Numquid credendum, Prophetam solùm deflevisse Israëliticum illud infortunium & captivitatem? Non adeò sterilis ejus sermo reputandus est. Novimus jam quæcumque in veteri

(a) *Jerem. XXXI. v. 15.* | (b) *Ibidem v. 16. & seq.*

teri illo Teſtamento fiebant aut dicebantur, ad noſtram conſolationem, inſtructionem, ac utilitatem facta, dicta, ac ſcripta fuiſſe (*a*). Quamobrem Sanctiſſimus idem Spiritus, hæc ipſa verba Evangeliſtæ Matthæo (*b*) Innocentum cædem deſcribenti dictavit, & Sanctam Matrem Eccleſiam erudiens (cui ſemper aſſiſtit) non ſine maximo myſterio ſæpius illa repetere docuit in Miſſæ ſacrificio, in Matutinis ac Veſpertinis horarum Officiis, in quibus omnibus hodie reſonant hæ voces luctu, lamentationibus, & amaritudine repletæ: Quando enim hæc idem Spiritus Jeremiæ primùm dictabat, futurum Sanctæ Matris Eccleſiæ ſtatum Divinitatis ſuæ oculo proſpiciebat. Prævidebat, ſæviſſimam tot parvulorum infantum Innocentum cædem propter Chriſtum patrandam, cujus hodie narrationem ex Evangelio audiviſtis, & ſolemnem memoriam recolimus. Prævidebat quæ in te, o Mediolanum, & quæ in Mundo univerſo erant eventura; quales eſſet ad finem uſque Mundi Eccleſia dolores paſſura, ac quibus gladiis ejus pectus transfigendum, tum in filiorum ſuorum martyriis & ſtragibus, tum in aliorum ſpirituali, & multò graviore interitu: Per ea ſiquidem corporis ſupplicia a morte illi tranſibant ad vitam, & poſt breves cruciatus, coronas recipiebant æternas; poſt hunc verò a temporali morte ad æterna perducebantur tormenta. Audite omnes hodie, dilectiſſimi, has voces, & diligenter attendite; curetque unuſquiſque veſtrûm ex iis fructus elicere, quos ut uberrimos proferatis, toties illæ repetuntur.

Vox in excelſo audita eſt lamentationis, luctus, & fletus Rachel plorantis filios ſuos, & nolentis conſolari ſuper eis, quia non ſunt (*c*). *Vox*, inquam, in altum tollebatur, Rachelis plorantis poſteritatem ſuam, lugentis ac lamentantis proprios filios tam dirè peremptos, & eò prorſus ferebatur ejuſdem dolor, ut lugeret ſæviſſimam ſtragem de tot Innocentibus infantulis patrandam in Bethlehem, in cujus illa confiniis erat ſepulta (*d*). Videbat Civitatis illius vias ſanguine redundare, ac cruentum propemodum torrentem ibidem decurrere; tot tenellos pueros diſcerptos, laceratos, dilaniatos.

(*a*) *Ad Roman. XV. v. 4.*
(*b*) *Cap. II. v. 18.*
(*c*) *Jerem. XXXI. v. 15.*
(*d*) Sepultam fuiſſe Rachelem in via, quæ ducit Ephratam, ideſt Bethlehem, conſtat ex Cap. XXXV. v. 19. Geneſis. Auguſtinus Calmet in Commentar. ad illud Cap. tradit, jacere ſepulcrum Rachelis in bivio mille circiter paſſus a Bethel; eique impoſitum fuiſſe monumentum ex duodecim lapidibus aliiſque ſtructuris, quæ baſis erant elegantiſſimæ pyramidis. Cornelius verò a Lapide hinc colligi ait pervetuſtum ritum erigendi titulos & Epitaphia, in memoriam defuncti, juxta Sepulcra; primum enim, quod in Sacra Scriptura inveniatur, eſt hoc Rachelis.

Et quis hæc intuens, lacrymas contineret, licèt ferreus esset & adamantinus? O horrendum spectaculum! o rem funestissimam! *In excelso vox*; & quàm in altum voces illæ attollebantur; quò perveniebant gemitus illi e tot domibus prodeuntes! Vociferabantur miserrimæ Matres, e quorum amplexibus dulcissimi filii divellebantur, videntes se ipsas propriæ sobolis sanguine conspersas. Ejulabant Infantuli, vix dum nati morientes, & sanguinem lacti miscentes: Infelicissimi Patres vultus lacerabant, crines vellebant; universa domicilia clamoribus & stridoribus resonabant. Tantæ calamitatis causa erat, unius hominis crudelis impietas. Furebat scelestus Herodes, missique satellites Principis mandatum barbarè exequebantur; parentes verò in filiorum cæde millies se mori sentiebant. Quot familiæ extinctæ, quot in compitis funera, quot Matrum lacrymæ, quæ pignorum suorum vulnera & mortem propriis oculis intueri cogebantur! Meministis-ne Mediolanenses, præteritæ pestis, quæ vestram hanc Urbem afflixit? Revocate, obsecro, in mentem, cùm sævus ille morbus domum aliquam invaderet, quot clamores moriente aliquo, aut ea tabe infecto, e fenestris audiebantur! Matres comas dissolvebant, genas unguibus fœdabant sorores, & pectora fratres tundebant; miserandi Patres in se ipsos etiam quandoque sæviebant, fortunam incusantes, vota concipientes, & filiorum aut filiarum, fratrum aut sororum præcocem obitum deplorantes. Quot vultu mœstos, quot facie squallidos, ac pene timore exanimes tunc erat videre! Hæc tamen, si cum Bethlehemitica strage, ac clamore & vocibus conferantur, parvi habebuntur; siquidem non in omnes furebat Cives lues memorata. Licèt domus aliquæ essent infectæ, aliæ tamen multæ erant immunes; & in eodem domicilio prospera valetudine plures fruebantur. Cursum suum pestis illa aliquando intermittebat; nec semper desæviebat, cùm per intervalla quiesceret. At uno eodemque tempore omnes Civitatis Bethlehem, & finitimæ circum Regionis domus obsessas inspicere; sævientes satellites, tamquam furentes lupos quaslibet ædes invadere, nec voce nec precibus flecti, nulli parcere; Matres etiam & Genitores, filios servare studentes, verberibus & plagis afficere; universam demum illam commotionem intueri, certè nimis tragicum ac lacrymabile erat spectaculum.

Vox in excelso audita est. Non vox una dumtaxat, sed plures. Videre erat procidentem in genua matrem unam ac strictissi-

ctiſſimè filium ſuum complectentem, impioque carnifici dicentem: non hic eſt, qui quæritur; quid peccavit miſellus? parce innocenti: pretium quodvis poſce, gladium ſuſpende: Alteram verò ſic gementem: me potius eneca, bellua feriſſima; ſatiare carnibus meis, modò ab hoc filio cædem avertas. Innumeras erat audire: Ut quid, juſtiſſime Deus, obdormis? ubi ſunt juſtitiæ tuæ? cur talia pateris? Maledictus Herodes; maledicta mater, quæ tale monſtrum edidit Mundo; terra, quæ ſceleſtum ſuſtinet, atque aër maledictus, quem ſpirat. Inter hæc verò omnia, furebant acriùs implacabiles Regis Miniſtri humanitatis omnis expertes, & ad miſeras reponebant: Ite in malam crucem infames, ex quibus eſt natus, qui Herodi Regnum uſurpet. Et interim, pedibus aut brachiolis infantum arreptis, alios in murum jactabant, alios impiè conculcabant, jugulabant alios, omnes denique trucidabant. Matres ipſas vulnerabant, innocenti ſanguine cunas domos & earum ſinus replentes. His omnibus lamentationibus, maledictis, conviciis, luctibus, ſtridoribus totus aër inſonabat.

Hæc vox erat *Rachel plorantis;* ubi pro *Rachel* profectò intelligendus eſt populus, talem videns tragœdiam; vel indicatur ipſa cædes adeò ſæva, ut etiam a mortuis lugeri deberet, Rachele ipſa ante multos annos ibi ſepulta, ad fletum compulsâ. O qualis ſtrages, quæ èt mortuis lugubris erat! Qui aliquando filios domi ſuæ propriis oculis mortuos jacentes, multòque magis qui vulneratos vel occiſos conſpexere, norunt ex parte, qualis ille foret omnium dolor, & quantùm querulæ voces ad Dei uſque aures in Cœlum aſcenderent.

Num verò provocatus fortaſſe Herodes id juſſit? Num aliqua de cauſa graviſſima tantam exercuit ſævitiem, tam crudelem ſtragem mandavit? A quo, te obſecro Herodes, laceſſitus, tantum nefas excogitaſti? Quid tam grave peccavit in te Bethlehemiticus Populus? Quid demeritæ fuerunt miſerandæ matres, & infeliciſſimi patres? Quid delicti in te commiſerunt parvuli Infantes, qui nec dum loqui ſciebant? Unde ergo tanta ſtrages? cur tam immanis crudelitas? O maledicta ambitio! o maledicta ſuperbia! Sola regnandi inſana libido, ſola amens iracundia & furor te in zelum induxit. Dubitaſti, ne Regno privareris; ægrè tuliſti Magos divinitus monitos aliâ viâ domos ſuas repetiiſſe, ad te non rediiſſe. O ambitio, in quot mala

mala non pertrahis infelicia, quæ possides, pectora; in quas non inducis ruinas! O inordinata cupiditas, cùm alicujus cor invadis, quò eum non abripis; quid, quamvis nefarium, mortalia pectora non cogis perpetrare? Qui ambitioni aut cæcæ huic cupiditati in se locum præbet, miser & infelix quò non fertur præceps? Discite Mediolanenses, quales pestes hæc sint, quàm mortiferi morbi.

Impia & crudelis Athalia Mater Ochoziæ videns mortuum filium suum, & fratres ipsius a Jehu Rege Israël interfectos, occidit omne semen Regium, ut ipsa sola regnaret in Jerusalem. Tunc tamen cùm filii Regis ab Athalia necarentur, Josaba Regis soror, filium Regis parvulum, & nutricem ejus de triclinio furata est, & abscondit eos, eratque in Templo Domini clam sex annis. Filius ille Joas nomine, cùm nullus de Regiis liberis superstes crederetur, tamdem occisà a Populo Athalià Rex fuit postea salutatus, & in avito Solio resedit (*a*). Impiissima profectò furia, non mulier, quæ tantum facinus regnandi libidine patrarat! At illa Regiam solùm stirpem occidit: Crudelissimus verò Herodes non in unam tantùm domum aut familiam, sed in totam Civitatem, ac omnem circum Regionem desæviit: nec parvulos tantùm vix natos & lactentes peremit; sed, ut in impietate abundaret, *a bimatu, & infra omnes* occidi mandavit (*b*).

Non effùgit tamen Herodes Dei manus, cui, utpote piissimo atque misericordissimo, exosa est in primis hujusmodi crudelis ambitio. Audite, quæ sceleri ejusdem irrogata inter ceteras fuerit pœna; ut nempe in dies quamdiu vixit magis impius evaderet. Crevit semper ejus crudelitas; & ex quo vir sanguinum esse cœperat, de malo semper perrexit in pejus. Quàm grave est, Christiano sanguine proprias manus fœdare! O Patres videte, quàm sitis damnandi, cùm filios vestros permittitis in juvenili ætate esse contentiosos! Hinc enim convicia inferre incipiunt; inde ad dissensiones & bella civilia, ac ad vulnerum inflictiones proficiunt. Cùm verò semel sanguine manus suas intinxerint, tum sicarii evadunt & homicidæ, atque ita crudeles fiunt, ut nihil minus, quàm hominum cædes exhorreant. In vos ipsos etiam quandoque sæviunt, plagas infligen-

(*a*) *IV. Regum XI.*

(*b*) *Matth. II. v. 16.*

gendo; quinimo nonnulli eò devenerunt impietatis, ut proprios Parentes vitâ spoliaverint: Digna profectò impiissimis patribus pœna; ut qui filiorum fuerunt prava educatione & nimia indulgentia interfectores, interficiantur èt ipsi tamdem a filiis. Sic Herodes post hoc scelus admissum, eò adductus est, ut uxorem, & fratres, filios uxoris, & filium proprium, nullâ acceptâ injuriâ interficeret (*a*). Moriens verò, fœdissima & gravissima infirmitate correptus, totus vermibus scatens & fœtens, adhuc in vitæ confiniis positus, novum sævitiæ genus excogitavit; nam cùm omnibus esset exosus, nemine illi compatiente, imo optantibus universis subditis mortem illius, atque ideo ob proximum Regis funus, hilares eos videret, modum machinatus est, quo etiam inviti, ipso moriente, dolerent. Jussit itaque Cognatis suis, ut ex Judæis præcipuos omnes in Hippodromo includi curarent, ipsoque ex hac vita migrante, illos trucidari mandarent; ut qui Principis morte gaudebant, moriente Principe quilibet eorum lugere parentes, consanguineos & propinquos crudeliter necatos cogeretur. Verùm non est passus impium Tyrannum optatis perfrui, ac voti compotem fieri Dominus Deus; nam mortuo ipso, illi omnes e carceribus ad domos suas redire sunt permissi (*b*). Hic fuit crudelis hominis infelicissimus exitus; hic viri sanguinum vitæ decursus, & mors.

Sed

(*a*) *Historiam hanc, & nomina eorum, quos Herodes sibi conjunctos aut sanguine aut affinitate trucidari jussit, refert Josephus Flavius in Opere Antiquitatum Judaicarum a Libro XV. usque ad XVIII. Editionis Francofurti, anni* MDLXXX. Quandoquidem verò Sanctus *Carolus, dum ageret de Sanctis Innocentibus, mentionem injecit proprii Filii ab Herode interfecti, non aba re erit innuere falsam eam opinionem, quæ apud nonnullos invaluit, unum nempe ex Infantibus Bethlehemiticis fuisse filium Herodis.* Huic fabulæ occasionem dedit male intellectus Macrobius Lib. II. Saturnalium Cap. IV. qui narrans, nunciatum fuisse Augusto *inter pueros, quos Herodes Rex Judæorum intra biennium jussit occidi, filium quoque ejus occisum esse*, ait, respondisse Cæsarem: *Melius est Herodis porcum esse, quàm filium.* Siquidem non Infans erat Antipater, sed ætate grandævus, nec Bethlehemi, sed alibi in carcere diu detentus, mandante Patre, gladio est confossus. Itaque eruditi Viri animadvertunt, verba illa Macrobii *inter pueros*, referenda esse ad tempus stragis Infantum, non autem ad locum, in quo hæc peracta fuit, cùm verè mors Antipatri circa illud tempus contigerit.

(*b*) Quæ Sanctus Carolus de hoc nefario Herodis Invento per compendium scripsit, fusiùs narrat Flavius Josephus Antiquitatum Judaicarum Lib. XVII. Cap. VIII. his verbis:
„ Cùm e tota ditione nobiliores Judæorum ad
„ eum convenissent, evocati minaci edicto pœ-
„ nam capitis intentante...... universos con-
„ clusit in Circo. Accita deinde Salome so-
„ rore, maritoque ejus Alexa, ait, instare sibi
„ terminum vitæ, succumbenti tantis dolori-
„ bus; & id quidem ferendum esse, quando
„ juxta communem mortalium sortem accidat:
„ illud permolestum esse, si carendum sit ex-
„ tremo honore luctus, qui debeatur Regibus;
„ non enim ignotam sibi esse Judæorum men-
„ tem, quòd optatam suam mortem lætis ac-
„ cepturi sint animis, quandoquidem vèl a vi-
„ vente etiam tum non abstinuissent contume-
„ lias: sed illorum esse officii, levamen aliquod
„ præsentis hujus doloris decernere; nam si
„ assensum consilio suo præbeant, fore suum
„ funus, longè quàm aliorum Regum honoratius,

Sed o inæſtimabilem Dei providentiam! Quàm clarè patet, nil contra eum poſſe Tyrannorum omnium machinamenta, nil omnes Dæmonis artes aut vires, nil demum inſanam Herodis ambitionem, ſuperbiam, & regnandi libidinem! *Verè non eſt conſilium contra Dominum* (*a*): corruit, eo diſponente, humana omnis prudentia, ac carnis ſapientia. Fruſtratur Herodes fine ſuo: occidit omnes Infantes, ut Chriſtum Dominum e medio tolleret, & ſolus Chriſtus illæſus evaſit. Tantam hujus curam habuit Dominus Deus, ut etiam antequam excogitaret Herodes omnium Infantum ſtragem, per Angelum monuerit Joſeph, ut periculo ſeſe eriperet: *Angelus* enim *Domini apparuit in ſomnis Joſeph dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum: & eſto ibi uſque dum dicam tibi. Futurum eſt enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum* (*b*). Ecce Dei providentiam his verbis expreſſam: *futurum enim*, inquit, *eſt*, *ut quærat*; Antequam igitur de quærendo ſtatuat Herodes, ſecuturo malo proſpicit Deus, & Joſeph admonet, *qui conſurgens, accepit puerum, & matrem ejus nocte, & ſeceſſit in Ægyptum: Et erat ibi uſque ad obitum Herodis: ut adimpleretur quod dictum eſt a Domino per Prophetam dicentem* (*c*): *Ex Ægypto vocavi filium meum* (*d*). *Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph in Ægypto, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & vade in terram Iſraël: defuncti ſunt enim, qui quærebant animam pueri. Qui conſurgens accepit puerum, & matrem ejus, & venit in terram Iſraël. Audiens autem, quòd Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre ſuo, timuit illò ire: & admonitus in ſomnis ſeceſſit in partes Galilææ. Et veniens habitavit in Civitate, quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur* (*e*).

Conſolamini juſti, & omnes qui timetis Deum *quoniam ipſi cura eſt de vobis* (*f*). Nullas vobis ſtruet Dæmon inſidias, nihil contra vos machinabitur Mundus, aut impii homines ejuſdem

„ tius, & Manibus ſuis gratius, omnibus per „ totam ditionem non ficté lugentibus. Ergo „ quamprimum viderint ſe exhalaſſe animam, „ debere eos clauſam Circo Nobilium multitudinem cingere militibus, ignorantibus etiam „ tum ſuum obitum, non priùs vulgandum, „ quàm mandatum executi ſint; jubere deinde, ut circumventos unà omnes jaculis configerent: quibus hoc modo cæſis, duplicem „ ſe eis habiturum gratiam; vel quòd mandatorum fuerint memores, vel quòd obitum „ ſuum publico luctu honoraverint. „ Capite verò X. hæc ſubdit: „ Ceterùm Salome & Alexa, priuſquam Regis mors innoteſceret, in „ Circo clauſos domum ſuam quemque dimiſerunt.

(*a*) *Proverb. XXI. v.* 30.
(*b*) *Matth. II. v.* 13.
(*c*) *Oſee XI. v.* 1.
(*d*) *Matth. II. v.* 14. *& ſeq.*
(*e*) *Ibidem v.* 19. *& ſeqq.*
(*f*) *I. Petr. V. v.* 7.

dem ſatellites, quin vos Deus antea præmuniat, & futuro periculo remedium provideat. Quòd ſi in illud incidere vos permiſerit, occurret ſtatim opportunum ſubſidium. Eſt Deus vobis tamquam nutrix, ac mater piiſſima. Equidem mater filium parvulum docet ambulare: dimittit aliquando, ut ſolus incedat; ſed cùm decidendi periculum videt, ſtatim brachiis aut veſte puerum apprehendit. Sic Deus vobis ſemper præſto eſt, ſemper paratus ferre præſidium; numquam enim *eſt confuſus, qui ſperavit in Domino* (a).

Innumera eſſent in Evangeliſtæ verbis paulò antea recitatis, & in ſacroſancta hac hiſtoria conſideranda: Mariæ labores curæ & ſolicitudines, eò quia, vix dum edito in lucem Filio, adſint ſtatim, qui eum perdere quærant: Verborum Simeonis adimpletio, quòd ipſius animam doloris gladius eſſet pertranſiturus (b): Chriſti adhuc infantuli dura peregrinatio, futuræ ejus vitæ typus: Joſeph & Mariæ fides, adeò conſtans, ut cùm eis promiſſum fuiſſet, filium hunc, Mundi Salvatorem futurum, minimè tamen fide deficerent, videntes tam citò eidem mortem parari: Utriuſque prompta obedientia ad Angeli monitum: Ægypto ſignificari tribulationes hujus Mundi, in iiſque nobis a Domino dici: *Eſto ibi, uſque dum dicam tibi:* Et alia plurima, quæ lubens omitto, ut ad finem tendam, & ſolùm propoſita lamentationis Rachel verba perpendamus. Hoc tamen unum, tamquam præcipuum, nefas eſſe arbitror non ſaltem innuere.

Erat Maria Sanctiſſima, Joſeph viro ſuo, excellentiâ vitæ & morum probitate tantò præſtantior, Deo carior, erat Dei Mater; naſciturum ex ea Chriſtum ipſi annunciaverat Angelus: Et tamen fugam in Ægyptum, & ex Ægypto reditum in Judæam, nunciat Angelus non Mariæ, ſed Joſeph. Potuiſſet ipſa conqueri, & dicere: Annon ego Joſeph præſtantior, annon ipſo ſanctior atque perfectior? Nihil tamen horum animo revolvit; ſed prompta ſtatim ad Joſeph nutum, Filium ſuſcipit, in Ægyptum pergit, & ad ejuſdem præceptum ex Ægypto redit in Judæam. Magnum myſterium, filiæ; quædam enim prærogativæ ſunt officii, aliæ verò meritorum atque virtutum. Dignior erat Maria, quàm Joſeph, magis abundabat virtutibus; ideo ei annunciatur, eſſe Chriſtum parituram, & Dei Matrem fore. Erat Joſe-

(a) *Eccleſiaſtici II. v. 11.*

(b) *Lucæ II. v. 35.*

Josephi officium, domûs curam habere, commendata illi fuerat Mariæ & Christi custodia; ideo, quia hoc ei ex proprio munere incumbebat, monetur ipse, non Maria de iis omnibus, quæ audivistis. Discite mulieres, quàm sit vobis fugienda superbia, in viros præsertim vestros; quàm sint eæ damnandæ, quæ conjuges suos, uti ignobiliores pauperiores & viliores, despiciunt, quæ naturæ ordinem pervertentes, illos sibi, tamquam perfectiores & prudentiores essent, obedire compellunt. Non ita docuit Deus, non sic Maria, o filiæ, quæ id tot de causis cogitare & præstare potuisset. Cui, obsecro, præceptum in Paradiso Deus tradidit? Evæ-ne, an Adæ? Profectò Adæ, & per Adam Evæ; ut scirent omnes subsecuturæ mulieres, quia *caput mulieris est vir* (*a*); & turpe est, mulierem in virum exercere tyrannidem. Sed ulteriùs progrediamur.

SECUNDA PARS.

[Pauperes in carceribus, ob paupertatem detentos, eò quòd solvendo non sint, enixè vobis præsentia, quæ colimus, Festa commendant. Solent Ecclesiasticæ omnes, & Civiles leges in hisce solemnitatibus mitiores esse, ac ad aperiendos carceres pronæ. Itaque nolite, obsecro, permittere, ut pauperes illi, fratres vestri ibidem detineantur diutiùs, & egestate opprimantur. Hodiernum Festum, licèt universale sit Christianorum omnium, est tamen præcipuè nostrum, qui unius ex his Innocentibus Caput integrum in Ecclesia hac habemus (*b*), pretiosissimum sane pignus, ideo summa religione colendum.]

Maximum, dilectissimi, fructum atque emolumentum attulit infantulis Innocentibus Herodis impietas. Qui enim necdum liberæ voluntatis usum, aut merendi vim habuerant, Martyrii coronam receperunt. Pro se morientes Dominus pretiosissima hac aureolâ redimivit; nec a tanto rejecit honore parvulos, etiam de illo nihil cogitantes. Plura sane sunt Martyrum genera; alii quidem pro justitia propria moriuntur, ùt Abel; alii pro

(*a*) *Ad Ephes. V. v.* 23.

(*b*) Delatum ex Germania Mediolanum Sacrum hoc Caput, ac dono traditum fuisse Sancto Carolo Borromeo, ex literis authenticis, & Actis Visitationis anni MDXCV. testatur Bernardinus Cassinus Metropolitanæ Basilicæ Cæremoniarum Magister, optimè de Ecclesiasticis rebus edoctus in Libro inscripto: *Veritas Sacrarum Reliquiarum, in Basilica Metropolitana Mediolani existentium*, typis edito in hac Metropoli anno MDCCXLIII.

pro servanda legis constantia, ùt Machabæi fortissimi; alii pro veritate prædicanda, ùt Jeremias, & Isaias; alii quòd errores liberè reprehenderint, ùt Joannes Baptista, palam enuncians Herodi: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui* (a); alii pro Fidei Christianæ confessione, ùt Stephanus, & quamplurimi; alii pro tuenda Ecclesiastica libertate, ùt Thomas Cantuariensis; alii demum pro Christo, ùt hi Innocentes: dum enim Christus ad mortem quæritur, nec invenitur, hi pro Christo jugulantur; & hi omnes sunt Martyres. An parvus vobis videtur hic fructus, ut qui necdum vitæ labores & pericula conspexerant, ab iis omnibus præserventur; & vim merendi aut volendi nondum habentes, tantà coronà, quæ strenuè pugnantibus dari solet, coronentur? At, si non meruerunt, quomodo coronam & palmam accipiunt? Parvuli Infantes, Baptismo suscepto morientes, nonne in Cœlum evolant statim? Et tamen quo merito? Gratia Dei hæc est, & summa illius dignatio. Cohibe igitur Rachel lamentationes tuas, desine flere, sileat gemitus ille tuus, qui ejulatibus & suspiriis Cœlum complevit, qui ad Dei usque aures *in excelso* pervènit: *Quiescat*, inquit Jeremias, *vox tua a ploratu, & oculi tui a lacrymis, quia est merces operi tuo, ait Dominus* (b).

Sed ad Ecclesiæ Sanctæ enarrandas vicissitudines accedamus. Fuit hæc Infantum strages, futuri Ecclesiæ statûs præsagium & typus. Et sanè ista fuerunt Ecclesiæ primordia. Vix natus est Christus, ac statim incipit Herodis dira persecutio; Dæmon illico insidias tendit, & vix in lucem editum quærit perimere. Vix dilatari cœperat, post Christi ascensum ad Cœlos, Evangelii Sancti prædicatio; & ecce Tyrannos, mille machinas, mille barbaras artes adversùs Christum vix prædicari cœptum intentantes, non in Bethlehem solùm, sed in omnibus Mundi partibus contra innocentissimos Martyres desævire. Quæ tormentorum genera non excogitarunt, quam non exercuere sævitiam in Christi membra? Quot hominum millia, per temporum intervalla, ferro & igne non consumpserunt? Hinc aculei innumeri, exerti enses, expeditæ secures ac cruces. Quot igneæ craticulæ, scorpiones, catastæ, quot plumbatæ & crudelissimæ neces inventæ! O felicissima Ecclesia Christi Sponsa, quæ hac via tam mirabiliter es propagata, &, cùm sterilis esses, plurimos peperisti! Quærebat te Dæmon hisce Inventis extinguere, & tu in

(a) Marci VI. v. 18.

(b) Jerem. XXXI. v. 16.

dies magis augebaris; quod èt tuì inimicissimus Julianus Apostata fateri coactus est (a). Novas ille artes machinabatur, quibus tenerum infantem Christum deleret, ac recenter conversos Christianos perverteret; blanditiis namque & promissis, ac magnis oblatis muneribus, & voluptatum illecebris id sibi tentandum persuasit. Omnibus denique viis, martyriis primò, dein lenociniis Christi Fidem evertere conatus est Dæmon. Trahebantur ad mortem, latronum more, innumeri innocentissimi viri, qui nec ominari alicui malum noverant; nulla sexus aut ætatis ratio habebatur; in tenellas & nobilissimas Virgines expediebantur gladii; nec in miserandos senes crudelitati parcebatur: Et numquid non *in excelso audiebatur* Ecclesiæ *vox lamentationis, luctus*, & doloris? Deberemus profectò has omnes voces, nos illorum propagines, & ejusdem Matris filii excipere.

Nunc quoque, calamitosissimis hisce temporibus, licet eas audire. Exercet barbaras strages ubique terrarum sævissimus Dæmon, & foris, & intus. Foris: quot nobilissima Regna, quot opulentissimas Provincias, quot florentissimas Civitates etiam nobis contiguas & finitimas, quot hominum millia exitiali Hæreseon morbo infecit; quot animas hoc gladio jugulavit; quot filios a sanctissimæ Christi Sponsæ Ecclesiæ sinu hac ratione divulsit! Tot Templa diruta, tot Monasteria eversa, tot Virgines violatæ, tot Sacra Loca vastata, tot Sanctorum Martyrum Corpora igni tradita, tot pretiosissimæ Reliquiæ dispersæ, tot denique in locis Sacramentorum deleta prorsus memoria, indubia sunt Dæmonis iræ argumenta. O quales nostro etiam ævo in Galliis, in Flandria, in Germania hujusmodi strages aspeximus! Quàm multos filios sic a Dæmone instigante trucidatos vidit dolens Mater Ecclesia! Et non audietur ejus *vox in excelso plorantis, & flentis filios suos, nec volentis consolari super eis, quia non sunt?*

Verùm hæc quodammodo extra Ecclesiam sunt. Non minor intra nos luctùs & lamentationis ei suppetit occasio. Quot in nobis ruinæ, quot strages quotidie fiunt a Dæmone? Quid enim

(a) Connotare hic videtur Sanctus Carolus vocem illam, quam vulnere accepto Julianus emisit, antequam impiam animam exhalaret. Baronius in Annalibus ad annum CCCLXIII. illam refert verbis Theodoreti: „ Ferunt porro, ipsum Tyrannum simul ac plagam acceperat, manum protinus sanguine implevisse, illumque projecisse in aerem, ac dixisse: *Vicisti Galilæe;* & simul tum confessum esse victoriam, & blasphemiam (adeò enim a mente abalienatus erat) in Deum impudenter locutum. „ Siquidem Christianos perfidus iste Imperator per contemptum *Galilæos* appellabat.

enim ſunt tot indulgentiſſimi parentes, tot malè educati filii, tot effrænes ac licentiæ dediti juvenes? Quid tanta in tabernis frequentia, tot crapulæ, commeſſationes, ebrietates, pompæ; tot in ipſa Eccleſia, quæ domus Dei eſt, in ipſiuſmet Chriſti oculis impudica colloquia, inhoneſti mulierum ornatus, obſcœni virorum intuitus? Proh dolor! Quid tot illiciti contractus, tot uſuræ, fraudes, mendacia, tot ſtateræ injuſtæ, pauperum oppreſſiones, tot fornicationes, adulteria, convicia, maledicentiæ; tanta in animæ cultu tepiditas, frigiditas, negligentia? Heu me miſeram (mihi videor audire Eccleſiam Matrem noſtram, altiſſima voce exclamantem) heu me verè miſeram! ut quid nata ſum videre tantam filiorum meorum ſtragem? Heu infelicem meam prolem, quam dirè adeò Dæmon diſcerpit! Eſſet profectò vox iſta ab omnibus pietatem colentibus audienda, quia *in excelſo vox eſt*, ad Cœlum uſque pertingens. Numquid non vidimus Sole clarius, quomodo Chriſtum vix natum, quotidie Dæmon in Fidelibus curet perdere? Euchariſticam dapem ſumpſerunt quamplurimi his ſolemnibus diebus; peccata ſua confeſſi, ac renati gratiæ ſunt, veluti Infantes. Vix in eis natus eſt Chriſtus; & (o me miſerrimum omnium mortalium!) quàm multi ſtatim ad vomitum redeunt, priſtina vitia & pravas conſuetudines reſumunt? Offert ſtatim Dæmon proxima Baccanalium maledicta tempora, quibus ad libidinem, ad omnis generis turpia & nefanda oblectamenta ſollicitat. Hoc eſt, dilectiſſimi, Ægypti primogenitos filios a Pharaone occidi; hoc eſt, Innocentes infantes hodie jugulari; hoc eſt, vix natum Chriſtum ad mortem quæri.

Sed conſolatur per Prophetam Dominus Sponſam ſuam Eccleſiam in Sanctis Martyribus dicens: *Quieſcat vox tua a ploratu, & oculi tui a lacrymis: quia eſt merces operi tuo, ait Dominus: & revertentur de terra inimici tui. Et eſt ſpes noviſſimis tuis* (a). Irrigaris Eccleſia & fœcundaris Martyrum ſanguine, fructus inde percipis copioſiſſimos; hinc dilataris; hinc ampliſſimis theſauris diteſcis.

Vox quoque *in excelſo audita eſt* Sanctiſſimorum Martyrum, *quorum ſanguis effuſus eſt ſuper terram, & carnes traditæ beſtiis terræ* (b): Vox, inquam, audita eſt clamantium voce magna, & dicentium: *Uſquequo Domine (ſanctus, & verus) non judicas, & non vin-*

(a) *Jerem. XXXI. v. 16. & ſeq.* | (b) *Pſalm. LXXVIII. v. 2. & 3.*

vindicas ſanguinem noſtrum de iis , qui habitant in terra (*a*)? Verùm ipſi etiam a Domino conſolationem receperunt , *& datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ* , animarum videlicet æterna felicitas , & cœleſtis gloria ; *& dictum eſt illis , ut requieſcerent adhuc tempus modicum , donec compleantur conſervi eorum , & fratres eorum , qui interficiendi ſunt , ſicut & illi* (*b*) ; nempe donec extremus Judicii dies accedat, quo corpora iterum ſument, ſed ſplendida, levia, agilia, ſubtilia, impaſſibilia , ac demum glorioſa. Fruantur interim eâ , quæ ipſis tradita eſt, *ſtolâ*, Animæ ſcilicet gloriâ , donec Animabus corpora jungantur . Ecce igitur , quia Rachelis dolor in gaudium converſus eſt ; Eccleſia Sancta ſuper Martyribus ſolamen invènit : & Martyres ipſi æterna gaudia perceperunt.

Nos autem , in quo conſolabimur , filii ? In pœnitentia profectò, in converſione ad Deum , in vitæ immutatione. Conſolabimur , ſi illos fuerimus imitati , quos Jeremias loquentes inducit , ac cum iiſdem dixerimus: *Audiens audivi Ephraim tranſmigrantem: Caſtigaſti me , & eruditus ſum , quaſi juvenculus indomitus: Converte me , & convertar : quia tu Dominus Deus meus. Poſtquam enim convertiſti me, egi pœnitentiam* (*c*). Miſiſti Domine in nos peſtem , ſævam Urbis noſtræ vaſtationem , arcum tuum vibraſti, flagellaſti nos pecuniarum inopiâ, morbis frequentibus filiorum, uxorumque morte. Ferebamur *quaſi juvenculi indomiti* , quòcumque noſtra nos impellebat voluptas , quòcumque nos licentia effrænis trahebat. *Poſtquam oſtendiſti mihi Domine , percuſſi femur meum* (*d*) : *Poſtquam* , inquam , *oſtendiſti mihi* , quid ſit , quòd ego tam vilis creatura pro re tam levi audeam , te Dominum meum in me adeò beneficum provocare ; pro modico lucro æternæ objici damnationi ; diebus feſtis opera ſervilia exercere , ut mihi ſempiternam captivitatem comparem ; pro minimo convicio vindictam ſtatim animo concipere ; ſuperfluo luxu, & excedentibus privatam ſortem ſumptibus facultates meas conſumere, filios in paupertatem redigere: *Poſtquam oſtendiſti*, me poſſe ditari ſpiritualibus donis , frequenter peccata confitendo , & ſacratiſſimis carnibus tuis animam reficiendo ; a quibus tamen abſtineo aut accidiæ vitio, aut ne ab aliis digito connoter: O Domine, *poſtquam oſtendiſti mihi*, quanti habenda ſit gratia tua, quanta in Paradiſo felicitate affluant Beati ; quid ſit Infernus , quid ſem-

(*a*) *Apocal. VI. v.* 10.
(*b*) *Ibidem v.* 11.
(*c*) *Jerem. XXXI. v.* 18. *&* 19.
(*d*) *Ibidem v.* 19.

sempiternus ille horror, intolerabilis pœna, ignis numquam extinguendus, cui lubens & sponte me obnoxium constitui: *Postquam ostendisti mihi* Domine, quàm tibi exosum sit peccatum, ut in ejusdem expiationem, tam graves pœnas inflixeris Filio tuo dilectissimo, *qui peccatum non fecerat, nec inventus fuerat dolus in ore ejus* (*a*): *Postquam* denique Christum Filium tuum, *Domine, mihi ostendisti* spinis coronatum, clavis confixum, felle & aceto potatum, in ligno pendentem; *postquam*, inquam, *ostendisti mihi*, ob peccata mea illum tam atrocia pertulisse supplicia, meque iterum peccantem, Filium tuum illudere, conspuere, percutere, crucifigere: *Postquam* hæc omnia, *Domine* mi, *ostendisti mihi*, *percussi femur meum: Egi pœnitentiam: Confusus sum, & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ* (*b*): *Recogitavi in amaritudine animæ meæ* (*c*) ignominias meas: expendi, *quem fructum habuerim in iis, in quibus nunc erubesco* (*d*); proinde quàm nunc me pudet, nefaria tot facinora perpetrasse! Utinam morti sævissimæ millies potiùs addictus fuissem, quàm ne semel quidem tam turpiter, tamque contumeliosè in Dominum meum, Patrem, Creatorem, ac Deum meum deliquissem ego, creaturarum omnium ingratissimus!

Vos felices, o filii, si vos ipsos Jeremiæ verbis, quæ audivistis, consolati fueritis! Ad hæc pronuncianda vos invitat istud præsertim Sacratissimum Incarnationis Dominicæ tempus, non enim fortè abs re, cùm illa omnia dixisset Jeremias, de hoc mysterio statim prædixit; quia *creavit Dominus novum super terra: fœmina circumdabit virum* (*e*); *Fœmina*, inquam, quia Virgo, quia expers Viri, qui in hac generatione partem haberet. Imo hoc ipsum beneficium stimulos addere nobis debere ad conversionem ostendit, dicens: *Usquequo deliciis dissolveris filia vaga? quia creavit Dominus novum super terra: Fœmina circumdabit virum* (*f*). Ecce jam *factum est novum*, jam *fœmina virum circumdedit*. Convertamur ad Dominum igitur, & pœnitentiam agamus de peccatis nostris, ut brevem vitæ luctum æterna gaudia consequantur. Amen.

HO.

(*a*) *I. Petr. II. v. 22.*
(*b*) *Jerem. XXXI. v. 19.*
(*c*) *Isaiæ XXXVIII. v. 15.*
(*d*) *Ad Roman. VI. v. 21.*
(*e*) *Jerem. XXXI. v. 22.*
(*f*) *Ibidem.*

HOMILIA LXXXIX.

SABBATO INFRA OCTAVAM

NATIVITATIS DOMINI

Habita in Templo Maximo Mediolani

ANNO MDLXXXIII. XXXI. DECEMBRIS.



UER natus est nobis, & Filius datus est nobis, cujus imperium super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus magni consilii Angelus (a). Iterum hodie hæc Isaiæ verba auribus nostris intonuit Sancta Mater Ecclesia; iterum pergit nobis tantæ hujus Nativitatis memoriam proponere. Magna profectò dona necesse est attulerit humano generi sublimis hic Christi ortus, quando adeò solicitè Mater nostra, a Spiritu Sancto edocta per hos singulos dies hæc eadem repetit. Attulit certè maxima, filii, & talia, ut nec Angelis ipsis eorum minimum liceat mente complecti. Nos tamen, ne siccè nimis omnia silentio involventes aut prætereuntes, ingratitudinis arguamur, eorum aliqua investigare conabimur. Opportunè admodùm hac de causa Evangelium Beati Joannis proponitur, in quo, ubi de æterni Verbi Incarnatione verba fiunt, inter cetera recensetur eximius hic & admirabilis ejus fructus: *In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (b). Quibus in verbis & fructus allatus exprimitur, nempe Dei per gratiam filiatio, & quid respondere ex parte nostri debeamus innuitur.

Qui hominum corda perscrutaretur, & tam multas eorum industrias ac solicitudines, tot artes & negotia investigaret, reperiret profectò, eorum maximam partem eò tendere, ut honorem con-

(a) *Ex Isaia IX. v. 6.*

(b) *Joann. I. v. 11. & seqq.*

consequantur & nobilitatem. Mercator cur tot periculis sponte se objicit, cur illicitos contractus exercet, cur nova quotidie commercia excogitat; nisi ut ditatus, ceteris præferri possit, ac cum Nobilioribus considere? Alius apothecam instituit, in qua diu noctuque consistit, mille fraudes intexens emptores fallit, plurima vendit mendacia, & alia mille injusta perpetrat; & cur hæc omnia, nisi ut filii sui ditati inter Nobiles censeantur, & qui ab illis descendent, acquisitâ sanguinis claritate glorientur? Sic Miles quid non peragit, qui mortis timore non correptus, vitam negligit, in apertas prorumpit hostium acies, temerario etiam ausu plerumque in medias armatorum turmas se conjicit; & hæc omnia, ut gloriam aucupetur, ut in domum suam honorem ac decora, quæ possit majora traducat? O quàm latè diffunditur hæc honoris & nobilitatis cupiditas, quàm multa possidet hominum corda, quàm plures occupat mentes! Et tamen nec in gloria mundana, nec in honoribus, nec in auri argentive copiâ, nobilitas vera consistit (etiam si ad solum naturæ lumen id expendamus) sed in solida dumtaxat virtute. Hanc solam qui possident, inter ceteros jure optimo primatum sibi vindicant, ac aliis præferuntur; verè nobiles sunt & dicuntur. At nos qui majus a Deo lumen accepimus, quàm morales illi Philosophi, qui de virtute scripserunt, licèt in hoc ab illis non dissentiamus, nobilissimam videlicet esse virtutem, ab eaque in homines splendorem derivari; ac insuper veram nos tantùm agnoscamus virtutem, quæ Dei gratiæ innixa, humiles potiùs homines reddit, ac omnia Deo accepta docet referre: longiùs tamen prospicientes, & altiùs contemplationis oculos figentes, majorem aliam quamdam nobilitatem esse percipimus, quæ verè homines nobilissimos queat efficere. Ea autem quænam est? Non alia, dilectissimi, quàm Christianum esse, quàm Christi fratrem, quàm Dei filium; quod Baptismi Sacramento consecuti sumus, cùm a ceteris nationibus segregatos nos sibi Deus adoptavit in filios. Hunc fructum attulit hominibus *Verbum caro factum*.

Neque verò dubitandi locus ullus relinquitur, quin nos Christi sanguine persusos sibi adoptaverit in filios Altissimus Deus: nam hoc apertè ipsa Evangelii hodierni indicant verba: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (a). Recipimus verò Christum, cùm *ejus* Fidem amplectimur, cùm sacrosancto

(a) *Joann. I. v. 12.*

cto Baptismi lavacro abluimur: quod etiam visibili signo ipse Dominus Deus ostendit. Quid enim fuit, baptizato Christo columbæ specie Spiritum Sanctum apparere, Cœlum aperiri, vocem Patris audiri: *Hic est Filius meus dilectus* (*a*), nisi futuræ hujus nostræ adoptionis in Baptismo recipiendæ quædam veluti adumbratio? Hoc est, quod Paulus ad Galatas scribens, magnificis illis verbis prædicabat: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba Pater. Itaque jam non est servus, sed filius: quòd si filius: & hæres per Deum* (*b*). Sed quoniam hoc firmissima credimus Fide, & indubitanter verissimum esse asseveramus; tanti doni, obsecro, magnitudinem, & caritatis in nos divinæ immensitatem ex quibusdam circumstantiis perpendamus.

Ac primò quidem, magnum sanè censeretur, si mendicum quempiam & inopem hominem Rex aliquis potentissimus sibi adoptaret in filium; cùm tamen homines ambo essent, & unus idemque utriusque sit futurus interitus; imo sæpe contingat, ut apud Deum pauper ille mendicus plus valeat, quàm Rex potentissimus cum omni gloria & viribus suis. Non Rex, filii, sed Regum omnium Rex, & Creator nos adoptavit Deus; ille, inquam, Deus, qui est Omnipotens Cœli & terræ conditor, qui omnia formavit ex nihilo, quem *laudant astra matutina* (*c*), omnesque Angelorum Ordines prona fronte venerantur, & adorant. O quàm magnum Patrem habemus, & quanta hinc nobis profluit nobilitas! *Jam non dicam* (inquit Dei Filius) *vos servos, sed amicos, quia omnia, quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*d*). Sed quid dico *amicos?* Fratres etiam appellare dignatur homines Deus. Cùm primùm resurrexit a mortuis, flenti ac sublatum Dominum lugenti Mariæ, annon ipsemet dixit: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum: Vade autem ad Fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum* (*e*)? Quid igitur mirum, si nostræ nobilitatis magnitudinem, spiritu prævidens David, exclamabat: *Ego dixi: Dii estis vos, & filii excelsi omnes* (*f*)? Quid enim vetat, Dei filios adoptivos appellari *Deos*,

(*a*) *Matth. III. v. 17.*
(*b*) *Ad Galat. IV. v. 4. & seqq.*
(*c*) *Job XXXVIII. v. 7.*
(*d*) *Joann. XV. v. 15.*
(*e*) *Ibidem XX. v. 17.*
(*f*) *Psalm. LXXXI. v. 6.*

Deos, & Christi Dei *fratres?* Neque verò id cum antiqui Testamenti Patribus, aut cum Populo illo, qui Deo fuit adeò carus, nobis commune esse existimetis. Soli hac nobilitate excellimus, soli sumus hac prærogativa insignes, solis nobis permissum, Deo dicere: *Pater noster, qui es in Cælis* (a). Ceteri Deum alloquentes, *Deum* tantùm appellabant, aut *Dominum exercituum;* nos verò, uti filii, *Patrem* nuncupamus: quod nec eorum præcipuis, licèt justissimis, & venturum Messiam Fide cernentibus, ac in eum credentibus, concessum umquam fuit. Et profectò hac in re omnibus Testamenti veteris hominibus multùm præstamus, sive ex Fide essent, sive non; qui enim ex Fide non erant, servitutis tantùm spiritum acceperant, de quo Paulus ad Romanos scribens inquit: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba [Pater]* (b): Qui verò ex Fide erant, & ad Testamentum novum ea ratione pertinebant, quasi sub tutore constituti, non poterant, donec veniret Christus, possessionem hæreditatis adipisci, quam tamen nos post ejus Nativitatem accepimus; unde quod Abraham oraturus dicebat: *Loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis, & cinis* (c), hoc nos, præceptis salutaribus moniti, & Divina institutione formati, aliis verbis audemus dicere, nempe: *Pater noster, qui es in Cælis.* Ecce igitur, quis nos adoptaverit in filios.

Solent certè homines aliquem adoptaturi in filium, nonnisi probo adolescenti, cujus virtutem optimè cognitam habeant atque perspectam, & a quo obsequia plurima acceperint, tale donum conferre. Videamus ergo, quemnam adoptaverit Deus: Procul dubio hominem, creaturarum omnium vilissimum; hominem, inquam, qui nihil aliud est, quàm cinis, pulvis, fœnum, umbra, stipula sicca, vanitati similis; & hunc quidem hominem ignobilissimum, abjectissimis ortum parentibus, in peccatis conceptum, filium gehennæ, iræ, & Diaboli: At quod mirabilius fuit, pessimum, ingratissimum, rebellem, & inimicum. Homines eos adoptant, qui grati animi & probitatis speciem præbeant: Deus verò nos ingratissimos & impiissimos adoptavit in filios, absque ulla personarum acceptione; tantum omnibus donum communicans, nec servos, aut pauperes vel debiles rejiciens.

Sed num fortè hujusmodi filiis egebat Deus? Absit hoc a nobis

(a) Matth. VI. v. 9.
(b) Ad Roman. VIII. v. 15.
(c) Genes. XVIII. v. 27.

nobis excogitari; neque enim (ùt homines solent) ad sublevandam orbitatem suam nos adoptavit, cùm Filium habeat sibi per omnia ac in omnibus coæternum & coæqualem. Quid te ergo, Deus, ad tantam impulit dignationem? Hic totus liquesio, caritatis tantæ magnitudinem expendens. Non ob aliud, auditores, id Deus peregit, nisi ut suæ nos bonitatis participes efficeret, ut cœlestis amplissimæ hæreditatis Christi tamquam primogeniti cohæredes essemus, Paulo dicente: *Si autem filii, èt hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi* (*a*); atque ut jus haberemus, ab eo, quæcumque competunt filiis, petendi. Hoc jure donati petimus in primis locum in amplissimo illo Regno Cœlorum, *ut ubi ipse est, èt nos* Ministri ejus, & fratres *simus* (*b*): Tum officium judicandi, ut cùm Filius hominis venerit ad judicandum, *sedeamus èt nos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël* (*c*): Titulum quoque Sacerdotalem & Regium, quem etiam Apostolorum Princeps nobis concessum testatur, dicens: *Regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis* (*d*). Hujus denique adoptionis efficaciâ, quæcumque nobis sive necessaria, sive proficua agnoverimus, confidenter a Domino petere possumus. Quis igitur hæc animo revolvens, immensam erga se paternam Dei caritatem non admiretur? *Videte*, inquit Joannes, *qualem caritatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, & simus* (*e*)! Profectò quælibet dona longè excedit hoc donum, cedunt huic omnia. O si agnoscerent homines hanc nobilitatem, has divitias; quid non aggrederentur, ut inter filios Dei semel adscripti, in eo numero semper permanerent (*f*)? Habere spiritum Dei, quis mente concipiat, quanta sit felicitas? Hoc donum attulit Christus nascens; hoc nobis per ejus sanguinem in Baptismo confertur: nam sicut patres influunt in sobolem quosdam suis conformes naturales affectus, atque ideo filii utplurimum patribus assimilantur; ita nobis spiritualem vitam accipientibus, mira infunditur quoque Divinæ voluntati conformitas. Agnosce homo dignationem Dei, donum tibi præstitum & nobilitatem tuam expende. O quàm multos sibi Deus hujusmodi filios adoptavit post Christi Nativitatem! *Lætare sterilis, quæ non paris* (*g*): Exulta Mater Ecclesia, quæ *sterilis* habebaris; & tam multos Domino filios peperisti. Exultat jam

(*a*) *Ad Roman. VIII. v.* 17.
(*b*) *Joann. XVII. v.* 24.
(*c*) *Matth. XIX. v.* 28.
(*d*) *I. Petr. II. v.* 9.
(*e*) *I. Joann. III. v.* 1.
(*f*) Sanctus Leo sermone VI. de Nativitate Domini.
(*g*) *Isaiæ LIV. v.* 1., *& ad Galat. IV. v.* 27.

jam nunc in Cœlis triumphans Sanctiſſimus Pater Sylveſter, tuum viſibile Caput, Romanus Pontifex, qui in feliciſſima tempora incidens, te Vicaria Chriſti poteſtate regebat: Gaudet, inquam, quia èt ipſe prædicatione ſua, ſolicitudine atque vigiliis a Domino meruit poſt longas tenebras lucem videre; poſt ſæviſſimas perſecutiones pacatum Eccleſiæ ſtatum intueri; proſtratos ante ſe ſummos Imperatores aſpicere; tam nobiles Chriſto filios generare (a). Hic, auditores, ſpiritu adoptionis filiorum Dei repletus, & tantæ agnoſcens nobilitatis ſplendorem, nil mirum ſi tam ſedulo ſtudio ad Deum ceteros quoque perducere conaretur. Felix, cui pro votis tam nobilis partus ſucceſſit! Sed tanti Patris exemplis inhærentes, ad ſecundum propoſitum caput accedamus.

Creato homini ad ſupernaturalem nobiliſſimum finem, nempe ad Dei fruitionem, mediis quoque opus erat, quibus illum conſequeretur. Naturalis ea vita, quam a parentibus ſecundùm carnem naſcens acceperat, non ſatis erat; aliâ vitâ, nimirum ſupernaturali, indigebat, ut viveret. Ideo dicitur, illis *poteſtatem* per Chriſtum attributam, *Filios Dei fieri, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt* (b). Divina ergo & ſpiritualis vita, erat omnibus neceſſaria; *caro* enim & *ſanguis* tanta hæc myſteria nequibant percipere, nec ad tam altum poterant finem pertingere. De hac ergo vita, quam acquiſivit, homo glorietur; ſed cavete, filii, ne inanis ſit hæc veſtra, de tali vita ac tanto Patre gloriatio. Si degeneres fueritis, turpi laborabitis notâ; ſi non tales filii extiteritis, quales eſſe requirit tam excelſus Pater, omnia vobis in ſupplicium vertentur. Quidnam ergo a nobis peragendum ſit, breviter videamus; & quæ probos filios deceant, perdiſcamus.

Ea autem, quæ tamquam filii, Deo Patri noſtro præcipuè debemus, hæc ſunt: Amor, honor, obedientia, ſimilitudo, fiducia. Amandus eſt ſuper omnia a nobis Deus, & in Deo ac per Deum omnia. Et quid, obſecro, amabimus, niſi Deum amaverimus, a quo creati ſumus & redempti, a quo regimur & gubernamur, *in quo vivimus, & movemur, & ſumus* (c)? Amant-ne Deum qui propter

(a) Innuit hoc loco Sanctus Carolus pacem Eccleſiæ datam a Conſtantino Magno, qui victo Maxentio, non modò Chriſtianam Fidem amplexus eſt, ſed etiam promulgato edicto facultatem cuilibet præbuit, ut eamdem liberè ac publicè poſſet profiteri. Hoc Decretum Mediolani ſubſcriptum fuit etiam a Licinio Imperii Collega, qui eo tempore nuptias in hac Metropoli celebravit cum Sorore Conſtantini, appellata Conſtantia.

(b) *Joann. I. v. 12. & 13.*

(c) *Act. Apoſt. XVII. v. 28.*

ter tenuissimum lucrum Dei præcepta contemnunt? Deum-ne amant, qui proximum suum Dei imaginem referentem odio prosequuntur? Si fratrem, quem vident, oderunt; Deum, quem non vident, quomodo diligere existimabuntur (*a*)? Amate, filii, Deum, qui *nos* tanto amore *prior dilexit* (*b*): Amate benefactorem vestrum, & eum toto corde ac mente diligite. Qua fronte vos Deum amare dicitis, si Dei inimicos diligitis? Mundus, peccatum, pompæ, & *sapientia carnis inimica sunt Deo* (*c*). Quicumque cum his partem habentes ea diligunt, Dei non sunt amici non filii, sed hostes.

Debemus secundò honorem Deo: Et hoc est, filii, de quo per Malachiam gravissimis verbis Dominus conqueritur, dicens: *Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus* (*d*)? Heu quot in eum blasphemiæ proferuntur, quot probra jactantur ab iis, qui linguâ potissimùm tenerentur illum semper laudare! Infelicissimi homines; quos vel ipsa muta animalia rationis quidem expertia, sed more suo Dei gloriam enarrantia, in extremo districtissimi Judicii die acerbissimè accusabunt, atque damnabunt! Majores tamen numero sunt qui Deum non verbis, sed factis blasphemant; de quibus dicitur: *Blasphematur nomen Dei per illos* (*e*). Et sanè, quàm multos prava nostra opera ad congerendas in Deum blasphemias exstimulant! Christianos nos vident adeò irreligiosos, segnes, atque perversos; & non privatum scelus, sed universam Religionem nostram, ipsumque etiam Christianorum Deum improbè damnant: quamobrem præcipiebat Dominus: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est* (*f*). Annon experientiâ didicimus, si filios immorigeratos atque insolentes quis viderit, eorum statim parentes negligentiæ, segnitiei, nimiæ indulgentiæ, aut quandoque etiam criminum, quibus inquinati sunt filii, veluti participes ab illo incusari? Redundat filiorum dedecus in patris ignominiam; ideo per Sapientem dicitur: *Filius sapiens lætificat patrem* suum (*g*). Honorem ergo Deo, filii dilectissimi, semper in omnibus demus, eumque in aliis quoque excitare contendamus: sit nobis semper cordi ipsius honor & gloria. Quidquid cogitatis, dicitis, aut facitis, omnia in Dei honorem & gloriam facite (*h*).

Exi-

(*a*) *I. Joann. IV. v.* 20.
(*b*) *Ibidem v.* 10.
(*c*) *Ad Roman. VIII. v.* 7.
(*d*) *Malach. I. v.* 6.
(*e*) *Isaiæ LII. v.* 5., *& ad Roman. II. v.* 24.
(*f*) *Matth. V. v.* 16.
(*g*) *Proverb. X. v.* 1.
(*h*) *I. ad Corinth. X. v.* 31.

Exigit tertiò a nobis obedientiam Deus. At (quis inquiet) loquentem illum aut præcipientem non audimus. Loquitur profectò, filii, Deus; quotiescumque enim ejus Ministros auditis, illum auditis: *Qui vos audit*, ait ipse, *me audit* (*a*). Quinimo loquentem eum ad cor vestrum sæpius auditis; & tamen quoties præstare illi obedientiam renuitis? Christi fratris nostri primogeniti verba hæc erant: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me*(*b*). Et quid hac tam singulari obedientia promeruit? nempe, ut nomen ejus supra omne nomen ubique recoleretur, ut eum clarificaret multoties Pater voce delapsa de Cœlo, qua se in illo, tamquam in dilectissimo Filio, bene complacuisse profiteretur (*c*). Imitemur ergo tantum fratrem, si ejus cohæredes esse peroptamus. Verùm dura (dicitis) præcipit. Ah filii: Non ille dura præcipit, sed nimiùm molles vos estis; *jugum enim Domini suave est, & onus ejus leve* (*d*). *Dulciora sunt eloquia* ejus *super mel, & favum* (*e*). At (subditis) flagellat quandoque, corripit, castigat, paupertatem immittit, morbos infert, & mille aliis pœnarum generibus nos premit. Utique. Sed nonne paterni hæc sunt amoris indicia? Imo hinc percipite, vos ab illo tamquam carissimos filios, haberi protegi & diligi, ipsomet dicente: *Quos amo, arguo, & castigo* (*f*). Itaque alacri animo Deo obedite, unusquisque vestrûm secum hæc statuat: Pereat omnis hominum amicus favor & gratia; pereat omnis terrena cupiditas, illecebræ & commoda; ipsius etiam vitæ potiùs jactura fiat, quàm obedientiæ.

Imitari quartò Patrem debemus; non quidem ea imitatione, quæ illius bonitatem ac sanctitatem valeat adæquare, cùm infinitè omnes excedat; sed quantum vires patiuntur, curando, ut ad eam propiùs accedamus: *Sancti*, inquit Dominus, *estote, sicut èt Pater vester cœlestis sanctus est* (*g*). O quantum nobis prodesset, si, quoties aliquid aggredimur, cogitaremus, num illud Patris Cœlestis, ac Christi primogeniti, fratris nostri & Magistri sanctitati congrueret: Si ergo quod alienum prorsus ab ea est, aggredior ac cogito, imo in illicita omnia atque turpissima præceps feror, quomodo me Christianum appellabo? Quot peccata vitarentur, quàm multà sanctè fierent, si jugis hæc meditatio hominum cordibus insideret!

Filii

(*a*) *Lucæ X. v. 16.*
(*b*) *Joann. IV. v. 34.*
(*c*) *II. Petr. I. v. 17.*
(*d*) *Matth. XI. v. 30.*
(*e*) *Psalm. XVIII. v. 11.*
(*f*) *Apocal. III. v. 19.*
(*g*) *Levit. XI. v. 44., & Matth. V. v. 48.*

Filii demum cùm ſimus, nihil eſt æquum, juſtum, aut honeſtum, quod a tam pio Patre ſperare non valeamus. In omnibus ergo neceſſitatibus noſtris ad eum eſt confidenter accedendum: *Si* enim *vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris: quantò magis Pater veſter de Cælo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe* (*a*)? Et tamen, proh dolor! in humanis auxiliis ſpem utplurimum homines ponunt; cùmque inanis fuerit omnis conatus, tunc poſtremo loco ad Deum confugiunt. *Væ filii deſertores, dicit Dominus, ut faceretis conſilium, & non ex me: & ordiremini telam, & non per ſpiritum meum, ut adderetis peccatum ſuper peccatum: Quia ambulatis, ut deſcendatis in Ægyptum, & os meum non interrogaſtis, ſperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in umbra Ægypti. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confuſionem, & fiducia umbræ Ægypti in ignominiam* (*b*). Hæc ſunt, dilectiſſimi, quæ vos tanto munere donatos Deo reddere oportet, ne ingratitudinis arguamini, & de vobis Dominus dicat: *Filios enutrivi, & exaltavi: ipſi autem ſpreverunt me* (*c*).

Eja igitur, benigniſſime Pater, audivimus quæ a nobis exigebantur; agnovimus, quantum in iis hactenus defecerimus. Hodie annus expirat: Quoties per elapſos menſes te offendimus, atque ad vindictam provocavimus? Quàm multa viliſſima tibi in amore prætulimus? Quoties honorem tuum abjecimus? quoties per nos *blaſphematum fuit nomen tuum* (*d*)? Mandata tua millies transgreſſi ſumus; degeneravimus a te; mores a ſanctitate tua recedentes induimus; ad Ægyptum, ad Mundum, ad homines confugimus: *Jam non ſumus digni vocari filii tui* (*e*). Agnoſcimus indignitatem noſtram; malè annum conſumpſimus: Tibi totus debebatur; & tamen minimam, aut fortè nullam ejus partem tibi dicavimus. Infunde tu nobis Spiritum filiorum, & præſta, ut novum annum inchoaturi, renaſcamur, alios mores inſtituentes: Mortem potius oppetamus, quàm, ſicut hactenus egimus, vitam peccando tranſigamus. Impetret apud te nobis malè conſumpti anni veniam Sylveſter Beatiſſimus, impetrent Sancti omnes, impetret demum ipſe tuus Filius, qui ad hoc eſt natus, ut nos tibi filios efficeret, qui tecum vivit & regnat Deus in ſecula ſeculorum. Amen.

HO-

(*a*) *Lucæ XI. v.* 13.
(*b*) *Iſaiæ XXX. v.* 1. *& ſeqq.*
(*c*) *Ibidem I. v.* 2.
(*d*) *Ibidem LII. v.* 5.
(*e*) *Lucæ XV. v.* 19.

HOMILIA XC.

IN

CIRCUMCISIONE DOMINI

Habita in Basilica Metropolitana Mediolani

ANNO MDLXXXIV. I. JANUARII.



TAM multis ac mirabilibus prodigiis stipatur gloriosa Christi Nativitas, cujus hodie octavum colimus diem, ut non mirum sit, imo necessarium arbitrer, excitàri quemlibet nostrùm ad diligentissimè investigandum, quònam hæc omnia tendant; ad quem finem divinus hic Infans sit natus; quid facturus in Mundum accesserit. Joannes Baptista supremi hujus Domini Præcursor, qui èt ipse ex sterili matre natus, interceptum linguæ usum patri, cùm nasceretur, restituit, plerosque in admirationem maximam rapuit, ita ut dicerent: *Quis putas puer iste erit? Etenim manus Domini cum ipso est* (a). Sed si tantus tunc hominum mentes stupor invaserat, ut eos in hujusmodi interrogationes impelleret; quid æquum erit, hodie in tanta miraculorum congerie audiri? Quantum admirationis non excitabit in nobis divinus hic ortus, quem adhuc celebrare per[illegible]mus, tot cœlestibus signis fulgentem? Natus est Deus ex mu[illegible]ere, sed nascens virginitatis claustra non fregit; quæ namque [illegible]lum peperit, mater simul fuit & virgo; natus, inquam, ex muliere, sed sine ullo hominis concursu, de Spiritu Sancto conceptus; vili recubuit in præsepio, sed ab Angelis fuit annunciatus; humilis in stabulo, sed gloriosus in Mundo. Fovent illum bruta animalia, sed supplices accedunt adorare Pastores. Mirantur homines; creatura omnis obstupescit, ac novis quibusdam

(a) *Lucæ I. v. 66.*

busdam gaudiis terra, talem ac tantum proferens fructum, exultat. Ipsa Virgo intemerata, Dei Mater, res tam sublimes admirans *conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo* (*a*). Quàm igitur est æquum, ut dicat quilibet nostrùm: *Quis putas puer iste erit?* Quid Divinus hic Infans Mundo exoriens, facturus accedit? Dubitationes omnes abundè solvit, atque interrogationibus plenè satisfacit sanctissimum illud ac suavissimum JESU nomen, quod tenero Infantulo hodie imponitur, a Deo priusquam nasceretur eidem impositum. JESUS vocatur, quia Salvator est, & ad salvandum populum venit. O inclytum Nomen; o nobilissimum diem, duplici & tanto illustratum mysterio! Siquidem non solùm tam excelsi nominis recolitur impositio, quo nascentis intentio ac scopus exprimitur; verùm etiam Christi Circumcisio celebratur, qua manifestè docemur rationes ac media, quibus id opere perficiet, quod facturus advènit. Duo hæc igitur nostri erunt sermonis argumenta.

Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer: vocatum est nomen ejus Jesus (*b*). Hic sese offert primò non minima consideratione dignum, quòd in veteri Testamento ad Circumcisionis tempus, nominis differebatur impositio; in novo autem usque ad Baptismum: Donec enim quisque a gentibus, & a ceteris nationibus non segregaretur, & in filiorum Dei numero describeretur, ei nomen non imponebatur. Gemina gaudet homo generatione, alterâ secundùm carnem, qua Mundo nascitur; alterâ secundùm spiritum, qua Baptismo renascitur: Itaque docebat Spiritus Sanctus, nativitatis carnalis nullam esse habendam rationem; priori siquidem generatione miseri nascimur, peccati irretiti, mille calamitatibus obnoxii; at posteriore ab his liberamur: Idcirco tunc verè homo nasci existimandus est, cùm per gratiam in Baptismo regeneratur ad vitam; non verò cùm peccatis illaqueatus secundùm carnem nascitur, æternæ mortis reus. Hæc mihi consideranti venit in mentem illa Job Sanctissimi viri detestatio, ita loquentis: *Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est: Conceptus est homo* (*c*); quasi diceret: Nulla habeatur ratio nativitatis secundùm carnem, qua nati sumus ad mortem; sed regenerationis, qua restituimur ad vitam. Ideo homines tum demum certis nomi-

(*a*) *Lucæ II. v.* 19.
(*b*) *Ibidem v.* 21.
(*c*) *Job III. v.* 3.

nominibus appellari consueverant, cùm veram acquirerent vitam: quam professò afferre non potest secundùm carnem nativitas, quæ mortis potiùs est appellanda, quàm vitæ exordium. Tunc verè incipit, dilectissimi, quispiam vivere, cùm peccati vinculis exolutus spiritu vivit, & ad Deum, qui verum est esse, & a quo omne esse derivatur, propiùs accedit.

Quis verò prima Sacri Evangelii verba legens, quibus de nomine JESU agitur, non animadvertat, quanto mysterio ac consideratione id illi fuerit impositum nomen, *quod vocatum est* a Deo, Angeli voce, *priusquàm in utero conciperetur?* Attamen quantùm in hac re negligentes, & inconsiderati sunt horum temporum homines! Describitur Infans per Baptismum in Catalogo Servorum Dei, & imponunt ei plerique nomen, quod refert Diaboli servos, vel ethnicos & gentiles, a quibus tunc ille segregatur. O deplorandam plurimorum cæcitatem! Accedunt infantes ad Ecclesiæ januam, Divino obsequio se mancipant, abrenunciant Satanæ, Mundo, & pompis ejus; & tamen eorum genitores nominibus eosdem volunt appellari planè contrariis Instituto quod suscipitur, ac vitæ quæ inchoatur. Vocant illos nominibus aut infidelium Heroum, aut Avorum, a quibus originem traxerunt secundùm carnem; cùm tamen carnis origo oblivioni sit potiùs omnino tradenda; imo etiam ab eo, qui recta sapit, rejicienda, utpote quæ calamitatum innumerarum fuerit principium, & per quam homo, animo multò fœdior quàm corpore, in hanc lacrymarum vallem prodierit. Non hujusmodi nomina, fratres, imponere debetis filiis vestris; sed talia, quæ futurum illorum in omni vita officium exprimant; nomina eorum memoriam referentia, qui in eo maximè præstiterunt atque excelluerunt, in quo debent, quamdiu vixe-t, insudare (a).

Hujusmodi nomen Redemptori nostro congruentissimum, hodie

(a) Ad extirpandam pravam hanc consue-inem imponendi nomina ethnicorum infan-s Baptismo abluendis, Decretum edidit San-s Carolus in Concilio Provinciali IV. „ Cu-et Parochus, ut infantibus proprio nomine n Baptismo appellandis, ea nomina non im-onantur, quæ turpia, aut ridicula sunt, uæve gentilium, atque adeò impiorum & npurorum hominum memoriam referant; d illorum, qui ob veræ pietatis, ac sanctæ eligionis, virtutisque Christianæ laudem, „ Sanctorum numero adscripti sunt; ut et in „ ipso vitæ ingressu, cum ethnicis ne nomen „ quidem commune Fideles habere velle pro-„ testentur; & ipsi infantes etiam cùm ætate „ processerint, nominum similitudine ad co-„ rum, a quibus illa accepta sunt, imitatio-„ nem excitentur; & præterea quos imitari „ studeant, eosdem quoque frequentiùs pre-„ centur, ac sperent, eos potissimùm sibi ad „ salutem tum animæ tum corporis advocatos „ fore.

hodie impositum est, per quod omnis ejus futura vita, omnis actio exprimeretur, nempe JESUS, hoc est Salvator: proprium admodum Christo nomen, & adeò proprium, ut præter ipsum alii nemini propriè competat. Licèt autem antiquitus nomen hoc aliquibus legatur tributum; fuit id tamen non propriè, sed eatenus concessum, quatenus illi aliqua ex parte Christum referebant. Josue Hebraici populi Dux, Moysisque successor dignissimus, hoc illustratus fuit nomine; non secus ac Jesus filius Sirach (*a*), & Jesus filius Josedech (*b*): sed typus fuerunt hi omnes hujus veri Salvatoris, cui hoc nomen est inditum, *quod vocatum* fuerat *ab Angelo, priusquam in utero conciperetur*. Eorum primus, qui Hebræum populum in terram Promissionis eduxit, figuram Christi gessit, qui *ascendens in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus* (*c*): Alter verò, qui Ecclesiastici Librum compilavit, sapientiâ suâ, Jesum verum, qui vera est Patris cœlestis sapientia, referebat: Postremus denique, cujus Zacharias meminit (*d*), qui cum Zorobabel filio Salathiel Templum collapsum Domini erigere cœpit, duplici titulo Dei Filium adumbravit; & quia Templi diruti restauravit ruinas, & quia Sacerdotis magni honore fulsit. Dominus Jesus verè ipse fuit & solus, qui nostras implevit ruinas, & verus Pontifex, qui *per proprium sanguinem introivit semel in sancta* (*e*). Appellatus est quoque Joseph, Pharaonis jussu, *Mundi Salvator* (*f*), eò quòd singulari providentia universam Ægyptum a fame, & cibi penuria liberasset. Ceterùm isti omnes impropriè hujusmodi sortiti sunt nomen; majestas namque tanti nominis illorum conditionem facilè superabat. Siquidem ipsi non omnes, sed peculiares aliquos populos salvarunt; & quam, obsecro, salutem, nisi temporalem, attulerunt? Christus verò venit universum Mundum salvare; per ipsum aperta est omnibus ad salutem porta, dummodo ejusdem incapaces se non reddiderint: hoc est namque, quod dicitur: quia *quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*g*). Qualem verò, bone Jesu, nobis salutem comparasti, quàm plenam, quàm omni ex parte perfectam! Non a Babylonica nos dumtaxat, aut Ægyptiaca Pharaonis, sed a peccati, & dæmonis servitute salvasti; proinde multò excellentiorem

(*a*) *Ecclesiastici LI. v.* 1.
(*b*) *Ibidem XLIX. v.* 14.
(*c*) *Ad Ephes. IV. v.* 8.
(*d*) *Zachar. III. v.* 1.
(*e*) *Ad Hebr. IX. v.* 12.
(*f*) *Genes. XLI. v.* 45.
(*g*) *Joann. I. v.* 12.

rem quàm illi acceperint ſalutem nobis contuliſti. Medicus, qui unam tantùm curare noverit infirmitatem; qui morbos quidem curet, ſed eorum cauſas ignoret; qui denique uni ſolùm, non verò omnibus mederi ſciat, is non bonus profectò cenſendus eſt Medicus. Chriſtus morbos omnes depulit, morborum cauſas extinxit, & omnibus veram attulit ſalutem: Ideo JESUS, quod eſt Salvator, meritò nuncupatur.

Sancti hujus nominis rationem Angelus perhibens inquit: *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum* (a). Venit Chriſtus non peculiares aliquos dumtaxat morbos curare, uti cæcitatem, ſurditatem, lepram, paralyſim, febrim; ſed morborum omnium in primis ſuſtulit cauſam. Humanum genus per peccatum e Cœli poſſeſſione dejectum, hiſce omnibus infirmitatibus redditum erat obnoxium; inde febres, ſtomachi contorſiones, membrorum diſſolutio; hinc inopia, frigora, æſtus, & tot, quibus hìc premimur, anguſtiæ profluxerunt. Ob peccatum fuerat homo donis gratuitis ſpoliatus, & in naturalibus ſauciatus atque admodum imbecillis effectus. Quid egit optimus Salvator & Medicus Chriſtus? Mortis primùm cauſam evertit, peccatum deſtruxit; eoque depulſo univerſum humanum genus priſtinæ ſaluti reſtituit.

Quandoquidem verò id non ſemel tantùm ipſi, dum viveret in terris, præſtandum erat, ſed etiam in Cœlis, prout continuò tamquam proprium officium & munus nunc quoque exercet; ideo nomen hoc JESU jure ei eſt attributum: Sicuti enim non is dicitur artifex, qui bis tantùm aut ter, quæ illius ſunt artis, exequitur, ſed qui in iis agendis ſæpius verſatur; ita, cùm ſalutem noſtram ſemper intenderit Dominus, eamque operatus ſit, ac perpetuò operetur, meritò nomen hoc inditum illi fuit. Sanè ad quem ſcopum tot illius opera dirigebantur, niſi ut nobis ſalutem compararet? Cur e Cœlis deſcendit factus homo; cur prædicationi tanto ardore incubuit, turbas & diſcipulos docuit, mirabilia eſt operatus; cur demum paſſus, mortuus, & ſepultus, niſi *propter nos homines, & propter noſtram ſalutem*? Quid verò in Cœlis quoque ad dexteram Patris ſedens agit, niſi hanc ſalutem noſtram promovere; pro ea ad Patrem interpellare, & advocare pro nobis? Nam licèt non ampliùs eamdem, ut paſſibilis, operetur, de illa tamen non deſinit eſſe ſolicitus. Huc

(a) *Matth. I. v. 21.*

Huc omnis ejus de nobis providentia, cura, noſtrique gubernatio tendit. O quantum Sanctiſſimo huic Nomini debemus, filii, in quo omnis noſtra ſalus conſiſtit! *nec enim alius nomen eſt ſub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri* (*a*). Hoc nomine David Sanctiſſimus ſalutem poſtulabat, dicens: *Deus in nomine tuo ſalvum me fac* (*b*). Verè *fidelis ſermo*, *& omni acceptione dignus* (inquit Apoſtolus) *In hoc enim laboramus*, *& maledicimur*, *quia ſperamus in Deum vivum*, *qui eſt Salvator omnium hominum*, *maximè Fidelium* (*c*). Hoc nomen Martyribus fortitudinem inſpiravit, hoc in tormentis conſtantiam, hoc in morte ſolatium, quia cum Apoſtolo *ſperabant in Deum*, *qui eſt Salvator omnium*. Et meritò *fidelis ſermo* Domini; quæ namque ſalus toties antiquis Patribus fuerat promiſſa, a tam multis prædicta, tot adumbrata figuris, tamdem advènit, cùm hodie *Salvatoris* nomen Chriſto Domino impoſitum fuerit, de quo Iſaias prædixerat: *Et vocabitur tibi nomen novum*, *quod os Domini nominabit* (*d*). Prædixerat porrò Divino ſpiritu afflatus Iſaias plura alia incarnati Verbi nomina inquiens: *Vocabitur Emmanuel* (*e*); & rurſum: *Voca nomen ejus: Accelera ſpolia detrahere* (*f*); & denique: *Vocabitur Admirabilis*, *conſiliarius*, *Deus*, *fortis*, *pater futuri ſeculi*, *Princeps pacis* (*g*); & apud Zachariam legimus: *Ecce vir oriens nomen ejus* (*h*). Verùm in admirabili hoc JESU nomine omnis divinorum nominum virtus atque majeſtas includitur: Nam qui JESUM nominat, *Emmanuelem*, *admirabilem*, *conſiliarium*, *fortem*, *Deum*, *pacis Principem* (*i*): *Orientem*, *Dei ſervum* (*k*), Chriſtum eſſe teſtatur: Quis enim alius eſt *Emmanuel*, *quod eſt interpretatum*: *nobiſcum Deus* (*l*), niſi Jeſus Salvator Chriſtus? Verè *nobiſcum Deus*; eſt enim *Deus*, de Deo, & a Patre Deo genitus; *nobiſcum* verò, quia *propter nos homines*, *& propter noſtram ſalutem deſcendit de Cælis*, *& incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine*, *& homo factus eſt*. Hic autem ſic homo factus *admirabilis* eſt; nam quid majori dignum admiratione, quàm Deum hominem fieri; & quæ infinito diſtabant intervallo, ùt Creator & creatura, in tantum redigi commercium, tantàque unitate conſtringi, ut ipſum *Verbum* Divinum, ſit *caro factum*?

Factus

(*a*) *Act. Apoſt. IV. v. 12.*
(*b*) *Pſalm. LIII. v. 3.*
(*c*) *I. ad Timoth. IV. v. 9. & 10.*
(*d*) *Iſaiæ LXII. v. 2.*
(*e*) *Ibidem VII. v. 14.*
(*f*) *Ibidem VIII. v. 3.*
(*g*) *Ibidem IX. v. 6.*
(*h*) *Zachar. VI. v. 12.*
(*i*) *Iſaiæ IX. v. 6.*
(*k*) *Zachar. III. v. 8.*
(*l*) *Matth. I. v. 23.*

Factus autem est homo, ut hominum esset verax & fidelissimus *consiliarius*. Et quia non solùm homo, sed etiam Deus est, ideo *fortissimus* est, cùm morte sua mortem nostram destruxerit, & vulneribus suis antidotum efficacissimum morbis nostris paraverit. Is ipse verè apud Deum *pacis*, & reconciliationis auctor & *Princeps* extitit. Videtis-ne, quomodo in nomine Jesu, Christi virtus, & majestas divinorum nominum tota comprehenditur? Nam qui hominem ab æterna pernicie, in quam peccando se conjecerat, eripuit, Deus est, cui soli competit hominem servare, & perdere: Sed qui sanguinem fudit, ut salutem hanc hominibus compararet, homo est. Quare JESUS & Dei & hominis nomen est.

Longum foret omnia, quæ Christo attribuuntur, nomina recensere: sive enim Pater, Frater, & Medicus, sive Lux, Oriens, & Magister, sive Agnus, Leo, & Petra nuncupetur, omnia in hoc solo divino JESU nomine continentur. Quid igitur mirum, si, Sanctæ Matris Ecclesiæ ritu & consuetudine, quotiescumque sanctissimum hoc nomen auribus insonat, Fideles statim, ut illud venerentur, caput aperiant, ac etiam in genua procidant? Quæ umquam tanta potest ei adhiberi reverentia, quin major adhuc desideretur? Sublimissimum nomen, Deum exprimens & hominem, salutis nostræ auctorem referens, potest-ne condigna umquam veneratione celebrari? Nomen, inquam, illud, quod perfectissimâ obedientiâ suâ Christus sibi a Patre est consecutus: *factus enim obediens usque ad mortem: mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine JESU omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum* (a). O verè venerandum nomen, quod èt Angeli adorant, eò quia per ipsum, etiam ante Christi incarnationem, se confirmatos in gratia & salvatos agnoscunt; cui terrestrium omnium genua curvantur; per quod e Tartari faucibus homines evaserunt; in quo justorum animæ, qui debitâ pœnitentiâ minimè peractâ hinc recedentes, Purgatorii ignibus expiantur, spem suam reponunt; quod Dæmones contremiscunt, ejus enim nomen audiunt, qui Infernum spoliavit, & Diaboli vires debilitavit ac fregit! Nomen hoc infinita virtute pollet, cùm eidem mirabilia omnia, quæ operati sunt, Sancti Dei servi debeant accepta, perhibente Domino: *In nomine*

(a) *Ad Philippens. II. v. 8. & seqq.*

ne meo Dæmonia ejicient: linguis loquentur novis: Serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt (*a*). Hoc tantæ efficaciæ nomen est, ut de eo dixerit, qui mentiri non potest: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (*b*). Venerandum igitur atque adorandum, amabile ac sanctissimum divinum hoc JESU nomen, felicitatum omnium & salutis nostræ principium, quis non admiretur, non colat, non toto demum prosequatur cordis affectu? Quis illud audiens, non caput tantum aperiat aut genua flectat, sed ad terræ etiam usque viscera (si fieri posset) se deprimat, tot sibi exhibita beneficia mente revolvens? Hoc est quod Isaias prævidens dicebat: *Nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ* (*c*). Hoc quippe nomen est, quod tantopere Sancti illi Patres in votis habebant, & continuis precibus a Deo efflagitabant; hoc, inquam, nomen, quod in Christianorum ore versari semper deberet, atque in eorum cordibus esse insculptum. Te felicem, Paule Apostole, qui hujus tantâ frequentiâ delectabaris (út ex tuis ipsis Epistolis facilè conjici potest) qui ejus noveras dulcedinem, & suavitatem immensam! Te felicissimum, Ignati, qui id toties repetebas, ac in corde vivis literis expressum continebas! quemadmodum, te mortuo, omnium oculis patuit (*d*). O cor numquam corruptione absumendum; cor beatissimum, in quo beatitudinis auctor, imo beatitudo ipsa & Paradisus gestabatur insculptus! Verè *ex abundantia cordis* tui, *os* tuum *loquebatur* (*e*); quæ autem & qualia existimanda sunt, quæ loquebaris verba; quàm ignita, quàm cœlesti caritate repleta! Hinc intrepidè proferebas: *Utinam fruar bestiis, quæ mibi sunt præparatæ, quas & oro mibi veloces esse ad interitum & ad supplicia, & allici ad comedendum me; ne, sicut èt aliorum Martyrum, non audeant corpus attingere! Quod si venire noluerint, ego vim faciam, ego me urgebo, ut devo-*

(*a*) *Marci XVI. v. 17. & seq.*
(*b*) *Joann. XVI. v. 23.*
(*c*) *Isaiæ XXVI. v. 8.*
(*d*) Cùm Sanctus Ignatius Martyr semetipsum passim *Theophori* cognomento appellaverit, scribendi occasio data est Historicis seculi XIII., qui ejusdem Vitam vulgarunt, inventa esse in corde Sancti Ignatii sacrosancta verba JESUS CHRISTUS, divino miraculo aureis literis exarata; Bollandistæ tamen ad diem 1. Februarii adnotant, Græcos tradere, carnem omnem hujus Martyris comestam fuisse a leonibus, & solidiora tantùm ossa relicta; quapropter subjungunt: „ Illustre hoc miraculum, si factum fuisset, vèl maximè in Dei gloriam, & „ bonam tanti Martyris famam redundasset; „ & tamen altissimo silentio antiquorum Scriptorum & Græcorum, & Latinorum involvi- „ tur „. Verè tamen Ignatius Jesum Christum ferebat in corde; interrogatus enim a Trajano, cur *Theophorus* appellaretur, respondit: *Qui Christum habet in pectore, ille est Theophorus*. De hac re nonnulla adnotavimus in Homilia XLII. Tom. I.
(*e*) *Matth. XII. v. 34.*

devorer. Ignoscite mihi, filioli; quid mihi prosit, ego scio. Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his, quæ videntur, desiderans, ut Jesum Christum inveniam. Ignis, Crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta Diaboli in me veniant; tantùm Christo fruar (*a*). Sauciatum erat cor tuum dulcissimo hoc nomine. Utinam id nobis omnibus contingat! Dicat unusquisque nostrùm ad se ipsum: *Benedic anima mea Domino: & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus* (*b*). Cor meum, anima mea, intellectus, memoria, voluntas, omnia membra mea, sensus omnes *benedicant nomini sancto ejus*, a quo veram salutem acceperunt; per quem a tot malis evaserunt: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis*; qui peccata, calamitatum omnium radices evulsit, & quotidianis tuis delictis, quoties ad eum recurris, ignoscit: *qui sanat omnes infirmitates tuas* (*c*), non solùm animam curans, sed etiam corpus: *qui redimit de interitu vitam tuam*; qui ab æterna te morte, cui eras obnoxius, eripuit, & mortem tuam, sua morte destruxit: *& coronat te in misericordia, & miserationibus* (*d*) [nisi enim undequaque tegeremur, & ejus misericordiâ veluti umbraculo operiremur, væ nobis!]; *qui replet in bonis desiderium tuum*; quidquid enim boni concupiscis, quidquid salutare petis, in ejus nomine consequeris; per quem tamdem *renovabitur ùt Aquilæ juventus tua* (*e*); hic enim in terris vita tua mutabitur, deposito nempe veteri Adamo, novum hominem indues, & in futurum cùm resurges *in mensuram ætatis plenitudinis Christi* (*f*): hæc autem omnia fortissimum hoc, & suavissimum JESU nomen præstabit.

SECUNDA PARS.

[Præter consuetas eleemosynas, enixè vobis, filii, commendamus in Domino *Pauperes mendicantes* (g), maxima in necessitate plurimis ab hinc diebus constitutos. Vestra caro sunt, fratres

(*a*) Verba sunt ipsius Ignatii Episcopi & Martyris in Epistola ab eodem ad Romanos scripta.

(*b*) *Psalm. CII. v. 1.*

(*c*) *Ibidem v. 3.*

(*d*) *Ibidem v. 4.*

(*e*) *Ibidem v. 5.*

(*f*) *Ad Ephes. IV. v. 13.*

(*g*) Pauperes mendicantes illi erant, quos ostiatim stipem quærentes, ut ab inopia & ocii pernicie subtraheret, Sanctus Carolus in unum collegit, traduxitque ad ipsis paratum hospitium, nuncupatum *S. Mariæ de Stella*: lisdem autem anno MDLXXXII. Regulas præscripsit, curamque illorum claris nobilitate Viris, e singulis Urbis regionibus delectis, commendavit. Ætate nostra locus iste excipiendis pueris, fœminisque patre orbatis inservit, paternæ caritatis Sancti Caroli illustre vestigium; tantaque est Præsidentium ejusdem regimini pietas & diligentia, ut in præsentiarum CCCLXXX. continuò alantur, Christianis moribus optimè instituti, & ad varios manuum labores exercendos addicti.

tres vestri sunt; *nolite claudere viscera vestra ab eis* (a), ut sit Deus vobiscum. Nobilissimum est caritatis genus eis subvenire, cùm spiritualia simul & corporalia misericordiæ opera exerceantur: Dum enim eos pascitis, & eorum egestatibus subvenitis, de eorum corporibus bene meremini; dum verò per hoc rectè educantur, & salutaribus præceptis ac moribus Christianis imbuuntur, eorum quoque animas juvatis. Profundite igitur hodie liberalem stipem non in hoc Templo tantùm; sed ad eos etiam subsidia deferte, sacratissimis hisce diebus ad id præstandum invitati. Felicissimum huic anno principium date, piissimum hoc opus edentes, in ejus venerationem, qui, cùm Deus esset, pro vobis homo fieri voluit, & nasci mendicus.]

Circumciditur hodie Christus tam mirabiliter natus, & eidem a Deo nomen imponitur. Sed cur Circumcisionis subis jugum, Mundi Redemptor? An ut Legem, quam tu ipse dederas Abrahæ, impleres? Equidem illam in peccati remedium statueras; qui ergo sine peccato & conceptus & natus ex Virgine fueras, quid Circumcisione opus habebas? O infinita Dei dignatio! quis eam mente valeat complecti, nedum verbis exprimere? Magnum profectò, imo maximum erat cogitare, quòd tu, Deus cùm esses, e Cœlis descendere voluisses, & homo fieri. At peccatoribus assimilari, peccati remedium sumere, & sanus cùm sis, medicinam ebibere, incomprehensibile hoc est. Operatus est plurimis, iisque maximis mysteriis, salutem nostram, dilectissimi, Dominus Jesus; at nusquam fortè major eluxit humilitas, quàm in hodierno; cetera quippe pluribus signis & miraculis illustrata fuerunt, hodiernum nullo. Nascitur quidem homo humilis & pauper in præsepio, inter bruta animalia, fœno & paleis innixus; ex paupere Matre: Sed Deum habet Patrem, annunciatur ab Angelis, adoratur a Pastoribus, invisitur a Magis, munera eidem tamquam Regi offerentibus; oritur nova Stella, innumera elucent miracula; totus denique terrarum Orbis commovetur. Quinimo Crux ipsa, in qua inter latrones confixus, adeò fœdæ morti adjudicatur, nonne pendentis majestate illustratur, ac signorum multitudine micat? Quid illa Solis & Lunæ obscuratio, petrarum scissio, monumentorum aperitio? quid Centurio pectus suum percutiens, & dicens: *Verè filius Dei erat iste* (b)? Quid, inquam, hæc omnia, & alia quàm plurima? Nonne

(a) *I. Joann. III. v.* 17. | (b) *Matth. XXVII. v.* 54.

Nonne latentem in summa Humanitatis ignominia Divinitatis gloriam indicabant? Figuram etiam peccatoris induit in Baptismo a Joanne suscepto, cùm remedium èt illud foret peccati, sicuti Circumcisio (*a*): Ibi tamen vox Patris de Cœlo intonuit dicentis: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui: ipsum audite* (*b*); seque sub Columbæ specie, Spiritus Sanctus spectandum præbuit. In Circumcisione verò homo tantùm, imo peccator, hominum oculis Dei Filius exhibetur. Nulla eum circumstant gloriæ signa, nullum effulget miraculum, nulla ejus Divinitatis aperta testimonia cernuntur. O quàm se pro nobis hodie demisit Divina Majestas! quò pervènit illius summa dignatio! Verè excessus dignationis est iste. Confundere jam humana superbia, quæ tegere niteris, & occultare peccata tua; quoniam Dei Filius innocentissimus, quæ non rapuit, hodie exolvere (*c*) incipit. Verè tu primorum Parentum es filia; & Adæ imaginem refers, qui statim ac peccavit, foliis ficus se operuit, & vocante Deo, sese dedit in fugam (*d*): sed quò miser a facie Dei fugere potuisset? Quàm multi hodie peccata sua etiam Deo celare se posse existimant, & ei qui *corda scrutatur, & renes* (*e*), qui *videt in abscondito* (*f*), operire nituntur! Ad Pœnitentiæ Tribunal accedunt, sed mille ambagibus & excusationibus leviores culpas suas reddere student; imo etiam sacrilegè quandoque reticent. Impudenter peccant; frontem meretricis induunt, dum, vidente Deo, & spectantibus Sanctis Angelicis Spiritibus, turpissima quæque perpetrare non timent; & cùm ad medicinam est accedendum, eam sumere erubescunt. O scelestum & diabolicum pudorem, o perniciosissimam Dæmonis artem, qua efficit, ut quæ facere non puduit, pudeat confiteri!

Remedium ergo Circumcisionis, quo nullatenus egebat, hodie suscipit Dominus; & multis quidem de caussis, sed hac potis-

(*a*) Gravis quæstio est inter Theologos, utrum Circumcisio esset remedium Peccati Originalis, an tantùm signum, quo Populi Judaici a ceteris Gentibus carnalis distinctio fieret. Sanctus Thomas (quem passim sequebatur Sanctus Carolus) post varias enumeratas in hac re opiniones, eam ita solvit Part. III. Quæst. LXII. Art. VI. in Corp. „ Ideo meliùs dicendum videtur, quòd Circumcisio, sicut èt alia Sacramenta veteris Legis, cùm non haberet in se aliquam virtutem, qua operaretur ad conferendam gratiam justificantem, erat solùm signum fidei justificantis, unde Apostolus dicit (ad Roman. IV.) quòd *Abraham accepit signum Circumcisionis, signaculum justitiæ Fidei*; & ideo in Circumcisione conferebatur gratia, in quantum erat signum Passionis Christi futuræ.

(*b*) *Matth. III. v. 17., & Lucæ IX. v. 35.*

(*c*) *Psalm. LXVIII. v. 5.*

(*d*) *Genesis III. v. 7. & 8.*

(*e*) *Psalm. VII. v. 10.*

(*f*) *Matth. VI. v. 18.*

potiſſimùm, ut oſtendat, qua ratione ac medio ſalutem, quæ ex nominis impoſitione indicatur, hominibus conferre velit; quod ex duobus dicendis erat poſtremum. Itaque cùm ſanguine ſuo Salvatoris munus implere ſtatuiſſet, ſanguinem hodie effundere incipit. O cariſſimum ſalutis pretium! Sanguine perficienda eſt humana redemptio. Quemadmodum verò ſolicitus Mercator, qui rei alicujus maximum pretium agnoverit, ſtatim pro ea arrham præſtat, ne cum altero contractus ineatur, ſed ipſi ſoli ſervetur; ita Dominus, in cujus oculis pretioſiſſima erat hominis anima, eam e Dæmonis ſervitute liberaturus, tempeſtivè redemptionis hujus pignus hodie exhibet atque arrham. Adhuc infantulus ſanguinem fundit, quem poſtea totum eſt copioſiſſimè profuſurus. Incipit hodie ſalutem noſtram ardentiſſimè expetere, & ſolicitè operari, non ceſſaturus, donec morti concedat; quin etiam mortuus, quidquid in corpore ſanguinis aut humoris ſuperfuerit, id omne e ſinu ſauciato tranſmittet. Cùm ergo incipiat Chriſtus Infans tanto ſui dolore, ſaluti noſtræ conſulere, fieri-ne poterit, ut nos in extremam ſenectutem, in mortem uſque de ea cogitare differamus?

O qualis liber eſt, hæc Domini noſtri Circumciſio, ſanguineis notis conſcriptus! Quanta in illo doctrina continetur! Diſcite hinc, filii, quàm gravis ſit peccati macula, quæ non alterius, quàm Filii Dei morte fuerit expianda. Diſcite, quàm illud fuerit Æterno Patri exoſum, qui ut peccatum exterminaret, *proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum* (a). Diſcite, quis ſit Inferni horror, quàm magni illi cruciatus, quàm horribiles pœnæ; quoniam, ut eas evitaremus, Chriſtus, æterna Patris Sapientia, qui omnia noverat remedia, mortem amplecti voluit, & ſanguinem lubens effudit. Diſcite, & agnoſcite Dei in genus humanum non magnam tantùm, ſed nimiam caritatem; quis enim umquam, ut ſervum redimeret, morti tradidit filium? At Deus hoc fecit; & hodie Filius pretium ſanguinis pro ſervi ſalute ſolvere non dedignatur. Diſcite, quàm magna ſit cœleſtis gloriæ felicitas atque tranquillitas, cùm, ut eà potiamur, Jeſus Dei Filius occluſas Cœli portas hodie incipiat, vulnus patiendo, reſerare. Agnoſcite, quàm gravis & metuenda ſit divina in peccatores vin-

(a) *Ad Roman. VIII. v.* 32.

vindicta, quando, ut ejus iræ gladius a nobis pertransiret, Cœlestis Agnus suo ipso sanguine animarum nostrarum postes hodie intingit (a). Discite demum, quàm pretiosa res sit anima vestra, quam sui quoque sanguinis impendio salvaturus accessit Dominus Jesus. Agnoscite, quia *non corruptibilibus auro vel argento redempti estis* (b), sed pretiosissimo sanguine immaculati Agni Jesu Christi. O me miserrimum! Quid solicitudinis ac diligentiæ aggredior, ut tam pretiosas animas mihi a Deo commissas custodiam? Animadvertite, quanta vobis pericula immineant, o Animarum Pastores, si irritum feceritis Christi sanguinem; si negligentiâ vestrâ has oves, quas tanto pretio emit Christus, perire permiseritis. O infelicissime & amens peccator, mercem adeò pretiosam, tu lucro vilissimo, Dæmoni vendes? Ut obulum compares, diem festum servilium operum vetito labore violabis, illicitos agens contractus? Ut corporis voluptatibus vaces, animam perdes, æternæ gloriæ jacturam nihilì habebis, horrendis Inferni ignibus te ipsum condemnabis, tantum denique Dei in te amorem contemnes? Stupidissime, ingratissime. Hoc, filii, vobis sit curæ: hoc sit potissimum, imo solum vestrum negotium, animas vestras salvare. Dico solum; cetera quippe *omnia vanitas* sunt, & *vanitas vanitatum* (c), & nihil nobis proficiunt: *Quid enim prodest homini, si Mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur* (d)?

Quòd si cruentam hanc viam, & laborum ac dolorum plenam, ad vos salvandos elegit Dominus; erit-ne quispiam vestrûm ita mente captus, ut per carnis delicias incedens, eam invenire se posse confidat? Procul a vobis, filii, ista dementia. Aureum erat Salomonis ferculum, sed purpureis gradibus eò conscendebatur (e). Infinita est æterna felicitas, sed per sanguinem in purpura adumbratum, per cruciatus, tribulationes, & incommoda, ad eam est perveniendum. Christus sanguinis effusione, flagellis, spinis, cruce vos salvat; & vos voluptatibus diffluetis, ventri & gulæ indulgebitis? Pudeat vos Christianos appellari, Christo capiti vestro adeò dissimiles; pudeat tantæ ingratitudinis reos fieri. Terreant vos gravia illa Apostoli verba:

(a) Exod. XII. v. 7.
(b) I. Petri I. v. 18.
(c) Ecclesiastes I. v. 2.
(d) Matth. XVI. v. 26.
(e) Cant. Cantic. III. v. 9. & 10.

ba: *Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prævaricatio, & inobedientia accepit justam mercedis retributionem: Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem* (*a*)*?* Si lex a Deo, ministrantibus Angelis, Hebræo populo tradita, adeò fuit confirmata, ut quicumque illam vèl minimum transgrediebantur, statim absque venia acerbissimis pœnis subjicerentur: Nos, qui tanta accepimus beneficia, qui tot vidimus signa, qui tam pretioso fuimus Dei Filii sanguine redempti, quomodo impunè peccabimus, quomodo peccantes divinam *effugiemus* vindictam, quomodo *tantam negligentes salutem*, ingratitudinis tam horrendæ pœnas non dabimus? Eja igitur, dilectissimi; incipit hodie novus annus; primus hic est anni dies. Cur ego jam vos omnes ex corde clamantes non audio: recedant vetera, nova sint omnia (*b*), corda voces & opera? Innoventur hodie apothecæ nostræ; non in eis ampliùs sit fraudibus locus, atque mendaciis: Innoventur domus nostræ: Innovetur vita nostra. Utamur in posterum frequentiùs Sacramentis Sanctissimis, quibus Divinus nobis Sanguis communicatur. Longè a nobis absit peccatum; mille potiùs mortes subeamus, quàm ut vèl semel Deum in nos tam beneficum provocemus: *Expoliemus veterem hominem cum actibus suis, & induamus novum* (*c*), scilicet Jesum Christum. O bone Jesu, qui in hunc Mundum venisti, ut esses mihi Jesus; qui hodie sanguinem effundens, mihi Jesus esse cœpisti, esto mihi, te obsecro, nunc & semper Jesus. Amen.



HO-

(*a*) *Ad Hebr. II. v.* 2. & 3.
(*b*) *II. ad Corinth. V. v.* 17.
(*c*) *Ad Colost. III. v.* 9. & 10.

HOMILIA XCI.

AD CANONICOS

TEMPLI MAJORIS ET COLLEGIATARUM ECCLESIARUM MEDIOLANI

Habita in domestico Sacello Archiepiscopali

ANNO MDLXXXIV. II. JANUARII.



ANNI hæc innovatio ac principium, dilectissimi fratres, cunctis omnium conditionum hominibus solet stimulus esse ac excitatio ad novam vitam instituendam, novos mores proponendos, nova demum excogitanda & agenda. Quòd si apud omnes hujusmodi novitas vim maximam habere consuevit, quantò majorem apud Sacerdotes, & clericalem vitam profitentes habere jure debebit? Inter hos verò, apud eos, qui in Clero ceteris præeminent, & aliorum sunt veluti luminaria, quales vos estis in Civitatis hujus & Diœcesis Ecclesiis. Nova autem vobis meditantibus atque aggredientibus, necessarium esse quis dubitet, priùs inspicere qualia fuerint vetera? Si namque legi Dei conformem, & gradui vestro congruentem vitam hactenus duxistis, supervacaneum esset de novitate tractare; nisi fortè de augendo pietatis, ac religionis studio atque fervore ageretur. Si tamen hucusque absonos a vocatione vestra mores instituistis, utile admodum vobis omnibus & nobis fuerit, si anni præteriti ab unoquoque nostrûm rationes exigamus, & serio quodam examine inquiramus, qualiter quisque nostrûm coram Domino Deo dignè ambulaverit. Ad hoc invitabat Jeremias, cuilibet nostrûm dicens: *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines. Dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulasti. Revertere virgo Israël, revertere ad Civitates tuas istas* (a). Scrutare scili-

(a) *Jerem. XXXI. v. 21.*

ſcilicet vitam tuam elapſam, recogita annos tuos, mores tuos præteritos tibi ob oculos pone: veluti *e ſpecula* quadam annum tranſactum diligenter conſidera. Inſpice, & expende tuos negligentiæ nævos ac culpas. Profectò quicumque noſtrûm hanc ſibi ſpeculam ſtatuerit, qui errores ſuos non perfunctoriè, ſed ſeriò ad examen vocaverit, is neceſſariò *ſibi ponet amaritudines*, lacrymarum cauſas inveniet, & recogitare cogetur in amaritudine animæ ſuæ annos ſuos (*a*).

Sed jam multos Sacerdotes tacitè audio reſpondentes: Dei gratiâ reformatus eſt admodum Clerus; non ampliùs priſci illi in eo abuſus cernuntur, non priſtina illa ſcandala, non quæ priùs vigebant peccata, & corruptelæ nunc vigent. O quantum ab illo, qui olim fuerat, eſt immutatus! Tot ſunt celebrata Concilia Provincialia, tot habitæ Synodi Diœceſanæ; tam multis malis eſt proviſum, ut nihil ampliùs videatur emendatione indigere. Mutatus quidem eſt Cleri ſtatus, o fratres, reformata Sacerdotum vita, ſublati multi abuſus & ſcandala. Deo bonarum rerum omnium auctori gratiæ ſint infinitæ: Sed adhuc, mihi credite, ſuperſunt amaritudines, adhuc multa in meliorem ſtatum redigenda ſunt, adhuc lacrymis eſt locus. Hoc eſt, quod velim ſimul hodie omnes, qui ob id unum huc convenimus, conſideremus & agnoſcamus. Idcirco nonnulla videbimus, quæ amaritudini nobis eſſe poſſunt, ut illa emendemus; utque ipſe vobiſcum me hodie inflammem, ad annum hunc novum inchoandum, novo concepto propoſito meliorem vitam inſtituendi.

Status igitur Cleri noſtri ſic ſe habet, quemadmodum audiſtis, ut & gratiarum Deo agendarum, & lacrymarum ſimul nobis præbeat occaſionem; illarum quidem ob præſtitam emendationem, harum verò ob errores admiſſos. Conſiderabam ego manè, cui-nam conditio hæc Sacerdotum aſſimilari poſſet, & tamdem occurrit animo Iſraëlitici populi Deo dilecti ſtatus, quem hujuſce veluti typum, ac figuram manifeſtiſſimam fuiſſe comperiebam. Liberatus ab Ægyptiaca ſervitute populus, *profectus eſt de Haſeroth, fixis tentoriis in deſerto Pharan. Ibique locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Mitte viros, qui conſiderent Terram Chanaan, quam daturus ſum filiis Iſraël. Miſit ergo* aliquos *Moyſes*, qui *reverſi poſt quadraginta dies, omni regione circuita, venerunt ad Moy-*

(*a*) *Iſaiæ XXXVIII. v. 15.*

Moysen & Aaron, & ad omnem cœtum filiorum Israël. Locutique eis, & omni multitudini, ostenderunt fructus Terræ: & narraverunt dicentes: Venimus in terram, ad quam misisti nos, quæ revera fluit lacte & melle, ut ex his fructibus cognosci potest: sed cultores fortissimos habet, & Urbes grandes atque muratas. Stirpem Enac vidimus ibi (a). *Inter hæc Caleb compescens murmur populi, qui oriebatur contra Moysen, ait: Ascendamus & possideamus Terram, quoniam poterimus obtinere eam. Alii verò, qui fuerant cum eo, dicebant: Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est. Detraxeruntque Terræ, quam inspexerant, apud filios Israël, dicentes: Terra, quam lustravimus, devorat habitatores suos: populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur* (b). *Igitur vociferans omnis turba flevit nocte illa, & murmurati sunt contra Moysen & Aaron* (c). Audistis historiam: Et quî fieri potest, quòd in ea nos ipsos non simus intuiti? Egressus erat populus ex Ægypto: tentoria fixerat in Haseroth; ad terram promissionis Hebræi tendebant: & tamen frangebantur, animo concidebant, flebant, detrahebant Terræ, pertimescebant, murmurabant. Hi sunt Sacerdotes præsentium temporum. Sunt quidem egressi ab Ægypto, & a dira servitute erepti, quia non ampliùs graviora illa & enormia peccata inter ipsos versantur. In Haseroth sunt, quod interpretabatur *vestibula*, quia sunt in proximo, si velint, ut apicem virtutis attingant, sunt in vestibulis Terræ promissionis, nempe Ecclesiasticæ perfectionis; accedere possunt ad pietatis & religionis culmen, quod verè Terra est *lacte & melle fluens*; quia nusquam vera consolatio, & gratiarum omnium redundantia, nisi in hujusmodi viris, eas verè colentibus fas est invenire. Et tamen, proh dolor! cùm Synodalia decreta audiunt, cùm quæ ad illos spectant, proponuntur, animo concidunt, franguntur, flent, deterrentur: & quàm arduum, asserunt, est, semper in Ecclesiis morari, tot horas in Choro consistere, tam prolixa Officia recitare, numquam recreari! O quàm durus hic labor est, quàm continuus, quales gigantes! Quomodo poterimus ad has Urbes ascendere; quomodo monstra hæc expugnabimus, quibus comparati, formicis similes sumus? Omnia eis gravia, laboriosa, difficilia videntur. Imo èt aliqui detrahunt Terræ promissionis, improbant constitutio-

(a) *Numer. XIII. v. 3. & seqq.*
(b) *Ibidem v. 31. & seqq.*
(c) *Ibidem XIV. v. 1. & 2.*

tutiones, decreta, & hanc indictam vivendi rationem; fortasse etiam nonnulli murmurant adversùm Moysen & Aaron, contra Superiores suos. O quantum hæc pusillanimitas Domino displicet! Cogitaverat Dominus, omnes illos sæva peste & morte punire; sed Moysis precibus licèt quodammodo victus, voluit tamen in pœnam, ne ullus ex iis, qui detraxerant & murmuraverant, Terram promissam intraret.

Et quis scit, dilectissimi, an tepiditas hæc maxima in sacris rebus, quæ viget in Clero, sit pusillanimitatis hujus & murmurationis pœna? Multa quidem sunt pietatis vota, quæ concipiuntur, multi bona proponunt; sed quis in Domini via cernitur progressus, quis horum desideriorum partus, quæ divulsio ac segregatio a curis, & anxia temporalium rerum solicitudine? Hoc unum profectò arbitror in Clero esse maximè reprehendendum: tam multas scilicet fervere lites, tot civiles controversias, tam frequentata Tribunalia, tot causas Ecclesiasticorum hominum, quæ coram alienis Judicibus agitantur. Heu! quid hæc omnia sunt, nisi apertissima tepiditatis in Divinis indicia? O quàm magna & metuenda infirmitas est, hæc quæ inest consecratis Deo hominibus tepiditas! *Scio opera tua*, ait Spiritus (*a*) Episcopo Ecclesiæ Sardis, *quia nomen habes, quòd vivas, & mortuus es*. O quàm multi vivi ceteris videntur, sed morti sunt proximi! Sunt quidem exteriùs aliquantulum reformati, sed interiùs frigidi, tepidi, mortui. Magna est Spiritùs Sancti, fratres, adversùm tepidos pugna; odit eos mirum in modum, & detestatur. Episcopo Laodiceæ Ecclesiæ dicit Deus: *Scio opera tua: quia neque frigidus es, neque calidus: utinam frigidus esses, aut calidus! sed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo* (*b*). Non quòd frigidus, (per quem peccator intelligitur) sit tepido melior, sed quia ad calorem recipiendum & sanitatem sit magis dispositus; qui enim tepidus est, cùm infirmitatem suam non agnoscat, minus est de sanitate recuperanda solicitus: Ideo in peccato suo moritur, & a tepiditate paulatim in maximam frigiditatem resolvitur. Multi fortasse ex nobis sunt hujusmodi: non sunt *raptores*, non *adulteri*, non fornicarii, non homicidæ, non ebriosi, non incontinentes, non sunt gravissimis illis vitiis fœdati, quibus nec Pharisæus ille (qui tamen descendit condemnatus) erat obnoxius (*c*):

Atta-

(*a*) *Apocalypf. III. v. 1.* | (*b*) *Ibidem v. 15. & 16.* | (*c*) *Lucæ XVIII. v. 11. & seqq.*

Attamen in virtutibus quis profectus; in via Domini quis progressus; in caritate quis fervor; in religione quæ pietas; in operando quæ constantia; in exemplo vitæ quæ lux; in conversatione quæ sacerdotalis majestas; in Ecclesiasticis officiis recitandis quæ attentio? Nusquam hæc; horum nihil. *Quia dicis:* (subdit Spiritus Sanctus) *quòd dives sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus* (*a*). O fratres nos feriunt hæc verba; eos præsertim, qui, cùm se profecisse satis existiment, consistunt, nihil de profectu soliciti. *Miseri, miserabiles, cæci, & nudi*, qui se divites existimant, & nullius egentes. *Suadeo tibi* (adjicit Dominus) *emere a me aurum ignitum probatum ut locuples fias* (*b*). O sanctissimum consilium, verè divinum & paternum! *Aurum emere suademur*, non auri similitudinem, aut figuram exteriorem, *aurum*, inquam, *ignitum, & probatum*. Et quod est hoc *aurum*, nisi perfecta caritas in intentione & in opere; in omnibus Dei gloriam semper quærere, ceteris cunctis posthabitis; huc omnia sua studia & actiones dirigere, sive quis psallat, sive oret, sive sermocinetur; sive cum Deo sit, sive cum proximo; sive domi, sive in Ecclesia? Qui hunc finem sibi propositum semper habuerit, hic *locuples fiet:* hic si psallet, attentè psallet; si orabit, ferventer orabit; si cum Deo fuerit, quidquid petierit, obtinebit; si cum proximo, quidquid proposuerit, suadebit; si domi constiterit, secura animi tranquillitate fruetur; si in Ecclesia permanserit, in Paradiso deliciarum commorari sibi videbitur. Valet plurimùm hujusmodi intentio in omnibus officiis Sacerdotum, & moribus; *Si oculus* enim *fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit* (*c*).

Quoniam verò de psallendi attentione, quæ èt in ceteris omnibus ministeriis ac functionibus sacris est admodum necessaria, mentionem fecimus, hoc unum pro certo habetote, fratres, nihil in officiis vestris, & psalmodiis Deo carum existere, nisi adsit continuò, eaque comitetur, cordis attentio. Audite, quid Dominus per Malachiam Sacerdotibus diceret: *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens, immolat debile Domino: quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, & nomen meum horribile in gentibus* (*d*). Et paulo ante: *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? & si offeratis claudum, & langui-*

(*a*) *Apocal. III. v. 17.*
(*b*) *Ibidem v. 18.*
(*c*) *Matth. VI. v. 22.*
(*d*) *Malach. I. v. 14.*

quidum, nonne malum est? Offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum (*a*). Scitis, quinam sint, qui debilius offerunt Deo? Illi profectò, qui exteriorem tantùm cultum eidem exhibent; qui labiis solùm & voce psallunt; qui corpore quidem in Ecclesia consistunt, animo verò in foro & in plateis vagantur; ore divinas laudes concinunt, corde verò mundana & secularia negotia revolvunt. Nonne animâ debilius est corpus; nonne spiritu debilior caro? Cur ergo Deo debiliora tantùm aliqui offerunt, quæ nec hominibus auderent offerre? Caveant hi iram Dei, quia *Rex magnus* ipse est, & *nomen ejus horribile in gentibus:* honorem suum nemini dabit; nec se a quopiam illudi, sibi quempiam præferri, aut se cuiquam postponi impunè patietur. Annon debilius Deo immolatur, cùm Sacerdos secularibus curis ex condicto se involvit, Ecclesiastica verò munera perfunctoriè tantùm pertractat; illas quidem præcipuas reputans, hæc verò tamquam per ocium agenda? Mihi credite; quia donec monitum hoc firmissimè cordi vestro non insculpatur, nempe Sacerdotum esse, Ecclesias tantùm incolere, Deo psallere, orare, studere, cetera verò ad eos non spectare; omnia vobis laboriosa, Officia nimis prolixa, Chorus molestissimus, Ecclesia ipsa Infernus videbuntur. Annon ore psallentes, corde verò de litibus, de curis domesticis, de consanguineis, aut de aliis hujusmodi cogitantes, cor ipsum, quod est nobilior hominis pars, iis tribuimus; os verò & corpus, quod est debilius, Deo? Cavete, cavete fratres, quia *magnus Rex* est Deus; longè prospicit, ac quòcumque voluerit virgam suam extendit; & qua hora non putabitis honorem suum tutabitur, meritas pœnas infligens. Non est sicut homo, qui facilè oblivifcatur injuriæ. Cavete, ne de vobis meritò dicere possit: *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est a me* (*b*). Sed cùm oratis, cor oret cum lingua, psallat cum labiis spiritus, & quid orantes dicatis, attendite. Extat pius admodum libellus, qui inscribitur: *Thesaurus piarum, & Christianarum Institutionum* (*c*), nuper Veronæ, instantibus nobis, impressus. Hic multa præclara continet,

(*a*) *Malach. I. v.* 8.
(*b*) *Matth. XV. v.* 8.
(*c*) Auctor istius Libelli, Sancto Carolo acceptissimi, est Joannes Perellius. Hunc, eodem instante Archiepiscopo, imprimi Veronæ curavit Augustinus Valerius ejusdem Urbis Episcopus, anno MDLXXXIII., & Oblatis Sacerdotibus Sancti Sepulchri Mediolani dicavit, conscriptâ ad ipsos Epistolâ, quam alibi recudemus, cùm Tractatum *de Arte meditandi*, a Sancto Carolo elucubratum, publicis typis vulgabimus.

net, quæ ad statum vestrum pertinent; præsertim verò, quomodo in psallendo peccetur, & qualiter sit psallendum egregiè docet. Eum ut quilibet vestrùm apud se habeat, & frequenter perlegat, vos quàm plurimùm hortor.

Sed morbi hujus causam, obsecro, inquiramus: Cur nempe in Choro Sacerdotes attentè non psallant; cur tunc curæ omnes tum privatæ, tum familiæ menti affundantur. Eam ego vobis indicabo. Inde profectò evagationes mentis profluunt, quia illuc parum dispositi, nullaque prævia animi compositione accesserunt. Ad Chori usque gradus fortè secularibus colloquiis pleni se conferunt; & putant, se in promptu habere posse, quoties libuerit, defixam ad Deum mentem, & facilè ab illo, quidquid ad Religionis cultum pertinet, impetrare. Tentant hi certè Deum, & iis videntur simillimi, qui frustra & temerè miracula ab eo perquirunt. Ideo prudentissimè monet Sapiens: *Ante orationem præpara animam tuam: & noli esse quasi homo, qui tentat Deum* (a). Ad hoc sunt in Ecclesiis instituta Sacraria, in quæ, antequam Chorum ingrediantur Canonici & Sacerdotes, convenire consueverunt; ut quò sint accessuri cogitantes, se se ad ritè psallendum disponant. Si quis Regem aliquem, aut Pontificem maximum esset allocuturus, nonne quid ore prolaturus foret, præmeditaretur diligentissimè, ne inconsideratum sermonem effundens coram tanto Principe, erubescere cogeretur, & ab ejus arceretur conspectu? Si ergo propter homines tanta adhibetur circumspectio, & tam matura rerum dicendarum consideratio præmittitur; ecquid cum Deo collocuturos, in antecessum facere nos oportet? Attamen, summo nostro cum dolore, rerum omnium ordo pervertitur; non jam in Sacrariis se se homines ad orandum recolligunt, non ad divinum colloquium se præparant; sed dissolvuntur potiùs scurrilibus, nugacibus, & secularibus sermonibus. Solum quidem Sacrarii nomen maximam deberet sui venerationem nobis ingerere, nosque ab his omnibus deterrere. Locus est sacer, locus orationis, locus silentii; nihilominus utplurimum inutilibus, imo ab ipso dissonis prorsus confabulationibus miscendis reservatur. In eo nulli minus negotio quàm orationi, opera datur, nullius rei minor habetur cura, quàm silentii; & locus silentii, rixarum quandoque litium & secularium tractationum fit forum. In Sacrarii janius, & ex

(a) *Ecclesiastici XVIII. v. 23.*

& ex parietibus in tabellis, ubique, juxta Visitationum Apostolicarum & Conciliorum Constitutiones, scriptum est magnis literis, SILENTIUM; & silentium inde veluti proscriptum videtur. In pectore Pontificis in Rationali scriptum erat: *Doctrina & veritas* (*a*), ut indicaretur, opera debere doctrinæ & prædicationi correspondere, & quod prædicabatur, aut dicebatur, fieri. Silentium illud scriptum, est typus *doctrinæ*: docent notæ illæ, tacendum esse ibi, soli Deo vacandum, secularibus omnibus curis valedicendum. Adest *doctrina*; sed *veritas* ubi est? Videte ergo, quàm a munere vestro deficiatis, & quàm hypocritis similes sitis, cùm quod docetis minimè faciatis.

Verùm quid de Sacrariis tantùm loquimur? In ipso etiam Choro interdum divinæ laudes cum profanis sermonibus copulantur, & nova quædam instituitur linguarum confusio, quæ Deo non levem infert injuriam. Quis enim ejus, eum quo loquitur, majestatem considerans, vel terga vertere, vel in ipso sermonis decursu cum aliis etiam colloqui audeat? Animadvertant diligenter Punctatores, quibus ex officio incumbit, quomodo munus suum exerceant; Deo enim districtam reddent rationem. Ad hoc sunt constituti Censores, ut eorum industriâ ac diligentiâ, & in delinquentes animadversione, hujusmodi defectus exteriores saltem tollantur, quando interiores mentis evagationes soli Deo patent. Hoc (mihi credite) non parvi momenti est; alia quippe erit Dei, quàm hominum censura, alia correctio, alia animadversio. Quamvis, ut vera dicam, index ejus, quod interiùs latet, exterior est compositio. Dolium non alium emittit odorem, quàm eum, quem continet, & *ex abundantia cordis os loquitur* (*b*); proinde exteriores incompositiones, interiorum animi perturbationum & evagationum manifesta sunt signa. Audite, quid Spiritus Sanctus, de exterioribus hujusmodi loquens, dicat: *Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo* (*c*); hoc est, quomodo quisque interiùs se habeat, palam ostendunt. Magni faciebat Beatissimus Pater noster Ambrosius externos hosce gestus, & corporis motus; ideo præstat, ut ex ejus verbis in primo Officiorum libro (*d*) nonnulla vobis proferam; hæc autem ad orationem, & orationis dispositionem pertinent. „ Pau-
„ lus

(*a*) *Levit. VIII. v.* 8.
(*b*) *Matth. XII. v.* 34.
(*c*) *Ecclesiastici XIX. v.* 27.
(*d*) Capite XVIII. num. 70. 71. & 72. Editionis Parisiensis anni MDCXC.

» lus quoque (ait) orationem deferri præcepit cum verecundia » & sobrietate. Primam hanc, & quasi præviam vult esse orationis futuræ, ut non glorietur peccatoris oratio; sed quasi » colore pudoris obducta, quò plus defert verecundiæ de recordatione delicti, hoc uberiorem mercatur gratiam. Est etiam » in ipso motu, gestu, incessu tenenda verecundia; habitus enim » mentis, in corporis statu cernitur. Hinc homo cordis nostri » absconditus, aut levior, aut jactantior, aut turbidior, aut contra gravior, & constantior, & purior, & maturior æstimatur. » Itaque vox quædam est animi, corporis motus. Meministis, » filii, quemdam amicum, cùm sedulis se videretur commendare officiis, hoc solo tamen in Clerum a me non receptum, » quòd gestus ejus plurimùm dedeceret. Alterum quoque cùm » in Clero reperissem, jussisse me, ne umquam præiret mihi, » quia velut quodam insolentis incessus verbere oculos feriret » meos. Idque dixi, cùm redderetur post offensam muneri. » Hoc solùm excepi, nec fefellit sententia; uterque enim ab Ecclesia recessit, ut qualis incessu prodebatur, talis perfidiâ animi demonstraretur. Namque alter Arianæ infestationis tempore Fidem deseruit; alter pecuniæ studio, ne judicium subiret Sacerdotale, se nostrum negavit. Lucebat in illorum incessu imago levitatis, species quædam scurrarum percursantium. » Ex his facilè colligitis, quàm studiosè vitanda sit exterior corporis incompositio:

Quæ in Sacerdotibus utinam eò plerumque non deveniret, ut etiam in Populo omnem devotionem, pietatem, & religionem extingueret! exempla hæc enim videns turba debilior, paulatim divina contemnit. Qui extra Chorum igitur mente atque animo minimè a se ipsis recedunt, in Choro facilè intra se consistent; & qui etiam ab Ecclesia remoti, dissolutis sermonibus non assueverint, facilè intra illam decus & majestatem religionis præseferent. Utile admodum vobis accidet, si quod a nobis sæpius propositum fuit, constanter servetur; ut nempe conveniatis quandoque Ecclesiæ cujusvis Canonici omnes & Sacerdotes, ac de rebus spiritualibus invicem colloquamini; sic enim & mutua inter vos caritas augebitur, & ad pietatem novi quotidie vobis stimuli adjicientur, & plebem vestro exemplo ad Religionem allicietis. Hæc verò si intermittatis, tepescat in vobis fervor necesse est, & divini cultùs negligentia maxima

ma inde proficiſcatur. Hinc poſtea multi adeò in Sacris incurii, tam inconſideratè divina tractant, perinde ac ſi de re graviſſima ipſis commiſſa minimè ageretur:

Qua quidem negligentia nihil pejus excogitari poteſt, cùm ſit Deo adeò moleſta, ut per Prophetam ſuum dixerit: *Et nunc ad vos mandatum hoc, o Sacerdotes. Si nolueritis audire, & ſi nolueritis ponere ſuper cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum: mittam in vos egeſtatem, & maledicam benedictionibus veſtris, & maledicam illis: quoniam non poſuiſtis ſuper cor* (a). Sed quid mirum, ſi quæ muneris ſui ſunt, Sacerdotes hujuſmodi *non ponunt ſuper cor*; ſi facti ſunt, ùt alibi dicitur, *quaſi columba ſeducta non habens cor* (b)? Ideo hortatur nos toties David, ut *pſallamus ſapienter* (c), ut cor dictis concordet, & divina toto cordis pertractemus affectu. Et quis pudor eſt, fratres, videre ſe a communi populo ita ſegregatos, habitu & veſtibus ita diſtinctos, coronam in capite geſtare; dixiſſe, cùm primi Ordines ſuſciperentur: *Dominus pars hæreditatis meæ* (d); ita ceteris dignitate præcellere: Et tamen moribus ac vita nihil a populo differre; eſſe *regale Sacerdotium, gentem ſanctam, populum acquiſitionis* (e); cùm verò vita Sacerdotum expenditur, afferi debere: *ſicut populus, ſic Sacerdos* (f)?

In vobis eſt quoque reprehendendum, ſi virtutibus popularium hominum contenti ſitis, ſi illorum perfectiſſimis & ſanctiſſimis ſimiles eſſe, putetis vobis ſufficere. Et quid erit, ad illorum virtutes non accedere? eis non æquari religione, pietate, ac devotionis affectu? Nullus certè vobis excuſationis eſt locus: Nec eſt, quod dicat quiſpiam: homo ſum ùt ceteri, fragilis, debilis, infirmus; nam licèt homo ſis, ùt ceteri, præ ceteris tamen caracterem ſuſcepiſti indelebilem. Juſtus Dominus, qui te ad hunc ſtatum extulit, ſufficientia tibi auxilia ſubminiſtravit, quibus muneri tuo poſſis ſatisfacere. Et hoc veriſſimum eſſe, nemo in dubium revocat; eſſet enim Deum injuſtitiæ arguere, hoc non firmiſſimè credere.

Expendat ergo hodie quilibet veſtrûm diligentiſſimè, & primò quidem, quantum Deo debeat, quot ab illo acceperit; tum, quomodo reſponderit & ſatisfecerit, cogitet. Quanta ſtudendi commoditas exhibita eſt vobis, cùm in nulla profectò alia Civitate, demptâ Româ, Civitatum omnium matre, quidquam

(a) *Malach. II. v. 1. & ſeq.*
(b) *Oſee VII. v. 11.*
(c) *Pſalm. XLVI. v. 8.*
(d) *Pſalm. XV. v. 5.*
(e) *I. Petr. II. v. 9.*
(f) *Iſaiæ XXIV. v. 2.*

quam copiosius queat desiderari? Si studia igitur neglexero (dicat quilibet) quis me culpæ non arguet? Constitutus sum in sublimi hoc dignitatis gradu, *factus sum* veluti *spectaculum Mundo & Angelis & hominibus* (*a*); qua ergo ratione mores meos, vitamque componam? Defectus mei & errata, nonne sunt turpes veluti maculæ in vultu, quæ primo statim intuitu cernuntur, nec valent abscondi? Cur Deo, qui me ita nobilitavit, toto non inserviam corde? cur ad Chorum non festinabo ad persolvendas ei laudes, a quo accepi tam multa, quin tamdiu moram ad accedendum injiciam, donec immineat nota Censoris? Ergo-ne Deo propter distributionum lucrum, aut reddituum perceptionem, & non propter ipsum, qui hæreditas mea est, famulatum præstabo? O sordidissimum finem! o turpissimum dictu! Deo servire propter terrena, tam nobile ministerium ita deprimere!

Admoneo vos, fratres, cum Paulo, *ut resuscitetis gratiam Dei, quæ est in vobis per impositionem manuum nostrarum. Non enim dabit vobis Deus spiritum timoris: sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis* (*b*). Nolite timore pœnæ, aut *ad oculum* (*c*) hæc, quæ vobis præcipiuntur, exequi; non enim decet animum vestrum, hic servilis & ignobilis timor, cùm acceperitis *spiritum virtutis, & dilectionis, & sobrietatis*. Et verè quantùm in vobis requiritur *sobrietas* in cibis, in verbis, in incessu, in habitu, & in omni vita, *ut sobriè, & justè, & piè vivatis* (*d*); ne verbo, aut ullà ratione spectantium oculos offendatis! In vos omnium ora conjecta sunt: Vestri errores induxerunt hæreses: Sacerdotum mala vita apostatare fecit plurimos a Fide. Hoc nos ipsi superioribus diebus experientià didicimus, cùm in Rhetòrum visitatione aliqua hæreticorum loca attigimus. Clam multi ex illis huc conveniunt, & si quid in vobis notaverint, quod majestati vestræ minimè respondeat, Mediolano recedentes statim dicunt: Mediolanenses Sacerdotes, qui ceterorum sunt exemplar, hæc peragunt, ita vivunt, sic loquuntur; multò ergo pejora nobis quoque licent. Cavete ergo, ne *per vos blasphemetur nomen Dei* (*e*); sed *statuentes vobis hodie speculam, & amaritudines* (*f*) has deflentes, curate, ut in posterum nullus in vobis sit amaritudinibus locus, nulla flendi aut lacrymandi occasio. Amen. HO-

(*a*) *I. ad Corinth. IV. v. 9.*
(*b*) *II. ad Timoth. I. v. 6. & 7.*
(*c*) *Ad Ephes. VI. v. 6., & ad Colossens. III. v. 22.*
(*d*) *Ad Titum II. v. 12. & ad Roman. II. v. 24.*
(*e*) *Isaiæ LII. v. 5.*
(*f*) *Jerem. XXXI. v. 21.*

HOMILIA XCII.

AD PAROCHOS,

CONFESSARIOS, ET PRÆDICATORES SECULARES CIVITATIS MEDIOLANI

Habita in Sacello domeſtico Archiepiſcopali

Anno MDLXXXIV. III. Januarii.



Escio, fratres dilectiſſimi, quidnam egerimus ſacratiſſimis his Feſtis elapſis. Miramini fortè, cur in plurali numero dicam egerimus! In promptu ratio eſt, quia Reverendos hos Sacerdotes cooperatores noſtros collectos hìc cerno. Quotieſcumque de Clero fit mentio, fit etiam de Epiſcopo, uti præcipuo in Clero, & Cleri capite; Cleri autem diſciplina, diſciplina eſt Epiſcopi, Clerique inſtructio ad Epiſcopum etiam pertinet. At cùm hodie non quemlibet de Clero, ſed Confeſſarios Sacerdotes, verbi Dei Miniſtros, tum maximè Parochos, & Animarum Curatores alloquar, atque illos, qui ex officio & propriè coadjutores ac cooperatores noſtri ſunt, in regimine animarum nobis commiſſarum, & in præcipuis muneribus paſtoralibus; quid ad vos dicam, quod non priùs mihi dictum eſſe velim? Cùm vos participes ſitis noſtræ ſolicitudinis, conſortes curarum, ſocii laborum; veſtra exhortatio, noſtra exhortatio eſt; veſtrum periculum, noſtrum eſt; veſtra officia, noſtra ſunt; vos denique participes eritis noſtrorum gaudiorum, fructuum, beatæque ſpei præmiorum, quæ Paſtoribus a Principe Paſtorum omnium Chriſto Domino retribuuntur. Itaque, cùm vobiſcum agimus, etiam de nobis agimus. Ideo dicam iterum: Neſcio, quid ſacris hiſce diebus egerimus; tam opportunâ nobis oblatâ occaſione nos ipſos excitandi, neſcio quomodo uſi fuerimus. Ignoro, an conſideraverimus Paſtores illos, eorumdem vigilias, cuſtodiam gregis, Angelorum apparitiones, felix nuncium Chriſti

sti nati; Pastorum festinationem ad Præsepe; eorum gaudium, inventis signis, quæ ab Angelo acceperant; gloriam, quam Deo tribuerunt; admirationem, qua repleti sunt, & communem omnium in tanta novitate stuporem. Possunt hæc opportunè admodum anni novi principio accommodari. Ideo convenimus huc hodie omnes, ut innovetur in nobis calor & fervor spiritûs. Pastores illi nos Animarum Pastores indicant: & primum quod in Pastorum aspectu occurrit, videte obsecro, quàm nobis sit proprium. Primum, quod ultro occurrit, est illorum vigilia; neque enim contentus Lucas dixisse, quòd *erant in regione eadem vigilantes*, addit *& custodientes vigilias noctis super gregem suum* (a) ut vigilandi ostendat perseverantiam; erat quippe nox in quatuor divisa vigilias, quas omnes custodiebant Pastores. Ideo Christus Dominus noster agens de Pastorum spiritualium vigilantia, eamdem quoque perseverantiam præ oculis habens, illam verbis suis indicavit, dicens: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando revertatur a nuptiis: ut, cùm venerit, & pulsaverit, confestim aperiant ei. Beati servi illi, quos, cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes: amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati sunt servi illi* (b). O quoties incipit Sacerdos diligentiæ aliquantulum adhibere in munere suo peragendo; sed ubi in scopulum aliquem offendit, paulatim frigescit, & omnis illa industria in nihilum redit! Vult Dominus in opere bono assiduitatem, in vigilando constantiam: Sic *Pastores hi custodiebant vigilias noctis*.

Sed addit nescio quid aliud Evangelista, quod ad rem nostram maximè facit; subjicit enim, quia erant *custodientes vigilias noctis super gregem suum;* ut agnoscamus, quia Animarum Pastores sæpe vigilant, sed non eà vigiliâ, quæ Domino placet; non eà, quam Dominus exigit. Vigilant in temporalibus rebus; sed in spiritualibus præ gravatis oculis dormientes, somno marcescunt. Est aliquis Sacerdos, qui Sacerdotii sui redditus diligentissimè curat, nihil patitur perire, Ecclesiæ suæ jura solertissimè tuetur; quæ amissa fuerunt, recuperat, & novis semper augendis censibus studet. Non malè hic peragit; quod enim juravit, exequitur: Verùm, ut temporalibus invigiletur, animarum saluti obdormi-

(a) Luca II. v. 8.

(b) Ibidem XII. v. 35. & seqq.

dormire, non recta via hæc est, non hæc Deo grata vigilantia; temperatè illis est invigilandum, & ad sobrietatem. Potior cura esse debet animarum, quàm litium; spiritualium, quàm temporalium: Ex necessitate solùm adhibenda est vigilantia illa; non spontè, sed coactè sunt illa tractanda.

Et quoniam huc accessimus, fratres, ut invicem ad vigilandum, & ad Pastoralia nostra munera solicitè exequenda nos excitemus; ideo velim, hodie simul inquiramus, a quonam somno sit nobis evigilandum; qualis-nam somnus sit nobis, & gressibus nostris perniciosus, proinde verò a nobis summo studio ac diligentià depellendus, cùm tam proprium nostri officium & munus sit vigilare.

De pluribus spiritualibus somnis sacræ Literæ meminerunt, ut eos omnes vitemus. Primus somnus est ignorantia. O ignorantia Sacerdotibus inimica, quanto es illis dedecori, quàm perniciosa! Præ manibus habet Sacerdos animas; discernere igitur debet lepram a lepra; ejus est, pascere populos sibi commissos doctrinà & exemplo, docere Legem Dei, dare lac & cibum solidum, atque accommodatas eorum cuilibet escas porrigere. O quantum his omnibus impedimentum affert ignorantia! Quàm strictam de se ipso redditurus est rationem ineruditus Sacerdos, qui nulli munerum suorum implendo est aptus! Nemo (credite) ad officii sui pondus dignè gerendum satis est sapiens. Quòd si hoc de quovis est verum, qui pro se scire, & sibi tantùm scire debet; ecquid de iis erit dicendum, quos & sibi, & ceteris scire oportet? *Labia Sacerdotis*, inquit per Prophetam Dominus, *custodient scientiam* (a). Requirebat Deus, in suis Sacerdotibus scientiam adeò facilem & in promptu, ut in *labiis* habere viderentur, & custodire rerum omnium intelligentiam; *Legem enim requirent* populi *ex ore ejus* (b), quasi ipsis de jure debitam, & suum postulabunt. Qui autem nesciunt, quomodo istiusmodi debitum persolvent? Hoc maximè velim a vobis crebrò considerari; verba hæc deberetis semper vobis ob oculos ponere, expendere, & ruminare. Mihi quidem de hoc non parum condoleo; sed altera ex parte, vobis plurimùm timeo, cùm tam multa studendi commoda, quæ in hac Civitate vobis occurrunt, contemplor; cùm tot præceptorum, tot lectionum, tot Collegiorum recordor; & e converso tantam negligentiam cerno in plurimis, qui divi-

(a) *Malach. II. v. 7.* | (b) *Ibidem.*

divinis miserationibus sibi exhibitis uti renuunt, eò quòd satis superque studuisse, & in studiis existiment se profecisse. Scribebat Paulus ad Timotheum Episcopum eruditissimum, & in studiis sacris consummatissimum: Attamen cum adhuc gravissimis verbis ad studia inflammabat, dicens: *Tu verò permane in iis, quæ didicisti, & credita sunt tibi: sciens a quo didiceris. Et quia ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per Fidem, quæ est in Christo Jesu. Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitiâ: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus* (a). Et putabitne aliquis, satis sibi esse, quòd in examine fuerit ad Curam Animarum approbatus, & Sacerdotium sibi ad victum sufficiens sit consecutus; cùm Episcopo doctissimo inculcaret Paulus: *Permane in iis*, licèt infra fateretur, quòd *ab infantia literas sacras didicisset?* O quàm est proprium Sacerdotum, studiis incumbere, semperque in iis proficere! Somnus hic ignorantiæ, fratres, nobis est valde fugiendus.

Hunc somnum detestabatur Propheta dicens: *Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi* (b); & infra: *Ipsi Pastores ignoraverunt intelligentiam* (c): *ipsi*, inquam, ad quos pertinet videre, qui in specula sunt constituti, ut imminentia mala prospiciant; *ipsi*, ad quos spectat ceteris viam ostendere, *ipsi* sunt *cæci*. Et quomodo alios viam rectam docebunt, quam pro se ipsis ignorant? *Ipsi Pastores*, qui scripturas ceteris debent aperire, a quibus alii *Legem requirent* (d), *ipsi ignoraverunt intelligentiam*. Absit ergo a vobis, ut inveniatur inter vos aliquis adeò vilis animi & obscuræ mentis, qui intra se dicat: Sacerdotium adeptus sum, ad quid ultra tempus studiis impendam? Usu quandoque nos didicimus, accessisse aliquos ad subeundum literarium examen, in quo cùm reperti essent satis idonei, ad Curam Animarum fuerunt admissi. Accidit, ut post aliquot menses & annos denuo eorum doctrinæ periculum oportuerit fieri; & tunc novimus, eos minus scire, quàm cùm primum examen subiissent; quamvis ad eam quàm ostenderant scientiam, accesserit longa animarum cura, & eorum quæ didicerant praxis; sæpius Dei verbum prædicaverint; occasiones plurimas habuerint in literis proficiendi. His tamen omnibus positis, compertum fuit eos dedidicisse; quia eo, quod scie-

(a) *II. ad Timoth. III. v. 14. & seqq.*
(b) *Isaiæ LVI. v. 10.*
(c) *Ibidem v. 11.*
(d) *Malach. II. v. 7.*

ſciebant, contenti, ſtudia omnia intermiſerunt. O ignobiliſſimos & viliſſimos animos! Manifeſtum faciunt hi profectò, ſe, cùm priùs ſtuduerant, mechanicè propter Sacerdotium comparandum, non ſtudiorum & virtutis amore ſtuduiſſe. Nolite, dilectiſſimi, oblatas vobis a Deo occaſiones ociosè dimittere: ne ingrati ſitis divinæ in vos clementiæ. Animi veſtri ingenuitatem & liberalitatem, voſque delectari virtutibus, & cupere in ſtudiis progredi, factis oſtendite.

Alterum ſomnum periculis plenum exprimit Iſaias dicens: *Canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia* (*a*). Somniant hi vana, & vanis illis delectantur. Hoc ſomno dormientes qui ſint, alibi idem Propheta, declarat, dicens: *Et ſicut ſomniat eſuriens, & comedit, cùm autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima ejus: & ſicut ſomniat ſitiens, & bibit, & poſtquam fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit, & anima ejus vacua eſt: ſic erit multitudo omnium Gentium, quæ dimicaverunt contra montem Sion* (*b*). Scitis Sacerdotes, quinam ſint ita dormientes & ſomniantes? Sunt, qui cor ſuum Mundo prorſus immergunt, qui nil aliud ſibi proponunt, niſi facultates ſuas augere, parentes ditare, in ſenectam ſibi providere. Et miſeri! quis horum eſt finis? Mors repentè ſupervenit, & *relinquunt alienis divitias ſuas: & ſepulchra eorum domus illorum in æternum* (*c*). O mirum dictu! Hujuſmodi Sacerdotes, ad vivum Eccleſiaſtes verbis illis videtur depingere: *Conſiderans reperi & aliam vanitatem ſub Sole: Unus eſt, & ſecundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non ceſſat, nec ſatiantur oculi ejus divitiis: nec recogitat, dicens: Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? In hoc quoque vanitas eſt, & afflictio peſſima* (*d*). Iſta eſt plerumque Sacerdotum calamitas, & in hoc ſæpe incidunt. Sed eſto, habeat Sacerdos pauperes conſanguineos, & multos; erit-ne illi adeò ſordidè Sacerdotio utendum? Equidem non ſine maxima animi noſtri triſtitia ad noſtras aures quandoque perveniunt indignæ quorumdam Sacerdotum voces & querelæ de eleemoſynis, cereis, candeliſque ſibi debitis, cùm ad funera ducenda, & Officia Mortuorum recitanda vocantur. Et quid ſibi comparabunt tamdem miſeri? Congerent pecunias, ignobilem animum ſuum omnibus patefacient: Mors adveniet, & *alii in bonis eorum luxuriabuntur* (*e*), & non rarò acci-

(*a*) *Iſaiæ LVI. v.* 10.
(*b*) *Ibidem XXIX. v.* 8.
(*c*) *Pſal. XLVIII. v.* 12.
(*d*) *Eccleſiaſtes IV. v.* 7. *&* 8.
(*e*) *Eccleſiaſtici XIV. v.* 4.

accidet, ut parentes aut hæredes, iisdem mortuis, ne unum quidem Missæ Sacrificium persolvant. Avaritia hæc Sacerdotum est summa pernicies; cùmque pestis hæc illorum pectora invaserit, in omnium calamitatum barathrum decidunt. De hisce infelicissimis conqueritur Propheta, quia *unusquisque in viam suam declinavit* (*a*). Hi sunt, quos appellat Paulus Apostolus, *quærentes quæ sua sunt, non quæ sunt Jesu Christi* (*b*). Cùm Sacerdos maledicto huic spiritui locum præbet, omnia pessum eunt; omnia ad hunc finem, ut videlicet lucretur ac ditetur, dirigit. Tacet, cùm reprehendendum est; tolerat, indulget, peccata dissimulat; quos non potest, absolvit; omnia aggreditur, ubi aliqua subest spes auri capiendi; Clavium Jurisdictionem ignobili & vili hoc scopo denigrat; Sanctiones omnes demum pervertit. Hinc verò homines malè directi in peccatis callum obducunt, inveterascunt in concubinatu, in usuris. Habent tamen in promptu excusationes suas istiusmodi Altarium Ministri. Jam eorum (asserunt) nomina Paschatis tempore ad Superiorem detulimus (*c*): Functi sumus proprio munere; quid ultra ad nos pertinet? Rectè Bernardus: *Moritur filius, & consolabitur-ne mater super eo, quem videt defunctum, quòd sciat, se in omnibus, quibus potuit, præsto fuisse, omnem curam adhibuisse, ne periret? Minimè profectò maternus amor hujusmodi consolationem admittit.* Hæc secum loquatur qui ex eorum est numero: Habeo & ego filium, Parœciæ scilicet meæ subditum, peccatis confectum & mortuum; & consolabor, ac satis me fecisse existimabo, quòd Superiori aut Episcopo infortunium hoc significaverim? Ardet-ne in meo pectore zelus honoris Dei, & salutis animæ hujus? O si zelus iste, fratres carissimi, Sacerdotem hujusmodi aliquantulum premeret, quomodo angeretur, quomodo coarctaretur! Profectò numquam cessaret, noctes insom-

(*a*) *Isaiæ LIII. v. 6.*
(*b*) *Ad Philippens. II. v. 21.*
(*c*) Sanctus Carolus in Instructione ad Parochos de Sacramento Sanctissimæ Eucharistiæ Part. IV. Actor. Mediolan. Eccles., ubi agit de tempore Paschæ, hæc præcipit: » Qui » præstituto Paschæ tempore non communica» verint, eos ex præscripta Formula ad Al» tare, altero ex diebus Festis proximè se» quentibus monebit; & in contumacia perse» verantes ad Archiepiscopale Forum deferet ». Pœnas autem contumacibus jam statuerat in Concilio Provinciali II., Decret. XIII. his verbis: » Jubeat Episcopus, eos ipsos Ecclesiæ » ingressu, & Ecclesiastica sepultura interdic» tos, in propria Parochiali Ecclesia denuncia» ri; tum eorum nomina descripta, ad Ca» thedralis, & Parochialis Ecclesiæ valvas af» figi ». Sanctio ista renovata fuit a Cardinali Federico Borromeo in Concilio Provinciali VII.; Quamobrem quotannis die Solemni Ascensionis Domini nostri Jesu Christi præscribitur Parochis Urbis & Diœcesis, ut significent Archiepiscopo aut ejus Vicario Generali nomina eorum, qui in Paschate non communicaverint, sub pœna suspensionis ipso facto, si id non præstiterint.

somnes duceret, a lacrymis numquam abstineret, nulli industriæ ac diligentiæ parceret, donec animæ vitam filio suo restitueret. Proh dolor! Hinc evenit, ut frequenter in Vicis plurimi reperiantur, qui per multos annos in peccato degentes, confessi tamen sunt, & ad Sacram Mensam accessere; nonnulli etiam, qui neutrum egerunt, in peccato perseverantes: Et hæc omnia Sacerdotum avaritiæ sunt adscribenda. *Stupor*, inquit Jeremias, *& mirabilia facta sunt in terra: Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus suis: & populus meus dilexit talia: quid igitur fiet in novissimo ejus* (*a*)? *A minore quippe usque ad majorem* (inferiùs subdit) *omnes avaritiæ student: & a Propheta usque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum. Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes: Pax, pax: & non erat pax* (*b*). Dicit Sacerdos avarus: Hujus amicitia mihi admodum potest esse proficua; eam ego magnifacio: Tacebo igitur, & dissimulabo. *O stupor, o mirabilia!* Palliare student contractus illicitos, *consuunt pulvillos sub omni cubito manus: & faciunt cervicalia sub capite* (*c*). Excusant: *& populus meus dilexit talia* (*d*), inquiens: non invenio hac in re illum conscientiæ stimulum, quem mihi severus alius Sacerdos frustra excitabat. Vanum, ille rigidus nimiùm, mihi incutiebat timorem. Invèni, a quo absolvar, licèt concubinam domi retineam. Sat erit, si promiserim, me cum illa non amplius peccaturum. *Et quid igitur fiet* (ait Propheta) *in novissimo ejus* (*e*)? nihilque aliud addens, hunc paragraphum claudit. Quid, inquam, erit in morte Sacerdotis, & Pœnitentis a pravo Sacerdote decepti? Cogitate ipsi, quid erit. Certè *si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt* (*f*). Unde ergo hæ dissimulationes, indulgentiæ, fraudes, atque animarum occisiones, nisi quia *omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, a summo usque ad novissimum* (*g*)? Hunc somnum esse valde fugiendum ore suo æterna Veritas docuit, cùm dixit: *Attendite*, & cavete, *ne fortè graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ* (*h*).

Est-ne alius somnus, fratres, Sacerdotibus perniciosus? Est profectò, nempe crapula & ebrietas; ùt proximè jam a Christo audivistis. Non enim cibi immoderantia corpus minus aggravat,

(*a*) *Jerem. V. v.* 30. & 31.
(*b*) *Ibid. VI. v.* 13. & 14.
(*c*) *Ezechiel. XIII. v.* 18.
(*d*) *Jerem. V. v.* 31.
(*e*) *Ibidem.*
(*f*) *Matth. XV. v.* 14.
(*g*) *Isaiæ LVI. v.* 11.
(*h*) *Lucæ XXI. v.* 34.

vat, quàm cor. Sunt quidam qui dicunt: *Venite, sumamus vinum, & impleamur ebrietate: & erit sicut hodie, sic ét cras, & multò amplius* (*a*). Fruamur Mundo, pro ut moris est: Quid frustra nos Mundum innovare tentemus? Horum autem finis est comedere, bibere, & quiescere. Et reperiri poterunt Sacerdotes, qui Animarum Curam suscipiant, ut quiescant? O fratres, non hic est vocationis vestræ scopus; non hæc illius, qui vos ad hoc munus assumpsit, intentio. Quando Christus Petrum & Andream ad Apostolatum vocavit, illis verbis est usus: *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum* (*b*). Piscatorum vita plena est laboribus, & periculis; diu noctuque retia tendunt, nec a piscando, æstu terrentur vel frigore, aut algore deficiunt; licèt plerumque nil capiant. Ostendebat Dominus illorum fratrum exemplo, eum, quem ad regendas Animas vocat, non ad quietem aut ocium, sed ad perpetuum laborem, & ad piscandum vocari. Laboriosa admodum res est Animarum regimen: Et tamen adsunt nonnulli muneris sui adeò ignari, qui se ipsos ita alloquuntur: jam pingue Sacerdotium accepi; copiosi redditus mihi sunt additi; unde commodè vivam, possideo: Ergo quiescam. Nequissimus profectò spiritus est hic, homine etiam liberali indignus; at quantò magis Sacerdote? Hoc spiritu agebatur, qui dicebat: *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem parasti cujus erunt* (*c*)? Laborum & curæ terminum nonnulli sibi præscribunt, dicentes: Ad infirmum vocatus accessi; ejus confessionem excepi; Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ei tradidi; in Paschate subditos meos Sacra Communione refeci; diebus Festis a prandio, ad Doctrinam Christianam explicandam incubui: A me nihil ultra requiritur. Quid dicis, nihil? O quàm multa requirit Animarum cura! Putas-ne, Sacramentalis Pœnitentiæ Minister, satis te fecisse, si peccatoris confessionem audieris? Heu! multa adhuc alia munus tuum exposcit. Monendus est ille tibi opportunè, importunè; inculcandæ illi Inferni pœnæ, detegenda peccati fœditas, proponenda Christi Passio, in Peccati exterminium tolerata; hortandus crebrò, rogandus, instruendus, ad Sacramentorum frequentiam invitandus, dirigendus - Cùm verò in

(*a*) Isaiæ LVI. v. 12.
(*b*) Matth. IV. v. 19.
(*c*) Lucæ XII. v. 19. & 20.

in ejus corde per gratiam natus est Christus, educari a te debet & conservari. Parochus, qui Animas, depositi loco, a Domino accepit, satis-ne existimabit se peregisse, quòd adimplendis in Paschate muneribus suis vacaverit? O quàm magna ulteriùs adhibenda illi remanet solicitudo! *Qui præest*, inquit Paulus, *in solicitudine* (*a*). Perniciosissima est solicitudinis hujus omissio; inde enim subditorum, & Animarum illius regimini commissarum ruina dimanat. *Per agrum*, ait Sapiens, *hominis pigri transivi, & per vineam viri stulti: & ecce totum repleverant urticæ, & operuerant superficiem ejus spinæ, & maceria lapidum destructa erat* (*b*). Si fervor in cura Animarum aliquantulum remittatur, statim mala omnia inolescunt. Id experientiâ manifestissimè didicimus. Parochi *ager* est Parœcia; *vinea* sunt animæ eidem commissæ. Si *piger* est Parochus & dormit, statim Parœciam *replent urticæ ac spinæ*; mille abusus, corruptelæ & scandala in eâ succrescunt, & *maceria lapidum destruitur*; præceptorum quippe observantia, qua veluti *maceriâ*, animæ custodiebantur, destruitur. Inde autem Parœcia inordinata, & subditi licentiæ dediti, ac disciplinæ expertes, arguunt Parochi segnitiem ac somnolentiam; quæ in nobis, o fratres, plerumque est gravissimum & lethale peccatum, licèt in aliis, quibus non incumbit hoc onus, excusari aliquantulum possit. Audiant hi tamdem spiritum Domini eos excitantem, & dicentem: *Usquequo piger dormies? Quando consurges e somno tuo* (*c*)? Non ita egerunt Sancti Pastores, in hodierno Evangelio relati, qui *custodiebant vigilias noctis*; & ideo tanto honore illos dignatus est Dominus, tantaque luce replevit: Vigilantes namque in ministerio suo Deus illuminat. Vigilare debet quilibet nostrûm in Judicii expectatione, & dicere: Rationem redditurus sum pro his Animabus; deposuit apud me illas Dominus; ignoro, quandonam *Filius hominis veniet* (*d*), ut mecum rationem ponat. Ero igitur semper paratus, ut, *cùm venerit, & pulsaverit, confestim aperiam ei* (*e*).

Atque hic profectò alter est gravissimus somnus; nempe quòd non singulis horis & momentis Dominus expectatur. Qua autem præparatione sit nobis expectandus, ipsemet docet, inquiens: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus ves-*

(*a*) *Ad Roman. XII. v. 8.*
(*b*) *Proverbiorum XXIV. v. 30. & seq.*
(*c*) *Ibidem VI. v. 9.*
(*d*) *Lucæ XII. v. 40.*
(*e*) *Ibidem v. 36.*

vestris (*a*). *Præcinctos* habebit *lumbos*, qui secularibus curis non erit implicitus, sed ab iisdem liber & expeditus; *lucernæ* verò *ardentes in manibus*, vitæ candorem, & consona doctrinæ opera connotant. O qualis vita, quàm honesta conversatio, qui gestus, quales sermones Sacerdotum esse debent! Eorum verò, qui Animarum curam gerunt, qui populo sibi commisso sunt in exemplum propositi, & ad quorum normam vitam suam utplurimum iste componit, quantò major debet esse in operibus perfectis splendor ac lumen!

Quanto etiam studio fugienda Secularium consuetudo, & nimia familiaritas, quæ Clericorum omnium solet esse pernicies! per hanc siquidem ad comessationes & convivia traducuntur; & hinc paulatim contemptibiles redduntur, ac Secularibus ipsis nequiores evadunt, illorum mores omnes imbibendo, & *commixti inter gentes, discunt opera eorum* (*b*). Quòd si Sacerdos & Parochus, qui est Parœciæ suæ oculus, tenebrosus fuerit, qualis erit universa domus (*c*)? Si sal infatuatum fuerit, in quo salietur (*d*)? Si is, per quem condiendi sunt ceteri, erudiendi, illuminandi, dirigendi, pessimè affectus fuerit, quomodo cum miseris subditis agetur?

Qui ergo in expectatione, quam audistis, vigilant, hi somnum hunc devitant, eosque Dominus jucundissimè consolatur. Siquidem, cùm vigilarent Pastores, *claritas Dei circumfulsit illos* (*e*); Christum natum fuisse, nunciante Angelo, audierunt, & postmodum etiam viderunt. Parochus quoque vigilans, videt peccatorem exemplo suo & operà resipiscere; alium illicitos contractus abrumpere; alium ad Sacramenta frequenter accedere: In his omnibus Christum natum intelligit, & miro gaudio repletur.

Festinantes ad præsepe se contulere Pastores, & signum ipsis ab Angelo datum conspexerunt, nempe *Infantem pannis involutum & positum in præsepio* (*f*). Si èt nos elapsis diebus accessimus, fratres, cum illis ad præsepe, heu! quid vidimus? Vidimus ibi Deum hominem factum, in media hyeme, media nocte, inter frigora & gelu, in stabulo natum, *non habentem locum in diversorio* (*g*); inter duo animalia in fœno jacentem, algentem, tremulum, vagientem. Et cur hæc omnia, o Sanctissime Infans, nisi

(*a*) Lucæ XII. v. 35.
(*b*) Psalm. CV. v. 35.
(*c*) Matth. VI. v. 23., & Lucæ XI. v. 34.
(*d*) Matth. V. v. 13.
(*e*) Lucæ II. v. 9.
(*f*) Ibidem v. 12.
(*g*) Ibidem v. 7.

nisi propter Animas pateris? Et tædebit nos, pro Animabus iisdem solicitos esse, laborare, pati, & modicum paupertatis sustinere?

Summus Sacerdos habebat in superhumerali descripta nomina filiorum Israël lapidibus pretiosis & auro (a), significans, Christum supremum Pontificem & Sacerdotem, sculptas habiturum in corde Animas omnium hominum tamquam pretiosissimas. Hoc etiam nos docebamur, Christi exemplo, ut pretiosæ essent in oculis nostris Animæ nobis commissæ. Ut eas redimeret Dei Filius, suum omnem sanguinem profudit; & nos parvi momenti esse vèl unam Animam existimabimus? Videbimus populum, pretiosissimo Christi sanguine totum consperfum; & vitam pro ipso, si opus fuerit, non exponemus, non docebimus, non monebimus, non dirigemus; & animas tam caro pretio redemptas non custodiemus? Hoc, dilectissimi, fundamentum, in isto anni exordio velim, ut firmè in cordibus nostris jaciamus. Nudius tertius cœpit Christus in Circumcisione tempestivè admodum, sanguinem adhuc infans pro Animabus tradere; & nos ociosi ac desides erimus? Nonne debemus nos ipsos expendere & superexpendere, quando tam ardentibus stimulis omnia, quæ hactenus vidimus, Christi mysteria nos excitant?

Redierunt ergo domum Pastores, viso Christo, admiratione stupore & gaudio repleti, *glorificantes & laudantes Deum* (b). O quale erit Sacerdotis solamen in exitu vitæ, videre Animas quamplures, Deo suà operà offerri! Quanta tunc conscientiæ tranquillitas, posse dicere: hanc Animam ego Christo lucrifeci; illam a concubinatu removi; aliam a contractibus illicitis deterrui! Hæc mea est præda; *Perierat*, & ego illam *invèni; mortua erat*, & per me *revixit* (c). *Fratres mei*, inquit Jacobus, *si quis ex vobis erraverit a veritate, & converterit quis eum: scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, & operiet multitudinem peccatorum* (d). Commemorat Sanctus Job pauperum, quos ipse vestiebat, gratum erga se animum, his verbis: *Si despexi pereuntem, eò quòd non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem: Si non benedixerunt mihi latera ejus, & de velleribus ovium mearum calefactus est* (e). Itaque

(a) *Exodi XXVIII. v. 21. & seq.*
(b) *Lucæ II. v. 20.*
(c) *Ibidem XV. v. 24.*
(d) *Jacob. V. v. 19.*
(e) *Job XXXI. v. 19. & 20.*

que si ipsa *latera*, & corpora pauperum, dum se vestibus sancti viri tecta & *calefacta* sentirent, gratias illi agere non tam verbis, quàm ipsorum laterum sensu & calore videbantur; quantò magis bonis Sacerdotibus benedicent revocatæ a peccatis Animæ, quæ cùm nudæ essent, eorum diligentia & studio sunt gratiâ indutæ, & caritatis igne calefactæ? Nulla profectò reperitur consolatio, quæ huic valeat comparari.

Idcirco recordamini, fratres, præcipuum hoc nostrum esse negotium; nostrum dico, quia neminem hic excludo. Et meum est, & Parochorum; eorum qui Confessiones audiunt, & qui verbum Dei prædicant. Quare vigilandum est omnibus nobis. Est hæc animarum cura, venatio. Venatores erant Apostoli; venatores sunt quotquot eis successerunt, eorumque cooperatores. De his dicebat per Prophetam Dominus: *Post hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum* (a). Duo in venatione canum genera solent adhiberi; quidam enim in nemora mittuntur ad terrendas feras, easque ad egressum compellendas, atque in fugam adigendas; alii verò fugientes insequuntur, & capiunt. Sic in venatione spirituali, Prædicatores commovent peccatores, Inferni supplicia comminantur, peccati turpitudinem ostendunt, terrorem incutiunt. Perterrefactus peccator, & secum hæc recogitans: heu in quo periculo versabar! si mortuus essem, fuissem æternis pœnis statim addictus, horrendo illo igne perpetuò cruciandus; ad Confessarium accurrit; & statim præda capitur Christo. Aperit ille conscientiam suam, peccata detegit, quærit remedia, & prudentis Sacerdotis monitis, adhortationibus, & salutaribus præceptis, Christo *cibus de venatione paratur* (b).

Hic ergo adestis omnes, qui estis veluti nervi spiritualis vitæ hujus populi. Inflammemur, obsecro, ineunte hoc anno; excitemus nos invicem; firmissimè statuamus, Dei nos Ministros esse, non ad quietem aut ocium, sed ad laborem vocatos. Agnoscamus vocationem nostram; quid sit Animarum zelus consideremus; seriò tantam hanc provinciam amplectamur; prodesse Animabus studeamus verbo, exemplo, hortationibus, præceptis, regimine, & recta Ecclesiæ administratione. Excitentur Populi ad vitæ castigationem, non modò inculpatos mores nostros cer-

(a) *Jerem. XVI. v. 16.*

(b) *Genes. XXVII. v. 7.*

cernendo, sed gestus omnes nostros compositos, & actiones exteriores modestiâ obsignatas perspiciendo. Videant ministerium nostrum Deo gratum; Altaribus nos dignè inservientes; Ecclesiæ, domûs Dei, decorem & ornatum diligentes; munda omnia & nitida, quæ Sacris deserviunt, conservata. Nos Ecclesias vestras, fratres, Altaria, & Sacraria, inexpectati visitabimus. Cùm minùs id cogitabitis, vobis repentè superveniemus. Curate, obsecro, ne disciplinæ severitatem cogamur assumere. Fuimus elapsis mensibus ab hoc munere adimplendo (quemadmodum nostis) impediti, ut Sanctissimo Christi Vicario obtemperaremus, qui Rhetòrum Provinciam visitandam nobis commiserat; posthac, ad solemnitatem usque Sacratissimi Corporis Christi ampliorem vobis faciemus nostrì copiam. Interim adnotate quæcumque venientibus nobis suggerenda censueritis; præsertim circa eos, qui immodicos sumptus in conviviis impendunt; aut miserrimis his Baccanalium temporibus nimiùm dissolvuntur, ut, quatenus possumus, illorum infirmitatibus in Domino medeamur. Curate tamen diligenter, juxta ea, quæ vobis sæpius fuerunt injuncta, ne Dominicis & Festis diebus, larvati homines per Civitatem incedant (*a*). Sit vobis cordi sancta Fidelium in domo Dei conversatio, ut nempe homines a mulieribus sejuncti in Ecclesiis orent; & ut mulieres non nisi velatis capitibus in iisdem consistant. Clericorum quoque vobis ministrantium curam suscipite, ne per Civitatem vagentur; & si qua in re nostro vobis opus est auxilio, nobis indicate. Sequentis verò hebdomadæ ferià tertià quilibet Parochus Libros Parochiales anni præteriti MDLXXXIII. ad nos deferat, in quibus baptizati, confirmati, defuncti, & qui matrimonia contraxerunt, sejunctim describuntur. Demum ita vivite, ut & vestri, & subditorum vestrorum rationem Deo exigenti cum gaudio reddatis. Amen.



HO-

(*a*) Extat in Actis Ecclesiæ Mediolanensis Part. III. pag. 436. Edictum, ne personati homines diebus Festis per vias incedant, datum sub die XXVII. Januarii MDLXXXII.

HOMILIA XCIII.

IN

EPIPHANIA DOMINI

Habita in Templo Maximo Mediolani

ANNO MDLXXXIV. VI. JANUARII.



SACRIS ac salutaribus mysteriis plenissima fuit, dilectissimi filii, illa Isaiæ revelatio, quam his verbis ipse describit: *Et dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis: Velociter spolia detrahe, citò prædare* (*a*). Ut autem Propheta præcepta Domini exequeretur, subdit: *Et adhibui mihi testes fideles, Uriam Sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ: & accessi ad Prophetissam, & concepit & peperit filium* (*b*). Designabat insignis hæc Prophetissa sacratissimam Dei Matrem Virginem Mariam Spiritu Sancto plenam. Vidit Propheta in spiritu admirandam illam Verbi æterni in Mariæ utero conceptionem; agnovit hunc feliciſſimum partum, quem proximis diebus celebravimus: Et ex Domini præscripto, Dei Filio nascenti hoc nomen imposuit: *Accelera, spolia detrahere, festina prædari* (*c*). *Accelera;* solicitus esto, ne differas, aut morêris. O quàm aptè Salvatoris Domini nostri Jesu universa opera, ab initio Nativitatis ad finem usque vitæ, nomini huic correspondent ac congruunt! Vix natus *accelerat*, trahens ad se Pastores; *festinat prædari* Infernum, & Animas, quas sibi usurpaverat Dæmon, ei surripere; ideoque tenellus adhuc infans incipit ob id sanguinem fundere. Hodie verò, qui decimus tertius post ejus Nativitatem dies est, tam longè radios suos expandens, ab Oriente Reges sapientissimos attrahit ad se adorandum, quamvis tam longo susci-

(*a*) *Isaiæ VIII. v. 1.*
(*b*) *Ibid. v. 2. & 3.*
(*c*) *Ibid. v. 3.*

ſuſcipiendo ac conficiendo itineri incommoda temporis & viarum, atque occurrentes omnes difficultates obſtarent. Hoc eſt myſterium, quod ſacratiſſimo hodierno die cum Eccleſia Sancta Matre noſtra celebramus, dilectiſſimi. Verè feſtinavit Dominus, verè acceleravit, ſigno hoc adeo ſingulari oſtendere, quòd Mundum eſſet univerſum ad ſe tracturus. Præcipuum igitur Dei munus Magis, Gentium & noſtrùm primitiis, collatum conſiderantes, ac quanam illud ratione amplexi fuerint, ſuſpicientes, diſcamus hodie in eorum imitatione nos Deo vocanti reſpondere, & numquam ceſſanti nos ad ſe multipliciter trahere, libenti promptoque animo conſentire.

Inter creaturas omnes homine inferiores haud dubiè viſibilis hic Sol excellentiori quodam modo, Dei nobis exprimit magnitudinem, potentiam, ac ſublimitatem. Excitat nos ſplendore ſuo & fœcunditate, ad illius opera non ſine admiratione aliquatenus dignoſcenda. Quemadmodum autem ubi primùm ſummo mane Sol oritur, ſtatim radios ſuos per univerſum terrarum Orbem longè latèque diffundit: ſic oriens verus Sol Juſtitiæ Chriſtus Dominus, hodie ſtatim Stella Magos illuſtrante, Divinitatis ſuæ lumen expandit. O rem miraculi plenam! Diſtabant quamplurimis paſſuum millibus a Bethlehem Reges, in longinquis degebant regionibus (*a*): Illorum corda idololatriæ & errorum tenebris involvebantur; & ecce ſtatim, quia Stella hodie oculis eorum refulget, eorumque mentes illuminat, ac ſplendore ſuo in veri Dei cognitionem & adorationem inducit.

Quanta eſt, dilectiſſimi filii, bonitas Dei noſtri! quanta ejus in hodierna Magorum vocatione apparet benignitas! O quàm multimodè corda hominum ad ſe trahit! Angelo Paſtores vocaverat; Reges Stellâ nunc vocat; paulò poſt Simeonem ſenem interno lumine vocatum ſuis amplexibus donaturus. In Paſtoribus quidem illis rudiores Judæorum, hoc eſt Apoſtoli, denotabantur vocandi; in Regibus autem Gentiles; & in Simeone Judæorum reliquiæ, in Mundi fine ad Dominum conver-

(*a*) Receptior apud Interpretes ſententia eſt, Eccleſiæ Latinæ praxi confirmata, tredecim a Chriſto nato dierum itinere, Magos ad eum in Præſepi adorandum Bethlehem perveniſſe. Auguſtinus Calmet, qui veriſimilius eſſe cenſet, eos e Regionibus circa Euphraten, quæ ad Judææ Orientem jacent, profectos fuiſſe, viginti ſaltem itineris dies conficiendæ prolixæ viæ ſtatuit; cùm Jeroſolyma ab Euphrate diſtet non minùs, quàm CC. leucarum intervallo: Vide Diſſertationem ejuſdem *de Magis*, præfixam Evangelio Sancti Matthæi.

vertendæ (*a*). Hic verò animadvertite insignem Dei providentiam, qua diversos, diversis mediis ad se perduxit. Judæis Angeli apparere consueverant, & per Angelos cum illis Deus sæpius locutus fuerat; ideo Pastoribus natum Christum Angelus nunciat. Magi Stellarum inspectioni operam dabant, & Astrologiæ quoque cognitione abutebantur; Astrorum constitutionibus, plus æquo plerumque tribuentes, imo etiam Sidera quandoque adorantes. Habuerant ètipsi prophetiam Balaam, qui in regionibus illis natus erat (*b*): orituram Stellam ex Jacob in nova magni hujus Regis nativitate (*c*): Ideo Stellâ, uti medio Magis familiari ac consueto, eorum mentes illustrantur. Simeon denique vir *justus & timoratus* (*d*), sanctis meditationibus, ac crebris cum Deo colloquiis assuetus, a *Spiritu Sancto responsum accepit* (*e*). Quàm aptè Deus appositissimis fini suo mediis omnia disponit! Erat novus hic partus cœlestis totus, ideo cœlestibus tantùm signis indicatur. Annunciat Angelus; monstrat iter nova prodiens in Cœlo Stella; admonet Spiritus Sanctus: Imo promissio ipsa Messiæ non nisi rerum cœlestium similitudine adumbratur; ita enim Abrahæ indicatus est divini hujus Infantis ortus, cùm dictum illi fuit: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas Cœli* (*f*).

Viderunt Stellam Magi: quid verò ad ejus aspectum egerunt? Subitò relictis patriis Regnis, domesticis deliciis, liberis & uxoribus, longissimæ se se viæ committunt, Stellæ ductum sequentes. Non eos ab itinere temporis retardat adversitas, non frigorum vis, non viarum asperitas, non exosum fortè multis, ad

(*a*) Judæorum conversionem ad Christi Fidem postremis Mundi temporibus prædixit Malachias Profeta *Cap. IV. v. 6.*, ubi loquens de Elia, inquit: *Convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.* Eadem repetit Ecclesiasticus Cap. XLVIII., in quo encomium Eliæ Prophetæ contexens, hæc habet v. 10. *Qui scriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini: conciliare cor patris ad filium, & restituere Tribus Jacob.* Divinus quoque Præceptor *Matth. XVII. v. 11.* interrogatus a Discipulis descendentibus de Monte post illius Transfigurationem, respondens ait: *Elias quidem venturus est, & restituet omnia;* quæ verba explicans Sanctus Joannes Chrysostomus Homil. LVIII. in Matthæum, inquit: „ *Elias restituet omnia*, incredulitatem videli„ cet Judæorum, qui tunc erunt residui, ad „ Fidem convertet „: Et hanc esse communem Patrum & Ecclesiæ traditionem affirmat Cornelius a Lapide in Commentar. ad prædictam Malachiæ Profetiam; Synagoga enim & Gentes, Eliæ prædicatione in unam Christi Fidem coalescent, atque ita *fiet unum ovile, & unus Pastor.*

(*b*) *Balaam filium Beor ariolum, habitasse* testantur Sa*super flumen terræ filiorum Ammon* Augustinus cræ Literæ Numer. XXII. v. 5. quæ illi Patria Calmet Urbem etiam designat, *Pachoram*, circa fuit, nempe *Pathoram*, seu scripturis nomine Euphraten, qui in Divinis ut Sacri In*fluminis* antonomasticè indicatur, terpretes docent.

(*c*) *Numer. XXIV. v. 17.*
(*d*) *Lucæ II. v. 25.*
(*e*) *Ibidem v. 26.*
(*f*) *Genes. XXII. v. 17.*

quos erant digressuri, novi Regis nati nomen: sed omnibus his neglectis, statim se se ad iter disponunt; nec illis quidquam molestius esset, quàm sui adventus ad Infantis cunabula ineluctabilis tarditas. *Ecce ergo Magi ab Oriente venerunt.* Beati verè, qui promptè Deo vocanti respondent. Et quàm variis nos modis, filii, continuò Dominus vocat! Vocat flagellis, beneficiis, ac muneribus; vocat promissis, propriis periculis, & aliorum exemplis. Quid plura? Ipsis etiam peccatis vocat; nec mirum, nam etiam ex malo novit sapientissimus Dominus bonum elicere. Tumet ille superbia inexplebili; & quia exteriori morum præstantiâ ceteris se præire arbitratur, contemnit omnes, singulos parvipendet, de se ipso gloriatur, sibi non Deo, quod boni habet, attribuit; nullum sibi conferri patitur. Sed, cùm se ab omnibus suspici vult & ambit, en tibi de repente, quia benignissimus Deus animæ illius, qui boni specie deceptus viam sibi ad æternum interitum parat, miseratione commotus permittit, ut qui sibi ceterisque videbatur sanctis moribus elucere, in fœdissima carnis, aut alterius generis crimina prolabatur. Quæ cùm agnoscit ac videt, in se reversus exclamat: Heu quàm maculatæ sunt omnes justitiæ meæ! quàm fragiles sumus atque infirmi! Heu, quia, nisi Deus auxilium suum continuò præstet, turpi lapsu concidimus ac consistere non valemus! Infelix ego homo ceteros aspernabar, & en, quia ceteris redditus sum contemptibilis; sanctiorem me reliquis existimabam, & utinam ad illorum probitatem accederem! Cogitat hæc cum fletu & lacrymis, & infirmitatem suam agnoscens, aliorum discit infirmitatibus compati, & in se ipso humilitatis servare virtutem. Ecce igitur, quomodo permissâ peccati fœditate Deus superbientem reddidit humilem, & eum, qui ambulabat in summitatibus montium, ad se fecit descendere.

Respondeamus ergo promptè omnes Deo vocanti, quovis modo nos vocet; quin accurramus potiùs, nullam interponamus moram procrastinantes, & Regum felicissimum sequamur exemplum. Neque dicat quispiam: Hoc anno in incœpta vita perseverabo; postea emendaturus vitia, altero veniente anno: quis enim novit, ad sequentem annum se se victurum? Et quàm multos putatis anno præterito, plura in hodiernum diem fortè agenda reservasse, quorum tamen festina mors concepta vota intercepit? Quærit hoc mille artibus Dæmon, ut bonum opus, quamdiu

diu potest, suadeat differre; si enim hoc assequatur, jam sibi certam de nobis victoriam facilè pollicetur. Scit versutissimus serpens, quantum sit in mora periculum: novit, quàm *proni sint hominis sensus in malum* (a), & quàm ad bonum prosequendum infirmi. Vocat Deus? Currite filii. Accenduntur in vobis igniculi ad virtutem? eos ne permittatis extingui; imo potius fovete; exiguum siquidem tempus moræ, quam interponitis, satis esse potest ad quodvis pium animi propositum dissolvendum. Sicut aqua, quæ prope jam fervet, ablato igne, ac lignorum escâ minimè suppositâ, paulatim calorem omnem deperdit, & ad pristinam frigiditatem revertitur; ita homo, naturæ corruptæ vitio inclinatus ad malum, si quando bonum aggreditur, aut a Deo ad pietatem exercendam invitatur, nisi statim vocanti respondeat, ac festinè illum sequatur, facilè in malum recidit, & longiùs a virtutis tramite recedit.

Ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, dicentes: Ubi est, qui natus est Rex Judæorum? vidimus enim stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum (b). Sed non in Jerusalem, o Magi, Dominus invenitur, non inter Tyrannos versatur, non est ei in turbulenta Civitate locus. Ego quidem Fidei vestræ constantiam aspiciens stupore afficior. Estis in Tyranni ditione, intra impiissimi hominis manus; & de novo Rege, adhuc illo vivente & audiente, perquirere audetis: nec dubitatis Infantem, ad quem pergitis, Deum & Regem verum confiteri; & de mortis periculo, aut Tyranni concitando furore nulla vobis est cura? Non in cujuspiam vestrùm mentem cadit hæc cogitatio: quid aget Herodes Regni adeò avidus, si de novo Rege nos inquirentes audierit? Video vos, antequàm Christum fideli obsequio colatis, eumdem liberè ac intrepidè profiteri; ac proinde Christianos docere, ut etiam coram Tyrannis, & in ipso mortis periculo, Fidem constanter propugnent.

Audiens autem Herodes turbatus est, & omnis Jerosolyma cum illo. Turbatur Tyrannus, turbatur omnis adulatorum ejus caterva. O mysticam turbationem! Tyrannus est Satan, & omnes Angeli ejus; quippe qui in animas, Christi sanguine redemptas crudelitatem gestiunt exercere; si tamen nos ipsi consentiamus: neque enim repugnantes homines possunt vi opprimere, sed ultro tantùm cedentes exagitant. Cùm Christum in alicujus anima nuper

(a) Genes. VIII. v. 21. | (b) Matth. II. v. 1. & 2.

per natum aſpicit Dæmon ; cùm quis præterita peccata deflet, novam vivendi formam ſibi præſcribit, Sacramenta Sanctiſſima in poſterum frequentiùs ſumere ſtatuit; cùm illicitos contractus, quos hactenus exercuit, rejicere decernit: o quantum turbatur Dæmon! quale illi vulnus infligitur! quantâ curâ ac diligentiâ in id vires ſuas omnes intendit, ut Chriſtum recenter in anima natum occidat! Et utinam (quantum præſtare in nobis poteſt) id ſæpiùs non aſſequeretur! Plurimi, Dominici Natalis die, ad Sacram Menſam acceſſerunt, peccatis ſuis ad Confeſſarii pedes depoſitis: natus in eis per gratiam fuerat Chriſtus; & heu! ſi diebus feriatis per vias incedo, in maximum timorem adducor, ne tenellum Chriſtum in ſe jugulaverint. Quid enim iſthæc effrænata libido, quæ calamitoſiſſimis hiſce Baccanalium diebus cernitur in multis? Quid larvatorum curſitantium, ac Dei imaginem erubeſcentium, & diabolicam neſcio quam effigiem vultui ſuperimponentium turbæ? Quid frequentes crapulæ, convivia, comeſſationes, innumera quæ committuntur facinora, niſi occiſi Chriſti in iſtiuſmodi hominibus apertiſſima ſunt ſigna? Exultat Dæmon, gaudet Infernus, quia occiſus eſt Chriſtus. Nihil inſana hac lætitia injurioſius eſt Chriſto. Non Chriſtianorum hæc ſunt feſta, ſed Ethnicorum, ſed Gentilium, Bacco ſacra facientium. Ergone vix paucis a Chriſti Nativitate diebus elapſis, Dæmoni locus datur; Mundi ſervitus aſſumitur, derelicta peccata iterum perpetrantur? Hoccine eſt, filii, tanti beneficii, quod in nos contulit Chriſtus ob humanam carnem ſuſceptam, memores eſſe? Ille effigiem noſtram & vultum dignatus eſt in ſe ipſo referre; & nos impudentiſſimi horrori habebimus tales apparere, quales nos fecit Deus? Intoleranda profecto ſtultitia eſt, quin potius inaudita in Deum ingratitudo ac impietas, cui plures veſtrûm in hujus temporis veſana licentia operam præſtant. Sed quando vos Deum non diligitis, utpote qui carnis voluptatibus omnino addicti, nihil eorum, *quæ Dei ſunt*, *ſapitis* (*a*): quid ſaltem ego, licèt indignus, attamen amantiſſimus veſtri Pater, a vobis demeritus ſum? Quare cor iſtud, quod omnium veſtrûm amore æſtuat, tam ſævè nonnulli vulnerare non erubeſcunt? Cur tantum dolorem mihi addunt afflicto? Annon filiorum ſapientia honor eſt patris; & eorumdem ſtultitia in patris dedecus cedit (*b*)? Ubi ergo tot annorum abiere

(*a*) *Matth. XVI. v.* 23. | (*b*) *Proverb. X. v.* 1.

abiere labores; ubi tam frequentes mei ad vos exhortatorii sermones, ac tot diurnæ & nocturnæ pro vobis transactæ vigiliæ, ac susceptæ solicitudines? Perierunt ergo hæc omnia, ingratissimi filii? Verùm cavete Divinam iram; *maledictus* enim *a Deo* est filius, *qui exasperat patrem* (*a*). Sed si in vobis natus fuerit Christus, studete, quantum in vobis est, ne pereat, sed crescat potiùs; sin verò nondum natus, ecce ad vestri beneplacitum paratus est nasci. Quandocumque volueritis, *virtus Altissimi obumbrabit vobis* (*b*); eum desiderio & intentione concipietis, ac vobis opere coadjuvantibus exorietur: Ita enim Maria quoque, antequàm Dei Filium conciperet, firmum ac promptum præstitit assensum dicens; *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum* (*c*).

Herodes ergo audito Christi Domini ortu, *congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur* (*d*). Quærit miser Tyrannus, ubi sit Christus; sed ut occidat, ut perdat, quærit. Verùm, quid stultus timor te exagitat impie? Non hæc sunt, quæ tu putas, regalia nuper nati Regis Insignia; non, quale tu existimas, Regnum. Sceptrum ejus, arundo est; diadema ejus, corona spinea; ipsius purpura, sanguis toto corpore defluens. Non hæc te illi invidere, pro certo habeo; non tua ille appetit. Desine ergo amens timere, nec te ambitûs & superbiæ furiis dilacerari permittas. Quæritur, dilectissimi, Christus, a multis, sed diversimodè quæritur; alii enim Christum, ut adorent cum Magis, quærunt; alii quærunt quidem, ùt Herodes, sed ubi alicujus subsit jacturæ periculum, Christum perdere quærunt. Quærebat èt ille Christum; sed quia Regnum sibi verebatur esse usurpandum, Christum e medio tollere satagebat. Sic spiritu ambulare multi desiderant; sed ubi timor humanæ dicacitatis accedit, statim animo concidunt. Nec vacat mysterio, quòd Principes Sacerdotum de loco Nativitatis Christi interrogentur; illis siquidem, uti Ministris suis Deus revelat abscondita Scripturarum.

Recedentibus Magis ab Herode denuo apparet Stella, quæ, quamdiu in Jerusalem moram duxerant, se ipsam celaverat. Opportuna siquidem Dominus cognitionis suæ lumina præstat; sed vult, ut quod nos possumus opere perficiamus: Imo ubi humana desunt subsidia, divina suppeditat. Poterant Magi in Jeru-

(*a*) Ecclesiastici III. v. 18.
(*b*) Lucæ I. v. 35.
(*c*) Ibidem v. 38.
(*d*) Matth. II. v. 4.

Jerusalem a Sacerdotibus multa doceri, & ex Scripturis etiam elicere, ubinam Christus nasceretur. Postquam autem diligentiam adhibuerunt, quæ humano more ad illos spectabat, denuo Stella dux iisdem apparuit, & *antecedebat eos, usquedum veniens staret supra, ubi erat puer* (*a*).

Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valde (*b*). Desiderabant hi ardentissimè, locum invenire, ut Christum Regem venerarentur. Ob id tam longum, & tanto impendio peragendum iter susceperant. Quis ergo exprimat, quantopere gavisi sint, *stellam videntes?* Conspiciunt, eam stare super domunculam, seu potius stabulum, ac tacita quadam voce indicare: Hic residet Cœli & terræ augustissimus Rex; hæc ipsius est Regia; hic ejus thronus. Porro, filii, ista sunt vera gaudia, Christum invenire. Gaudeant alii, auri copiam & argenti congerentes; gaudeant qui voluptatibus diffluunt; gaudeant quibus prosperè cuncta & ex voto accidisse videntur: hæc *omnia* certè *vanitas* sunt, & *vanitas vanitatum* (*c*); terrena omnia, & pleraque perniciosa ac lethalia gaudia. At qui Christum invenit, quid boni non invenit? in ipso enim *fons vitæ* (*d*), & veræ solidæque felicitatis cumulus. Dicant qui Christum inveniunt, qua eorum cor exultatione repleatur. Eramus, inquiunt, in peccatis sepulti, ambulabamus in tenebris, Deo adversabamur, æternæque mortis sententia nostro capiti imminebat, cujus executio per singulas horas expectabatur. Benedictus Deus, qui nobis lumen ostendit, nos eduxit e tenebris, nos sibi reconciliavit; qui commissa scelera, & debita contracta nobis condonavit. Hæc vera quies; hæc perfecta tranquillitas; hæc optanda sunt, dilectissimi, gaudia.

Accedunt sapientissimi Reges propè domunculam, primoque statim illius loci aspectu terrentur. Et quænam, inquiunt, est hæc tanti Regis habitatio, quale palatium? Istæ-ne sunt Regiæ arces, ac superba ædificia, & turres altissimæ, in quibus Mundi Reges degunt? Intrant domum, & Parvulum vident in vili fœno reclinatum, audiunt vagientem; aspiciunt adstantem pauperculam Matrem. O quis stupor, & quæ tunc illos cepit admiratio! Non ibi aderant servorum & militum turbæ; non famularum & ancillarum copia, quæ tantæ Reginæ assisterent. Re-

(*a*) *Matth. II. v. 9.*
(*b*) *Ibidem v. 10.*
(*c*) *Ecclesiastes I. v. 2.*
(*d*) *Psalm. XXXV. v. 10.*

Regem (inquiunt) quærimus ; & qualia hæc sunt Regis Insignia? Obscura hìc omnia , humilia ac vilia ; omnia demum extremam paupertatem indicant. Luctabatur in Regum animis sensus cum spiritu , prudentia carnis cum Fide. Stellam illic consistentem aspicere , supremi nati Regis , imo Dei ipsius signum erat manifestissimum ; sed domum ingredientibus, nil Rege ac Deo dignum oculis cernendum proponebatur. Pudor ac confusio illos pervadit , dum pompas suas atque delicias , cum tanti Regis inopia & rerum omnium penuria conferunt. Miserentur Infantuli tam nobilis , quem tanta pati conspiciunt. O felices oculos , qui talia videre meruerunt! Dicam vobis , o Magi , quia innumeri Patriarchæ, & Prophetæ, ac Reges videre cupierunt , quæ vos videtis , & non potuerunt (a). Sed vos beatissimos , qui non sensum estis secuti , sed spiritum ; non carnis prudentiam , sed Fidei lumen estis amplexati , & procidentes parvulum Infantem adorastis. Utinam vestri imitatores fiant illi , qui , tantum abest , ut Fidei lumine se duci patiantur , quin imo sensus solos sequi constituunt , brutorum & ferarum more viventes , cùm ea tantùm , quæ sensus proponunt , amplectantur! Utinam per vestra incedant vestigia , qui eò tantùm pergunt , quò eos carnis illecebræ trahunt , & juxta insanos amoris , timoris , aut cupiditatis affectus cuncta metiuntur! Utinam demum vos illi imitentur , qui humanæ tantùm rationis sequi volunt dictamen ; quod , licèt malum non sit , est tamen in sacris & Divinis mysteriis periculo expositum ; existimant enim isti parvo quasi vasculo se posse mare exhaurire! Fidei oculis , filii , sunt nobis cœlestia arcana videnda. O summam Fidei præstantiam , quæ cernere meretur , carneis oculis minimè conspicienda ; & eò penetrare , quò humana ratio pervenire non valet! Fuit profectò insignis Regum sapientissimorum Fides ; & tantò major , quantò oculis ipsorum oblata , ab iis quæ inquirebant , dissentire magis videbantur.

Triumphum statim agere adhuc Infans incipit hodie Dominus noster. *Accelerat spolia detrahere , festinat prædari : antequam sciat puer vocare patrem suum , & matrem suam* (b) destruere aggreditur Mundi fortitudinem atque sapientiam. Nam quid aliud egit Christi Nativitas, ejusque in Mundum adventus , absque humanis armis , sine militum copiis , ac bellico apparatu , quàm mun-

(a) *Matth. XIII. v. 17.* | (b) *Isaiæ VIII. v. 3. & 4.*

mundanas prorsus vires evertere? Quid aliud fuit, nasci Christum inter paleas ac fœnum, & reclinari a Virgine Sanctissima in humili præsepio, *cùm non esset ei locus in diversorio* (*a*), quàm humanum fastum, inanem gloriam, hominum pompam, & hujus Mundi sapientiam apertissimè condemnare? Quid aliud illa summa paupertas, quàm terrenæ prosperitatis, fluxarumque opum contemptus? In illa inopia delitescere voluit summus omnium rerum Opifex, amplissimusque Cœli moderator & rector, qui naturam universam immensa virtute coërcet ac continet, ut ad cœlestis patriæ desiderium excitaret, & quæ incauti homines tanti faciunt, doceret despicere. Quanta fuit Salvatoris nostri in Mundi restauratione celeritas! Statim ad se Pastores invitat, & Magos per longinqua itinera, ad suì obsequium velociter usque ab Oriente perduxit. *Constitutus est* Christus ùt homo, a Patre *Rex* (*b*); & ecce totius terrarum orbis Legati ad illum statim accedunt: Pastores ex Judæis, Magi ex Gentibus, ut hunc Regem recognoscant, & adorent. Incipit statim Infantulus *auferre fortitudinem Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum* (*c*), coram nempe Dæmone, suos ei auferens cultores: *Captivam* accipit *captivitatem*, quam secum *adducat* (*d*), atque eos, qui dira peccatorum servitute fuerant pressi, spectante Tyranno, nec valente resistere, in suì redigit potestatem.

Quàm mirè Isaia Propheta, hodiernos triumphos in Evangelio relatos prævidens, verbis illis descripsisti! *Hæc dicit Dominus: Labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt: Post te ambulabunt, vincti manicis pergent: & te adorabunt, teque deprecabuntur: Tantùm in te est Deus, & non est absque te Deus. Verè tu es Deus absconditus, Deus Israël Salvator. Confusi sunt, & erubuerunt omnes: simul abierunt in confusionem fabricatores errorum* (*e*).

Sed hisce ego verbis, auditores, Magos Reges in terram prostratos, Regem Cœli alloquentes mihi videor audire: Novimus, altissime Deus, te Dei Filium hominem factum; te illum esse, cui Pater dixit: *Filius meus es tu: ego hodie genui te. Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ* (*f*). Ad hoc, Stella duce, venimus; ut quod mente conceperamus, corporeis etiam oculis intueremur. Accedimus ipsi Gentium primitiæ, ut rejecto Idolorum cultu, te solum

(*a*) *Lucæ II. v. 7.*
(*b*) *Psalm. II. v. 7.*
(*c*) *Isaiæ VIII. v. 4.*
(*d*) *Ad Ephes. IV. v. 8.*
(*e*) *Isaiæ XLV. v. 14. & seqq.*
(*f*) *Psal. II. v. 7. & 8.*

lum verum Deum agnoscamus. Hoc nos Gentium omnium nomine profitemur, & verbis, quia *verè tu es Deus absconditus* (*a*), *& non est alius Deus præter te* (*b*). Non viles hi panni, non inculta domus, non fœnum ac paleæ, non rerum omnium extrema paupertas quidquam apud nos tuæ detrahunt Divinitati, qui omnia hæc, veluti celsitudinis tuæ latebras quasdam, esse cognovimus. Suscipe nos, benignissime Rex Regum, vilissimos vermes, atque in subditos recipe. Te semper colemus ac adorabimus, nec *alius* nobis erit *præter te Deus*.

Auditores, nonne hi sapientissimi Reges, nostri sunt præceptores, nonne nostrûm primitiæ? Quid ergo illos sequi cunctamur? Accedat *labor Ægypti*, *& negotiatio Æthiopiæ*; accedant ad Christum, qui hactenus laboraverunt in Mundo, & negotia ardua ac molesta exercuerunt. Quid enim Mundi servitus, nisi labor immensus, & dira servitus est? Accedant *Sabaim*, *viri sublimes*; Magistratus omnes, & qui principem inter vos obtinent locum. *Transeamus* omnes pariter ad Christum, & cum Regibus sapientissimis, ac cum Propheta, latentem illum in Altari sub Eucharistiæ Sacramento Sanctissimo his verbis alloquamur: Adoramus te, Hostia consecrata: Adoramus te, Christe Fili Dei vivi, qui te pro salute nostra Hostiam salutarem devovisti, & ut tuam erga nos immensam caritatem demonstrares, Divinum corpus tuum in cibum, & sanguinem tuum pretiosissimum in potum sub specie panis & vini, sumendum nobis reliquisti; cùm sub modici panis specie tu, Christe Sancte, verus Deus & verus homo contineatis. *Verè tu es Deus absconditus*, & invisibilis; visibiliter a nobis sumeris, aliena specie occultatus; & ita sumptus, peccata deles, animam expias, gratiam tribuis, virtutes auges, & sumentes admirabilibus gratiarum ornamentis decoras, atque ad veræ dignitatis sublimitatem perducis. Ecce tuis obvolvimur pedibus, in terram prosternimur. Hactenus Mundum amavimus, nos ipsos idola nobis constituimus, alios Deos adoravimus. *Verè tu es Deus absconditus*; nec *est alius Deus præter te* (*c*); *tantùm in te est Deus*, proinde ad te affectus omnes nostri, & opera tantummodo dirigantur; te unicè perquiramus, te solum inveniamus, nec ulla umquam temporis vicissitudo aut causa nos a te divellat; ut tamdem a stabulo transeamus ad Cœlum, & illic tecum in æternum regnare valeamus. Amen.

(*a*) *Isaia XLV. v. 15.* | (*b*) *Judith IX. v. 19.* | (*c*) *Ibidem.*

HOMILIA XCIV.

IN FESTO

S. BASILII MAGNI

ECCLESIÆ DOCTORIS

ET EPISCOPI CÆSARIENSIS

Habita in Templo Majori Mediolani

ANNO MDLXXXIV. VII. JANUARII.



IXIMUS heri, dilectissimi filii, Officium & memoriam gloriosi Martyris Christophori ad ejus diem certum transferri (*a*); ideoque Ritu Ecclesiæ nostræ hodie celebrari Festum eximii Doctoris, & Episcopi Sancti Basilii Magni. Hujus natalis colitur Ritu Græco, sicut èt nostro, Calendis Januarii (*b*); sed quoniam dies ille insigni Nativitatis Dominicæ Octa-

(*a*) Olim in Ambrosiana Ecclesia dies VII. Januarii dicatus erat Sanctu Isidoro Episcopo, simulque in Divinis Officiis ac Sacrificiis habebatur commemoratio *Sancti Christophori*, oon secus ac in Festo Sancti Jacobi Apostoli ad diem XXV. Julii. Ritus iste adhuc vigebat sub initium Seculi XVI.; iu Missali namque impresso anno MDXXII. ad memoratos dies, quæ hactenus retulimus, adnotantur. Sublatus deinde fuit a die VII. Januarii cultus Sancti Isidori, assignatis ad ejus memoriam celebrandam Idibus Maji, solusque Sanctus Christophorus Martyr coli cœpit die proximè subsequenti ad Epiphaniæ solemnitatem. Id constat ex Kalendario præfixo diurnis Ambrosianis Canonicis Horis, atque impresso Mediolani anno MDLV.; in eu enim ad VII. Idus Jaouarii rubro caractere descriptus legitur *Christophorus Martyr*, sed absque signo ✠ adjecto, quo Festa ex præcepto colenda tunc designari consueverant. Perseveravit ista consuetudu usque ad Sanctum Carolum Borromeum, qui, ùt ipse met testatur in hac Homilia, *Officium, & memoriam gloriosi Martyris Christophori ad ejus diem certum transtulit*, oempe ad XXV. Julii, substituto cultu Sancti Basilii. Unde verò in hanc Ecclesiam fluxerit origo celebraodi Festum Saocti Christophori die VII. Januarii, conjecturam affert Joannes Antonius Castilioneus iu Libro inscripto *Mediolanenses Antiquitates*, fasciculo IX. pag. 261.; arbitratur enim, desumptum fuisse hunc morem a Laudensibus, a quibus eo die solemni ritu colebatur Sanctus Christophorus, ob plura in gravibus eorumdem calamitatibus accepta cœlitus beneficia, implorato publicis precibus illius Martyris patrocinio; & postmodum subdit, certissimum ac notissimum esse apud Mediolanenses, quòd ille dies VII. Januarii in honorem Sancti Christophori, etiam ante Sanctum Carolum Borromeum, celebris haberetur.

(*b*) Præter cetera monumeota, quæ festum diem Sancti Basilii celebratum fuisse testantur a Græcis I. die Januarii, quo ad cœlestem patriam migravit, recensendum est etiam Menologium

Octavâ impeditur, in hodiernum diem hæc est translata Solemnitas. De hujus tanti Viri laudibus locuturus, filii, non possum non terreri, cùm idem Nazianzeno, sanctissimo & eloquentissimo Viro, de eodem sermonem instituenti accidisse noverim. Verùm tam multa sunt, quæ nos ad ejus laudes recensendas impellunt, totque nominibus summam ei debemus venerationem, ut magnâ culpâ silentium hujusmodi vacare non possit. Fuit Basilius Ambrosio Sanctissimo Patri nostro familiaritate conjunctus; ad eum literas scripsit amicitiæ plenas; salutis populi hujus ardentissimus zelator fuit; miroque gaudio perfusus est, cùm Ambrosium præstantissimum Virum huic Ecclesiæ præfectum rescivit: Basilii verò doctrinam ac Scripta plurimi fecit Ambrosius. Sed illud præcipuum accedit, quod maximè hunc Populum sanctissimo illo Episcopo devincire debet, nempe, cùm exulans Dionysius Ambrosii Antecessor & Ecclesiæ hujus Episcopus innocentissimus, in regionibus prope Basilium, diem clausisset extremum, Basilii potissimùm operâ atque industriâ, illius ossa sacratissima Populo huic restituta, hancque Ecclesiam tam pretioso thesauro fuisse ditatam (a). Magna quidem hæc sunt tanti

logium vetustissimum, quod secum Corcyrâ advexit Eminentissimus Cardinalis olim illius Sedis, nunc Brixiæ Antistes Angelus Maria Quirinus, antiqua omni eruditione, & literis instructissimus. Illius partem (scilicet quatuor primos menses) inseruit Epistolæ, typis Romanis vulgatæ, quam ad Clarissimum Virum Mazochium Neapolitanum Canonicum, & Sacræ Scripturæ Interpretem anno MDCCXLV. ex Alma Urbe transmisit. Primus fuit Sanctus Carolus Borromeus, qui in Ecclesia Mediolanensi peculiarem cultum exhibendum Sancto Basilio affixit VII. Januarii diei, cumque secuti sunt Archiepiscopi Gaspar Vicecomes, & Federicus Borromeus. Hic tamen postremus anno MDCXXV. loco Sancti Basilii substituit solemnitatem *Christophoriæ*, seu Reditûs Christi ex Ægypto, ejusque Sancti Episcopi Officium adnotari jussit in Breviario & Missali Ambrosiano sub die XIV. Junii, quo Episcopalem Ordinem recepit, & nunc etiam colitur. Cur autem Sanctus Carolus in Ecclesiam Mediolanensem hujus Sancti Doctoris cultum induxerit, præter rationes ab ipso hic assignatas, in causa esse potuit, summa, qua ipsum prosequebatur, doctrinæ & sanctimoniæ existimatio; Actis enim nostræ Ecclesiæ frequenter inseruit ejusdem nomen, illumque in exemplum proposuit Parochis, & Concionatoribus. Incompertus est annus, quo cœperit, S. Carolo jubente, celebrari Officium S. Basilii: Certè biennio ante illius mortem invaluerat apud nos cultus iste; in Calendario namque anni MDLXXXII. commemoratio ad Vesperas Epiphaniæ, & Horæ Diurnæ in honorem Sancti Basilii die subsequenti recitandæ præscribuntur. Servatur hoc Calendarium religiosè in scriniis Bibliothecæ Ambrosianæ ob Typographi errorem, qui præsagium quoddam fuit sacri cultus, quem postmodum recepturus erat auctoritate Apostolica, Cœlitum albo adscriptus Sanctus noster Antistes. Siquidem ad diem XXIII., & XXIV. Aprilis, loco *Sancti Maroli Episcopi Mediolani* tum in Vesperis, tum in Matutino Officio impressum fuit *Sancti Caroli Episcopi Mediolani*.

(a) Relatum ad nos Corpus Sancti Dionysii, qui in Armeniam a Constantio Imperatore Ariano relegatus, ibidem propiore Martyribus loco vitam clauserat, debere se pietati ac diligentiæ Sancti Aurelii Episcopi Rediciaenensis (seu *Ararathiensis*, ut vult Papebrochius in ejusdem Vita ad diem XXV. Maji) fatetur Ecclesia Mediolanensis. Attamen non defuisse operam Sancti Basilii in recuperando insigni hoc thesauro, testantur Literæ ab eodem scriptæ ad Sanctum Ambrosium, quæ leguntur in postrema Parisiensi ejusdem operum edicione Tom. III. num. CXCVII.; *in iis enim*, se ob id

Paſtoris in nos merita; proinde nos illi plurimum debere & noſcimus, & fatemur, præter id, quod eidem tamquam ſanctiſſimo Viro, ac celeberrimo univerſalis Eccleſiæ Doctori eſt tribuendum. Laudabimus igitur hodie Sanctum, & in Sancto Dominum; ac licèt tenuitas noſtra paria pro meritis ornamenta retribuere non valeat, pro viribus tamen de paupertate noſtra exhibentes quod poſſumus, excuſatione digniores cenſebimur. Tuam ego, o Baſili, vitam non hic deſcripturus accedo, quam nec ingentium voluminum libris complecti me poſſe confiderem; neque laudatione hac mea laudibus tuis incrementum aliquod fieri poſſe præſumo: ſed me ipſum in primis excitans, tum filiorum meorum ſaluti conſulens, omnem vitæ tuæ curſum ad duo capita redigam. In primo, quæ tui aſſumptionem ad Eccleſiæ regimen præceſſerint; in altero verò, quæ Ordinationem tuam ſubſecuta ſunt recenſebo.

Deus Optimus Maximus Tabernaculum ſibi magnificum erigi ſtatuens, artificibus, qui illud erant conſtructuri, ſpiritum ac ſcientiam ad id perficiendum largitus eſt. Hoc in Exodo habemus, ubi legitur: *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Ecce, vocavi ex nomine Beſeleel filium Uri, filii Hur de Tribu Juda, & implevi eum ſpiritu Dei, ſapientiâ, & intelligentiâ, & ſcientiâ in omni opere, ad excogitandum quidquid fabrefieri poteſt ex auro, & argento, & ære, marmore, & gemmis, & diverſitate lignorum. Dedique ei ſocium Ooliab filium Achiſamech de Tribu Dan. Et in corde omnis eruditi poſui ſapientiam: ut faciant cuncta, quæ præcepi tibi, Tabernaculum fœderis, & Arcam teſtimonii, & Propitiatorium, quod ſuper eam eſt* (a). Sic quotieſcumque ſumma Dei providentia aliquid præcipit, ad id quoque diſponit; & ad injunctum illi munus hominem inſtruens, debitis illum præparat mediis. Volebat Dominus, Baſilium magna aggredi, & ingentia onera in Eccleſia Dei portare,

id rogatum fuiſſe a Sancto illo Antiſtite noſtro aſſerit, atque illuc miſiſſe Theraſium Compreſbyterum ſuum, ubi Sacrum Corpus jacebat; cùm tamen reluctarentur cuſtodes, neque tam grato pignore privari ſe vellent, ait, Theraſium adeò fervidè peroraſſe, ut ad Mediolanenſis Præſulis votum implendum, illos tamdem inflexerit. Adnotaoda ſunt verba, in hiſce Literis a Sancto Baſilio conſcripta in laudem Mediolanenſium Presbyterorum, quos ad id opus perficiendum, Cæſaréam direxerat Sanctus Ambroſius, quique èt ipſi Theraſii precibus ſuas adjunxerant. „ Notum autem facimus tuæ in „ Chriſto caritati, optimos Fratres, qui a tua „ pietate ad boni operis miniſterium electi fuerunt, primùm quidem toti Clero laudem conciliaſſe morum ſuorum concinnitate; ſiquidem ſuâ ipſorum modeſtiâ, communem omnium gravitatem indicabant; deinde verò omni ſtudio ac diligentia uſos, hyemem impervium non reformidaſſe, ac omni conſtantia fidelibus Beati Corporis cuſtodibus perſuaſiſſe, ut ipſis ſuæ ipſorum vitæ præſidium concederent „ &c.

(a) *Exodi XXXI. v. 1. & ſeqq.*

tare, ac ceteris exemplo esse; ideo ab initio necessariis auxiliis eumdem ita muniebat, ut ad illa obeunda postmodum aptus existeret. Magnæ domûs in Ecclesia Dei ædificandæ firmissima Dominus primò jecit in Basilio fundamenta. Et sanè, si Parentum nobilitas magnum cuique afferre valet splendorem (licèt hujus numquam Sanctissimus iste Vir avidus fuerit, imo potiùs contemptor), a nobilissima certè dignissimaque stirpe ortus est. Quis honores magis conspicuos, quis plures Præfecturas ac dignitates tunc temporis est assecutus, quàm Basilii Progenitores? Quamvis autem hæc maximo ejus cedant ornatui, cùm tamen ipse ea tantì non faceret, quanti homines mundani facere consueverunt, certè Majorum ejus mira pietas & religio commendatione dignissima, tacenda neutiquam videtur.

Erant illi Christianæ Fidei propugnatores acerrimi, fluctuantis tunc Ecclesiæ columnæ fortissimæ, Christi milites strenuissimi: Non ii prosperitatibus effeminati, non adversitatibus imbecilles reddebantur; non eos a piis Institutis Imperatorum minæ, non Tyrannorum cruciatus, non proposita supplicia umquam deterruerunt: Imo Maximino Christianos persequente, diu in sylvis delitescentes, divinitus quandoque sustentabantur (a), Deo liberalissimo cibum Servis suis fidelibus exhibente. Quod umquam virtutum genus in his desiderabatur? Adcò perfectioni Christianæ operam dabant, ut redditutum suorum partem divino cultui procurando impenderent. Magni momenti doctrina vobis, Patres-familias, & salutaris hic proponitur

(a) Cùm Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione XX. in laudem Sancti Basilii, de progenitoribus ejusdem loquens, mentionem *Maximini* injecerit, cujus *persecutionem omnium atrocissimam, maximèque horrendam* fuisse testatur, ejusque occasione Macrinam Seniorem, Basilii Aviam, unà cum Marito ad quamdam Ponticorum montium sylvam confugisse asserat, ut illius impii Cæsaris iram effugeret, ibique cibis miraculosè subministratis vitam sustentasse, ardua res visa fuit Eruditis Scriptoribus, usque ad *Maximini* ætatem, atque ab illo excitatam persecutionem anno CCXXXV. Macrinæ vitam pertrahere. Bollandus ad diem XIV. Januarii hujus Sanctæ Fœminæ res gestas Commentariis illustrans, censuit de eodem *Maximino* intelligenda esse verba Sancti Gregorii Nazianzeni; eique adhæsit etiam Daniel Papebrochius, qui Vitam Sancti Basilii, patris Basilii Magni ad diem XXX. Maji annotationibus auctam evulgavit. Baronius tamen, Tillemontius, Franciscus Baertius Bollandi sectator ad diem XIV. Junii, necnon Monachi Benedictini Congregationis Sancti Mauri, in Vita Sancti Basilii Magni, ea contigisse affirmant, non sub *Maximino I.*, sed sub Galerio Maximiano, qui et ipse a Græcis passim *Maximinus* appellatur; cùm enim Gregorius Nazianzenus subjungat, Majores Sancti Basilii secessisse in solitudinem, atque ibidem delituisse *per VII. & amplius annos*, manifestum fit, loqui Gregorium de postrema Galerii persecutione, ita ut iidem in latebris morati sint ab anno CCCIV. usque ad CCCXI., quo Cæsar iste morti proximus favorabile Christianis Edictum emisit; Maximinus enim I., tertio post motam persecutionem anno, gladio confossus interiit. Argumenta reliqua, quibus id evincere conantur, vide apud memoratos Scriptores.

tur instructio, ut substantiarum vestrarum participem Deum esse velitis; ut ejus memineritis, cujus est quidquid habetis, & estis. Erat in illis admiranda victûs parcitas & abstinentia, cura pauperum maxima, hospitalitatis solicitudo insignis. Sed quid ego horum virtutes enumero? Annon eorum innocentiæ ac integritatis amplissimum fuit testimonium, quòd tot & tam insignes susceperint filios? Basilium in primis Cæsareæ, Gregorium Nyssæ, Petrum Sebastæ, celeberrimos & sanctissimos Episcopos, nec non Macrinam præstantissimam Virginem, cujus ea religio fuit, ut in Ecclesia numquam expuere auderet, ob loci reverentiam (*a*). Et quidem quòd inter plures filios unus existat, qui eximiæ sanctimoniæ specimen præbeat, non magnum est Parentum probitatis indicium. At quòd plures ex susceptis filiis eàdem vià incedant, omnesque sint doctrina & sanctitate conspicui, hoc certè arguit maximam Genitorum virtutem, & in rectè educandis instituendisque liberis diligentiam. Quòd si *arbor bona bonos fructus facit* (*b*), quàm magnum fuit Basilii præstantiæ argumentum, tam piis & illustribus ortum esse Parentibus!

Sed quid ego exteriora hæc argumenta diutiùs percurro? Annon magnam tibi, Basili Sanctissime, injuriam inferre videor, cùm in tam amplo laudum tuarum campo, quæ extra te prorsus sunt persequor, quibus tu potiùs decus addidisti & splendorem, quàm ab ipsis receperis? Ad Basilii ergo studia & mores, filii, accedamus. Verè, ùt ab initio diximus, disponebat illum Dominus, ac præparabat Ecclesiæ suæ Pastorem sanctissimum, Doctorem sublimem, atque columnam firmissimam. Non priùs lac ebibit, quàm literis & bonis moribus imbui cœpit; teneris enim annis adhuc infans patre suo eruditissimo ac religiosissimo Viro usus est præceptore, qui eum primis disciplinis informavit. O pater, verè pater, qui non contentus, filium Mundo genuisse, Deo etiam illum genuisti! Non tibi sat fuit illi dedisse, ut esset, nisi etiam dares, ut bene esset. Hoc patres, vobis præcipuè convenit, filios vestros erudire; hoc naturali jure vos soboli vestræ ab ejus infantia præstare debetis; si enim id vos omiseritis, quis de filiis erudiendis solicitam curam suscipiet? Sed utinam qui bona filios suos docere negligunt, non docerent mala, nec perniciosa pro-

(*a*) Vitam S. Macrinæ junioris a S. Gregorio Nysseno, ejusdem fratre conscriptam, eruditis Commentariis illustravere Bollandistæ ad diem xix. Julii.

(*b*) *Matth. VII. v. 17.*

proponerent; ludos nempe, blasphemias, detractiones, libidines! Utinam multos nunc patres haberemus, pares Basilio patri! cùm tota hominum vita, imo omnis Civitatum quies, & bonus Reipublicæ status, a bona vel mala infantium educatione dependeat.

Ubi primùm provecta ætate esse cœpit Basilius, plures longasque instituit peregrinationes, ad eas potissimùm Civitates maximè studiis florentes; in quibus quàm acriter iis operam daret, summa ejus eruditio, cujus famam est adeptus, & ejus præclarissima Scripta testantur. Æqualem habuit neminem; socios suos brevi tempore doctrinâ superavit, imo Magistros ipsos æquabat. Est sanè insitus a natura hominibus maximus scientiæ appetitus, cùm omnes appetant scire; ideoque multa ferunt ac tolerant, ideo vigilant & laborant. Sed numquid Basili, studiorum tuorum scopus hic erat? Non certè: Præcipuus ac primarius in eo versabatur, ut studeret ipse potissimùm, quò animabus acquirendis magis redderetur idoneus, Ecclesiam Dei magis excoleret, divino honori procurando atque augendo fieret aptior, a Mundo faciliùs sejungeretur, Deo arctiori vinculo sese conjungeret, & demum ex creaturarum cognitione, in Creatoris amorem ardentiùs inflammaretur: Cetera omnia secundaria illi erant. Sed èt studiis diligentiùs navabat operam, ut ocia fugeret, & innumera, quæ juventuti imminent, pericula vitaret; *nescit enim hominum natura, juventutis præsertim tempore, ociosa consistere; aliquid amplectatur, in aliquo sese exerceat necesse est: Siquidem cùm sociale animal homo sit, aut piis operibus incumbit, aut ad pravæ viæ cursum lubens declinat.* Videte, juvenes, parata ætati vestræ pericula, & discite, quantus sit, præter ceteros, studiorum fructus, ut vos ab iis tutos reddatis. Dum scientiis comparandis labores impenditis, adeo vobis noxiam malorum omnium consuetudinem effugitis; satis enim diuturnum negotium vobis exhibet pertractandum, liberalium artium exercitatio. Erat in hoc, ùt etiam in ceteris, maximè vigilans Basilius; non enim quorumvis societate utebatur, sed eos dumtaxat sibi familiares adhibebat, quos virtute & eruditione præstantes agnosceret, quod èt in omni vita sua servavit; usus enim est semper Sanctissimorum Pontificum & Episcoporum familiaritate, Liberii nempe Romani Pontificis, Athanasii, Gregorii Nazianzeni, & Sanctissimi Patris nostri Ambrosii. Quòd si hoc morum & vitæ conformitatem arguit,

guit, cùm similes facilè consueverint associari, quanta fuisse censenda est Basilii sanctitas, qui amicos tantùm habuit sanctissimos Viros? Athenis maximè, cùm literis operam daret, Nazianzeni Viri præclarissimi fuit individuus comes. Ambo hi in ea Civitate, quæ erat amplissima, duas tantùm vias noverant; alteram, quæ ad Ecclesiam, & ad sacrarum literarum Doctores; alteram verò quæ ad Astrologiæ, Rhetorices, ac ceterarum scientiarum Magistros ducebat. Præter hos tramites, quidquid Athenis celebrius erat, prorsus ignorabant, nec quò civium multitudo conflueret, aut ubi exhiberentur spectacula sciebant. O felices nostrorum temporum adolescentes, si duas has dumtaxat Mediolani vias nossent! O felicissimos patres, si hanc de filiis suis curam fidelem gererent! Sed proh dolor! Necdum pubertatis annos attigerunt, & jam per notas ipsis plateas, vias, angulos Civitatis tota die vagantur, atque discurrunt. O quot calamitatum causa est hujusmodi licentia! Miseri isti adolescentes, ad quæ vitia & facinora facilè patranda non fiunt proclives, hac pessima evagatione! Benedicti a Deo patres illi, qui secum filios ad Ecclesias tantùm ducere assuescunt.

Ab Eusebio Cæsareæ Episcopo Basilius de Ecclesiasticæ vitæ præceptis institui cœpit. Ac non repentè ad Episcopatum assumptus est, sed gradatim illuc ascendit, debitis præmissis inferiorum munerum experimentis. Diu Lectoris officium exercuit, multos itidem annos in Sacerdotio perstitit, semper Ecclesiæ deserviens. In Pontum profectus, Christianis illic degentibus plurimùm profuit, eosdem ab Ariana hæresi, quæ regiones illas pervaserat, ad Catholicam Fidem convertens. Sed Cæsaream ab Episcopo revocatus, ope Gregorii Nazianzeni, qui ad eum hac de causa fuerat missus, rediit. Ea Civitas a Valente Imperatore Ariano acriter adeo vexabatur, ut si loqui potuisset, his profectò vocibus Basilium compellasset: Tu Patriæ hujus es rector, tu custos, tu servator. Per te Catholica Religio in me viguit: Tibi filios omnes meos, qui in Fide perstiterunt, acceptos refero; tibi uni quidquid in me Religionis & sanctimoniæ elucet, adscribendum profiteor. Tu me a sævissimi Tyranni faucibus liberasti; tu Arianam pestem a me depulisti. Te utinam mihi post Eusebium sanctissimum Virum, cùm in Cœlum evolarit, Pastorem ac Patrem det Dominus Deus!

Et quis, filii, amplissimi illius Episcopatus munere dignior erat

erat Basilio? Quem Sedes illa optare poterat ardentiùs, ut Gregis ejusdem Animæ securiùs dirigerentur? Præfecturus Dominus Petrum Ecclesiæ suæ, ab eo in primis caritatem requirebat, dicens: *Diligis me plus his? Pasce oves meas* (a). Sed quis servidam Basilii caritatem non modò in Deum, sed èt in Dei filios, proximos suos comprehendere valeat? Erogavit omnia in pauperes, & cùm non ampliùs quod largiretur, ei superesset, ab aliis emendicabat, unde fame, quæ Civitatem invaserat, laborantes reficeret. Sanè perfectissimæ caritatis hoc fuit indicium; non enim verbo tantùm amabat, sed opere: pauperum corpora simul pascebat & spiritum, divinas illis escas prædicatione porrigens, & salutaribus monitis eosdem instruens. Pedes insuper lavabat, ac deosculabatur; multò tamen magis de animarum salute, quàm de corporum adjumento solicitus. Unde dignus extitit, cui diceret Dominus: *Pasce oves meas*.

Eusebius Cæsareæ Episcopus cùm *bonum certamen certasset, cursum consummasset* (b), tamdem ad laborum suorum amplissima præmia percipienda vocatur a Domino. Statim magna omnium gratulatione, Dei providentia id ordinante, universæ illi Provinciæ & Ecclesiæ præficitur Basilius. Non ad hanc illum ambitio, aut quæsita suffragia promoverunt; non amicorum aut Principum patrocinium adhibuit, sed ad eam *tamquam Aaron est vocatus a Deo* (c). Neque hæc honorum fuga insigni caret testimonio; Sancta enim Romana Ecclesia, Ecclesiarum Mater, Basilii tantùm Ordinationem celebrat, prout èt Ambrosii; & quamvis tam multorum Episcoporum natalitios dies festos agat, Ordinationis tamen illorum memoriam sacro ritu non recolit: ex quo apertissimè dignoscitur, quanta virtute polleret Basilius, & quàm peculiari modo munus illud eidem fuerit commendatum.

Sed multa adhuc suppetunt, quæ præstantes illius in Pastorali munere gerendo virtutes ostendunt. Dominus noster in hodierno Evangelio, quid ab Episcopis requiratur, verbis illis innuit dicens: *Vos estis lux Mundi: vos estis sal terræ: vos estis lucerna super candelabrum, & Civitas supra montem posita* (d). Implevit hæc omnia Basilius; fuit enim lux Mundi, sal terræ, lucerna super candelabrum, Civitas supra montem posita.

Ac primùm quidem lux fuit Mundi. O verè magna lux, ful-

(a) Joann. XXI. v. 15. & 17.
(b) II. ad Timoth. IV. v. 7.
(c) Ad Hebr. V. v. 4.
(d) Matth. V. v. 13. & seqq.

fulgentissimum sydus Basili, quomodo toti terrarum Orbi illuxisti vitæ castigatissimæ exemplo! Quanta fuit morum tuorum sanctitas, quanta victùs sobrietas ac parsimonia! Virgo erat Basilius, & virginitatis amator præcipuus: Hanc non in se modò, sed etiam in ceteris omni studio excolebat; proinde tot ab illo extructa Virginum Monasteria, tot Virginibus tradita castimoniæ præcepta, tot habitæ ad easdem exhortatoriæ admonitiones hoc ipsum testantur. Fidissima virginitatis custos sobrietas, Basilio semper carissima extitit; illius cibus panis & sal, aqua potus, lectus pavimentum; vestis una interior & exterior altera; ambæ pauperrimæ & laceræ. Huic verè Domini verba aptari poterant: *Quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt* (a). Paupertatem semper coluit; in se ipso ostendit, semperque ceteris, veluti pretiosam gemmam proposuit: Hanc ille & verbis continuò commendabat, & factis; hinc tam crebræ illius voces: quid inane hoc congerendarum opum studium? quid maledicta hæc auri sitis corda hominum exagitat? Annon quò plus hæc habentur, eò magis appetuntur? nonne satiare homines nequeunt? Veræ tantùm in Deo opes sunt constitutæ; hæ quærendæ, hæ congerendæ. His accedebant continua Basilii jejunia, frequentes vigiliæ. Quot ille noctes ducebat insomnes, quot orando transigebat? His tamquam adminiculis vitæ candorem servabat incorruptum. Sed illud etiam in eo erat præclarissimum, quod in Eusebio Vercellensi Episcopo Ambrosius Sanctissimus laude dignissimum prædicavit; nempe quòd Episcopalem vitam cum Monachali jungeret, actionem a contemplatione non separans; ideoque & sibi vacabat, & ceteris. O Mundi lux Basili, quàm multorum pectora hac luce illustrabas; quàm multi oculos in te conjicientes, a vitiis deterrebantur, & ad rectè agendum, ac vitam piè instituendam inflammabantur!

Sed quid de singulari ejus doctrina dicam, qua totum Mundum illustravit? Annon Basilius doctrinæ suæ radiis lux fuit Mundi, & sal terræ? Quàm uberi ille doctrinà affluebat, qui a teneris usque annis talem studiis operam dederat, ut nullum diem otiosè consumpserit, nulla eum scientia latuerit! Excellens ipse Orator, subtilissimus Philosophus, Theologus perfectissimus, tantum eloquendo poterat, ut omnis animorum duri-

ties,

(a) *Matth. XI. v. 8.*

ties, dicente ipso, mollesceret. Quod quidem concionandi munus numquam intermisit, cùm sæpissimè verba ad Populum faceret; sacratissimo verò Quadragesimæ tempore bis quotidie, mane scilicet & a prandio, per horas integras; nec, licèt maximas pateretur corporis ægritudines, ab officio, quod sibi adeò proprium esse cognoverat, destitit. Verè sal terræ appellandus, tantus sacrosanctæ Catholicæ Ecclesiæ Doctor.

Et quidem si salis omnes conditiones expendamus, verè sal fuit Basilius. Sal pro sapientia accipi solet; sed quæ major sapientia, quàm Basilii? Sal cibos condit, & nativâ acrimoniâ carnes a putredine præservat: Hæc omnia Basilius præstitit; condivit enim innumeros cibos Domino. Quot obstinatos in peccatis, ad Dei gratiam reduxit; quàm multos a veritate errantes in salutis viam revocavit; quàm multis christianè vivendi præcepta tradidit, aut Monasticam vitam amplecti suasit! Hi omnes cibi fuerunt Christo gratissimi, quos Basilius sale condivit. Præterea sal sui liquefactione cibis saporem infundit; sed quis Basilio magis liquefiebat? Incredibilis in hoc erga proximos caritas, & summa mansuetudini conjuncta gravitas elucebat. Aliorum peccata continuò deflebat; zelo divini honoris, & ardentissimo salutis animarum desiderio consumebatur. Invalescebat Arianorum in Fideles persecutio; sed ea fomes erat Basilio, ut non tam lacrymas vigiliasque impenderet, in tanta Ecclesiæ calamitate commiseranda, verùm etiam labores omnes impigrè susciperet, ad confirmandos instituendosque in Fide quoscumque posset: Imo ad eos Epistolas, & Nuncios mittebat, ut animos adderet; denique totus liquefiebat, ut ceteros condiret.

Neque verò eidem salis quoque deerat acrimonia, quamobrem in reprehendendis vitiis acerrimè declamabat, & tantam sibi in universo populo suo comparaverat auctoritatem, ut caverent omnes maximè, ne aliquid patrarent, quod illius animo dolorem posset ingerere; verentes præcipuè, ne iram Dei in se concitarent, si illum peccando provocassent. Quis Hæreticis Basilio infensior? Contra eos & eloquio & calamo semper decertavit, falsa illorum dogmata refellens, & hæreses impigrè evertens. Quis Eunomianorum confregit temeritatem, quis Apollinaristas confutavit, quis Sabellianorum impetus irritos reddidit? Nonne Basilius? Hic Hæreticorum hostis invictus, veritatis Catholicæ propugnator & propagator perpetuus, Catholicæ Eccle-

sit lux, oculus, sal extitit. Tantum denique vitæ suæ integritate est assecutus, ut ab ipsis inimicis benevolentiam extorqueret; & eos etiam, qui in illum simultates ac fraudes (quas passus est multas) contexuerant, morum lenitate ac probitate allectos ad sui amorem compelleret.

Quamvis autem lux & *lucerna* esset *sub modio*, tamen non latebat, *sed super candelabrum* positus *lucebat omnibus*, *qui in domo* Dei erant (*a*). Ad hunc enim scopum tendebant præclarissima omnia illius Instituta & gesta. Fuit virtutum norma omnibus Monachis, ad quorum spirituale regimen præcepta dedit, & pias exercitationes præscripsit, Monasteriis multis extructis; Monasticam disciplinam primus ipse in quasdam faciliores leges digessit, quas Benedictus Patriarcha Sanctissimus, & alii deinceps quamplurimi sunt secuti. Curam singularem pauperum gessit, pro quibus condidit Hospitalia, iisdem ulcera exosculans, & propriis manibus medicamenta porrigens. Pupillorum, viduarum, & egentium amantissimus pater: Lucerna verè super candelabrum posita, Mundum universum illuminans.

Civitas demum firmissima *supra montem posita* (*b*), Basilius extitit. Hinc tanta illius adversùs Imperatorem Valentem, ac ejus Præfectos fortitudo atque constantia, cùm illi Ecclesiam Dei evertere, ac Basilium in primis, viis omnibus in suam sectam pertrahere, dein ejusdem oves a Christi Domini grege sejungere conarentur. Innumera hìc mihi laude dignissima se se offerunt proferenda; sed ille tantùm, quem habuit cum Modesto Præfecto congressus ac sermocinatio sufficiat. Vocatus coram ipso in judicium Basilius, adeò constanter & intrepidè se se in omnibus gessit, ut maximâ Præfectum confusione repleverit. *Quid* (inquit Præfectus vehementi irâ percitus) Basili, *potestatem hanc non pertimescis? Cur verò pertimescam?* (respondit Basilius): *Quid fiet? quid patiar? Quid patieris?* (intulit ille) *Unum e tam multis, quæ meæ sunt potestatis. Quænam hæc?* (subjunxit Basilius) *facito enim, ut ea cognoscamus. Bonorum* (inquit ille) *proscriptionem, exilium, cruciatus, mortem.* Tum Basilius: *Si quid aliud habes, id nobis minitare; horum enim, quæ adhuc commemorasti, nihil nos attingit. Quonam* (inquit ille) *modo hæc intelligis? Quoniam* (inquit Basilius) *primùm bonorum proscriptioni obnoxius non sum, quippe qui nihil habeam, nisi fortè laceris ac detritis hisce pannis indiges, ac paucis libel-*

(*a*) *Matth. V. v. 15.* | (*b*) *Ibidem v. 14.*

libellis, in quibus omnis mihi vita sita est. Nec verò exilium ullum cognosco, qui nullo loco circumscriptus sum; ac neque terram hanc, quam nunc incolo, meam habeo, & eam omnem, in quam projectus fuero, meam duco; imo (ut rectiùs loquar) universam terram scio esse Dei, cujus advena ego sum & peregrinus. Jam verò, quibus tormentis carnem meam affligere poteris, quam non habeo? [erat enim adeò extenuatus jejuniis, ut nil præter pellem ossibus obductam haberet (*a*).] *Mors verò nihil mihi jucundius fuerit, quæ meo me reddet Creatori.* Quo sermone attonitus Præfectus: *Nemo*, inquit, *me ad hunc usque diem ita est allocutus, nec pari verborum libertate. Neque enim* (ait Basilius) *fortasse hactenus in Episcopum incidisti* (*b*). Ecclesiasticam verò libertatem numquam est passus infringi, pro hac omnibus se exponens periculis, & Imperatores, Præfectos, & quotquot in illum machinabantur confundens; verè murus æneus Basilius, *Civitas* fortissima *supra montem* (*c*), ac *petram*, nempe Christum, *fundata* (*d*).

O Virum numquam satis laudatum; cum Sanctissimis Patriarchis omnibus, cum Christi Præcursore, quo nemo sanctior, conferendum! Ostendit profectò mors tua, qualis præcesserit vita; nam productâ ad centesimum annum ætate (*e*), Deo Eccle-

siæ

(*a*) *Huic Homiliæ, dum a Sancto Carolo e suggestu recitaretur, præsentem se fuisse testatur Cardinalis Federicus Borromeus, ejusdem patruelis, in Libro Mediolani edito anno* MDCXXXII. *de Concionante Episcopo; Libro enim primo, Cap. VII. hæc habet:* „ Divino, sicut arbitrari licet, nutu accidit, ut ipsius Concio, quam nos extremam audivimus, incideret in Sacram Basilio diem, qua Concione laudavit summum illum & dicendi magistrum, & Pastorem animarum, cujus præcipua religione tenebatur. Summa hyems erat, omniaque rigebant gelu, & oppleta nivibus erant adeò, ut infrequens admodum esset Concio, ipseque etiam in amplissimo Templo, tantò magis frigoris incommoda sentiret, ac solito squalidior, vix ad pronuncianda verba virium satis haberet. Ultimo tamen conatu Basilii laudes tentabat explicare dicendo, ac super omnia voluit ostendere, quemadmodum Orator ille divinus, cùm redactus esset ad extremam usque maciem, & præter pellem & ossa, vix quidquam haberet ex humano corpore, pergebat nihilominus Pastoralis officii labores exhaurire „. Hæc omnia in ista Concione expressa videmus, ita ut dubitari prorsus nequeat, eamdem esse, quam Italico sermone olim pronunciatam hìc Latinè descriptam exhibemus.

(*b*) Refert hæc omnia Sanctus Gregorius Nazianzenus, in Oratione de Laudibus Sancti Basilii, juxta versionem, qua usus est Sanctus Carolus.

(*c*) *Matth. V. v. 14.*

(*d*) *Lucæ VI. v. 48., & I. ad Corinth. X. v. 4.*

(*e*) De anno nativitatis Sancti Basilii, plurimùm dissentiunt Combefisius, Baronius, & Pagius, quorum alii natalem ipsius diem statuunt anno CCCXVII., alii undecim aut etiam duodecim post annis; proinde verò de anno, quo decesserit, diversimodè sentiunt. Eorum sententias expendunt Bollandistæ ad diem XIV. Julii §. 3. & 4. ac tamdem concludunt, canitiem illam, quam sæpe commemorarunt tum Gregorius Nazianzenus, tum ipse Basilius, præsertim in Epistola ad Olympium Præsidem, in qua hæc ait: „ Moveat te hæc ipsa canities, „ quæ te antehac persæpe movit „, non esse intelligendam de efforta senectute, quæ contemptum potiùs, quàm laudem parere solet; sed de canitie, quæ cum gravitate & prudentia conjuncta, venerationem atque auctoritatem conciliat; adeòque censent, Basilium tunc egisse ætatem annorum circiter LX. Pervenisse autem ad sexagesimum sextum vitæ annum tradunt, ejusdem obitum statuentes anno CCCLXXIX.

siæ suæ consulente, moribundus adhuc populis prodesse studebas; Clerum convocans, Sacerdotes alloquens, eorum profectum curabas. Quàm utiliter tam multos annos tuos consumpsisti! Videre erat, auditores, Basilio in extremis constituto, adstantium aliquos morienti invidere, & illum rogare, ut viæ quam ingrediebatur comites sibi adjungeret, alios lacrymis cubile aspergere, ac ferventissimis precibus a Deo postulare, ne tam solidam columnam ab Ecclesia sua removeret, ac tam necessarium populo suo Pastorem periculosissimis illis temporibus auferret, mortem denique ejusdem in longum protraheret. Basilius verò, orationibus ac divinis colloquiis intentus verba illa suavissima proferens: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum* (*a*), animam Deo reddidit, ac copiosis cœlestium Spirituum agminibus stipatus evolavit in Cœlum. Quale tunc in superna illa Jerusalem gaudium; qualis Patriam illam præstantissimam exultatio replevit, quæ tanto se vidit auctam Civem, & tali novo sydere decoratam!

Sed *nimis honorificati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum* (*b*); nam æterno honore, quo Basilium in Cœlis donasti, minimè contentus, ejus quoque corpus exanime in terris honorari voluisti. *Efferebatur Vir Sanctus, Sanctorum virorum manibus elatus, atque omnes operam dabant, partim ut fimbriam arriperent, partim ut umbram, partim ut feretrum, quo Sanctus portabatur vel solùm attrectarent. (quid enim illo corpore sanctius ac purius?) Plena erant Fora, & porticus hominum illum deducentium, præeuntium, sequentium; multa millia hominum omnis generis, & ætatis, ante eum diem incognita: Psalmodiæ luctu interrumpebantur, ac vincebantur: patientia doloris magnitudine frangebatur: Certabant nostri cum exteris, cum Ethnicis, Judæis advenis, iique vicissim nobiscum, utris uberiores lacrymæ uberiorem utilitatem afferrent* (*c*); & qui Christum non noverant, nec ejus Fidem profitebantur, nihilominus venerandum corpus Christi Servi omnibus prosequebantur honoribus, & tantum Ducem ac Doctorem sibi sublatum lacrymabantur.

Sed jam ad exitum deductus est sermo noster, nec tanti Viri laudes prolixiùs prosequi tempus permittit. Vos igitur compello, præstantissima duo Cœli lumina; te Basili, te Ambrosi,

(*a*) *Psal. XXX. v.6., & Lucæ XXIII. v.46.*
(*b*) *Psal. CXXXVIII. v. 17.*
(*c*) Sunt verba Sancti Gregorii Nazianzeni, Basilium laudantis, ex Græco in Latinum translata.

brosi, & utrumque simul, cùm alter alteri in omnibus semper consenserit. Vos Mundi lux, sal terræ, lucernæ super candelabrum: Vos Civitates supra montem positæ, Ecclesiarum præstantissimarum Episcopi; ambo de Ecclesiis vestris non modò, sed etiam de aliis omnibus soliciti: Vos divini honoris, & animarum salutis zelatores ardentissimi; de Ecclesia Dei optimè meriti, ac celeberrimi ejusdem Doctores: Vos scriptis illam exornastis, salutaribus documentis auxistis: Vos Hæreticorum hostes acerrimi, Ecclesiasticæ libertatis, & Evangelicæ veritatis propugnatores strenuissimi: Vos humilitate insignes, vos Episcopalis dignitatis conservandæ studiosissimi extitistis: Tu Ambrosi *Maximo* Imperatori, ad quem non statim fueras introductus, te amplecti volenti, obsistens dixisti: *Si me ut Episcopum agnovisses, non hoc loco videres* (*a*). Tu Basili *Modesto* Præfecto libertatem tuam admiranti, impigrè subdidisti: *Hactenus in Episcopum non incidisti*. Ambo Imperatoribus tremendi, Theodosio alter, & Eugenio; alter verò Valenti, & illius Præfectis: Vos amici ambo, vos tempore & rebus præclarè gestis æquales. Ad vos ergo Mediolanenses omnes confugimus: Vos nostri Patres, Patroni & Protectores estote: Vos nostri memores, precibus vestris nobis a Domino impetrate, ut vestrûm imitatores facti eâ digni reddamur gloriâ, qua vos in æternum fruimini. Amen.



HO-

(*a*) Desumpta hæc sunt ex Epistola Sancti Ambrosii ad Valentinianum Imperatorem num. XXIV. Classis I. juxta editionem Parisiensem anni MDCXC.

HOMILIA XCV.

IN EVANGELIUM LUCÆ

CAP. II.

CUM FACTUS ESSET JESUS ANNORUM DUODECIM.

Habita in Basilica Metropolitana Mediolani Dominica infra Octavam Epiphaniæ.

ANNO MDLXXXIV. VIII. JANUARII.



VIDIMUS, dilectissimi filii, varia hominum genera Christo Salvatori nostro nato testimonium perhibentia: Jam eum Angeli annunciavere Pastoribus; Reges Magos ab Oriente ad Præsepe stella nova apparens adduxit; pauló etiam post Sanctissimus Simeon divino repletus Spiritu Infantem ulnis complexus inquit: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace: Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum* (a). Tacebit-ne semper Redemptor Jesus, cunctis de eo loquentibus? Num se ipsum perpetuò latère patietur, quem tam insignibus testimoniis omnis creatura veneratur? Non profectò, auditores; sed cùm præsignatum tempus accesserit, & prædicatione & operibus & miraculis, veluti radiis quibusdam, Divinitatis suæ lumen ostendet. O qualiter se se hominibus in Crucis theatro manifestabit, qualem in pectore suo fenestram aperiet, unde ipsius etiam cordis intima homines penetrent! Illud tempus, filii, mirabili huic manifestationi reservavit, quam adeò concupivit, ut diceret: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum* (b), cùm jam accedere inciperet Passionis tempus, & *Baptismo habeo baptizari: & quomodo coar-*

(a) *Luca II. v. 29. & seqq.* | (b) *Ibid. XXII. v. 15.*

coarctor usque dum perficiatur? (*a*) ac si innueret: quibus angustiis premor, quomodo angor? Sed longinqua nimiùm hæc tempora sunt bone Jesu. An ergo qui lux vera veneras in Mundum, illuminare omnem hominem (*b*), ad trigesimum usque & amplius annum, te celabis, ac tot tenebris fratres tuos, quos quærere accessisti, detineri sustinebis? Bono animo estote filii hominum, quia plus ille desiderat nosci a vobis, quàm ipsius vos agnitionem appetatis. Vestri ardet amore: *Vulnerastis* jam *cor ejus in uno oculorum vestrorum* (*c*): miseriæ vestræ & calamitates, jam ejus animam transfixerunt; nec tamdiu sua vos cognitione carere permittet. Ecce igitur quia hodie, puer adhuc, *cùm duodecim* dumtaxat *esset annorum*, incipit paulatim Divinitatem suam hominibus insinuare, dum sedet in Templo inter Doctores, eosque & audit & vicissim interrogat, & mirantur omnes *super prudentia & responsis ipsius* (*d*). Præclarissima profectò est Historia, quæ hodierno Evangelio descripta, a Sancta Ecclesia Matre nostra digerenda nobis proponitur. Eam igitur percurrentes, aliqua ex ejusdem litera, ad mores componendos aptissima delibabimus.

Erat Christus, dilectissimi filii, verus justitiæ Sol, nec fieri poterat, quin Mundo universo prælueceret. Sed quemadmodum hic visibilis Sol, antequam radios suos penitus exerat, eosque per omnem terrarum Orbem diffundat, auroram præmittit, cui postmodum, paulatim refulgendo, succedit, donec in meridie splendidissimus appareat: Sic Dei Filius, antequam meridianum tempus accedat, quo Divinitatem, & immensum suum erga nos amorem ostendat, sensim, veluti in aurora, fulgere incipit hodie in pueritia: *Cùm factus esset annorum duodecim*, inquit Lucas Evangelista (*e*): verba sanè hæc sunt, mysticis & moralibus considerationibus prægnantia.

Narraverat antea Lucas, Christi Parentes quotannis se condferre ad diem festum in Jerusalem consuevisse (*f*), & hìc subdit, *ascendentibus illis in Jerosolymam secundùm consuetudinem diei festi* (*g*). Hinc primò docemur, quàm sedula ac inviolabili diligentia observandæ sint piæ ac laudabiles consuetudines, & religiosa Instituta longo usu recepta & confirmata. Porro hoc vestrum est, patres, præcipuum munus, de illis quandoque cum filiis vestris disse-

(*a*) *Lucæ XII. v.* 50.
(*b*) *Joann. I. v.* 9.
(*c*) *Cant. Cantic. IV. v.* 9.
(*d*) *Lucæ II. v.* 47.
(*e*) *Cap. II. v.* 42.
(*f*) *Lucæ II. v.* 41.
(*g*) *Ibidem v.* 42.

disserere, hisce Institutis eosdem imbuere, Ecclesiasticas ipsis traditiones & consuetudines suggerere, atque ad illarum observantiam eos excitare. Non vestrûm est, causas earum curiosiùs perquirere; cur nempe tali die talis Supplicatio fiat, cur aliquæ stato tempore adhibeantur cæremoniæ, cur quædam jejunia sint facienda; sed simpliciter tantùm ac purè, sicut Christi Parentes faciebant, sunt vobis servandæ consuetudines, quarum tanta vis est, ut Apostolus Paulus, mulieres non nisi velatis capititibus in Ecclesia manere præcipiens, nulli alteri causæ magis quàm huic innixus, dixerit: *Nos talem consuetudinem non habemus* (a). Sed, o tempora, o mores! Servantur nunc etiam, & quidem inviolabiliter, consuetudines: At quales? Quas Diabolus invexit, quas ad hæc usque tempora produxit. Adhuc inter Christianos Ethnicorum Festa vigent, Baccanalia videlicet, quæ per hos ipsos dies ingenti nostro cum dolore, nec sine lacrymis audire & videre cogimur. Currunt per Civitates, & hœdorum more discurrunt homines, mille modis Deum offendentes, & animas luctuosè fœdantes, nec intus solùm, sed etiam exteriùs teterrimas larvas, & Dæmonum effigies sibi imponentes. Non ita servantur primitivæ Ecclesiæ sanctissima & laudabilia Instituta quotidie communicandi, Christi Fidem liberè profitendi, Ecclesias assiduè frequentandi, & hujusmodi. O dolor, o dolor! Aspicite, filii, quas consuetudines Christi Parentes observarent.

Ter ergo singulis annis omnes ad Templum convenire tenebantur (b); iis exceptis, quibus ob nimiam distantiam sat erat, si semel tantùm eò accederent. Sed nonne ubique est Deus? nonne Cœlum ipse replet & terram? nonne ubique est adorandus, & omni in loco ad illum licet preces effundere? Ita profectò: sed magis opportunus & aptus orationi locus est Ecclesia, de qua dicitur: *Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum* (c). Habet nescio quid majoris efficaciæ, & latentis cujusdam energiæ oratio, quæ in locis ad orandum deputatis peragitur. Quanta vi pollent tam multæ illæ benedictiones, consecrationes, thurificationes, aspersiones, quibus Templa consecrantur, habendisque precibus designantur!

Maxi-

(a) *I. ad Corinth. XI. v. 16.*
(b) *Exodi XXIII. v. 17., & Deut. XVI. v. 16.*
(c) *Matth. XXI. v. 13.*

Maximè insuper orantium caritas augetur & fervor, cùm in Ecclesiis plures simul conveniunt, & devotione sua ac Religionis exemplo, alter alteri ad pietatem vehementissimos quosdam veluti stimulos addit. Hæc uniformis & unanimis oratio apud Deum plurimùm potest, cùm ipse non modò se in medio fore promiserit duorum vel trium, qui congregati fuerint in nomine ejusdem (a); sed etiam, si duo ex nobis consenserint super terram in orando, eorum preces exaudiendas fore pollicitus fuerit (b). Salomon postquam domum Domino exædificavit, hanc scilicet ipsam, ad quam Christi Parentes in hodierno Evangelio convenerunt, nempe celeberrimum illud Jerosolymæ Templum; tam multa eidem adprecatus est a Domino prolixâ illa & pulcherrima oratione: *Sint oculi tui aperti super domum hanc nocte ac die: Quodcumque oraverint in loco isto, & exaudies in loco habitaculi tui in Cœlo* (c), & alia plurima ibidem sequentia, quibus divinam opem & contra hostes, & contra penuriam, famem, atque aëris siccitatem, non modò filiis Israël, sed alienigenis, qui eò confugerint, implorabat. Sed quantò magis ac faciliùs hæc omnia ii consequentur, qui ad verum hoc Templum, ad sacram hanc Dei domum deprecabundi accedent? Non hìc lapideæ Legis tabulæ, non Panes propositionis, non virga Aaron, non Arca fœderis asservantur; sed residet hic in Throno Majestatis, in Sanctissimo illo Altari, ipse Dei Filius, Deus & homo, quem infinita Angelorum millia circumstant. Hìc panis ille, qui de Cœlo descendit; hic Legis Evangelicæ lator, qui eam *non in tabulis* ligneis aut *lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus scripsit* (d); hic virga illa, quæ floruit in Virginis utero; hìc denique divinitatis Arca, & gratiarum omnium thesaurus continetur. Quis verò in nostris orans Ecclesiis vivificos quosdam radios ex sacro Altari effluentes, ejusque mentem illuminantes, ac cor inflammantes non persentiat? Vocabatur in antiquo Testamento Dei Ecclesia *Propitiatorium:* sed nostra verum est Propitiatorium, in quo sedet *qui propitiatur omnibus iniquitatibus nostris: qui sanat omnes infirmitates nostras* (e); ad quem maximâ nobis fiduciâ ac spe est accedendum. En ergo, quàm jure & meritò in Ecclesiis potiùs quàm alibi sit orandum; ideo enim præcipie-

(a) *Matth. XVIII. v.* 20.
(b) *Ibidem v.* 19.
(c) *III. Regum VIII. v.* 29. & 30.
(d) *II. ad Corinth. III. v.* 3.
(e) *Psalm. CII. v.* 3.

bat Dominus, licèt esset ubique, ad Templum suum sanctum nos accedere, cùm orationi incumbere statueremus. Verùm, licèt erga singulas Ecclesias homines Christianos affici deceat, maximè tamen debent erga Matrices seu Cathedrales, & Parochiales suas affici, easque præ ceteris frequentiùs adire; nam hoc præcipiunt vetera Sacrorum Canonum decreta, quibus cautum est, ut, intra Missarum sacra solemnia, alta voce diceretur, ut qui ex Parochia illa non essent, ad suas abirent Ecclesias (*a*). In his Episcoporum jussu docentur Populi a Parochis quæcumque ad spiritum pertinent, nempe quæ peragendæ sint Supplicationes, quæ celebranda matrimonia, quæ sacra defunctis persolvenda; demum qui sint dies Festi, ab illis piè transigendi. Ad has Ecclesias qui non accedunt, paulatim in spiritualibus sylvestres fiunt, & ea omnia ignorant, quæ maximè illos scire deceret; quod profectò non est nisi magnifaciendum. Neque dixeris, o Christiane: si ad vespertina officia non accessero, non ob id peccato obstringar; siquidem hoc modo perniciosa rerum divinarum oblivio sensim inducitur, fitque hujusmodi hominum cor deploranda *terra oblivionis* (*b*). Via per quam frequenter non inceditur, paulatim invia redditur; campus qui non crebrò & diligenter excolitur, non multò post urticis, spinis, & dumis repletur. Idem accidit Animæ illi, quæ non nisi raró ad Ecclesiam

(*a*) Viguit adeò ab antiquis temporibus apud Fideles pia hæc consuetudo adeundi Ecclesiam propriæ Parœciæ, cùm Missæ præsertim sacrum diebus Festis a Parocho celebraretur, ut Concilium Marciniacense anno MCCCAXVI. celebratum in Gallia Canone XXVI. comminatum fuerit excommunicationis pœnam iis, *qui per duos Dominicos integros continuos dies Missas in Ecclesiis Parochialibus non audiverint*. Idem Canone LXXXIV. confirmavit Concilium Vavrense, convocatum anno MCCCLXVIII. Sanctus Carolus in prima Synodo Provinciali Capite *de his, quæ pertinent ad celebrationem Missæ*, hæc statuit: *Parochi Populum frequenter hortentur, ut in sua Parochia festis diebus Missam audire ne omittant*. Insuper in Concilio Provinciali VI. Tit. *de Parocho, & Parochiis*, formulam *Literarum Monitionis* de conveniendo ad Parochialem Ecclesiam edidit, quam in Populum evulgandam exorditus est his verbis: „ Fuit olim tanti apud antiquos Patres ille „ frequens in Ecclesiam propriam Parochialem „ Fidelium conventus, ut ad hanc disciplinam „ Populi Christiani institutioni valde accom- „ modatam retinendam, certis Decretis cautio „ aliqua adhibita sit. Primò enim hoc jussum „ est, ut Dominicis Festisque diebus Parochi, „ antequam Missam celebrent, plebem inter- „ rogent, an alterius Parochiæ Fidelis adsit, „ qui proprio contempto Presbytero, ibi Mis- „ sam audire velit? Quem si invenerint, sta- „ tim inde ejiciant, & in Parochialem suam „ Ecclesiam ad Missam audiendam redire com- „ pellant &c. „ Subinde Decreta Urbani VI., & Tridentinæ Synodi enunciat, Patres-familias, Tutores, Curatores, Ludimagistros, ceterosque aliorum regimini præfectos, ad eadem implenda cohortans. Institutionem istam in laudem Ecclesiæ Ambrosianæ, quæ antiquitatis retinendæ semper studiosissima fuit, peculiari adnotatione dignam censuit Joseph Vicecomes Capite ultimo *de antiquis Missæ ritibus*; alterum etiam Sancti Caroli decretum commemorans, quo vetitum est, in Ecclesiia Piorum Sodalium Eucharistiæ Sacramentum administrari, recurrentibus quibusdam præcipuis Dei ac Sanctorum celebritatibus, *ut frequentior in Ecclesiis Parochialibus hominum conventus fiat*.

(*b*) *Psalm. LXXXVII. v.* 13.

clesiam accedit, in qua ceteroquin sacratissimis cæremoniis, sacris concentibus & psalmodiis excoleretur. Habent hæc vim maximam in simplicium potissimùm mentibus; ita ut Augustinus Doctor, & Episcopus Sanctissimus hoc de se confessus fuerit, affici se plurimùm consuevisse nunc quidem ad lacrymas, nunc verò ad devotionem & pietatem, ex iis, quæ in Ecclesiis fieri & cantari videbat audiebatque: Juvatur enim in primis humana infirmitas hisce externis institutionibus, quibus in cœlestium paulatim gustum & cognitionem erigitur. Id etiam in temporalibus videre est; nam ornamenta in domibus Regum, peristromata plurima & aulæa gemmis fulgentia, vasa argentea & aurea, erga Reges ipsos, qui aliàs contemptibiles apparerent, summum honorem ac reverentiam omnibus inspirant.

Verùm masculis tantùm in lege hoc tradebatur præceptum, ut Jerosolymam ascenderent ad diem Festum; innuebat enim Dominus, quàm dedeceat vagari mulieres, locis publicis frequentes adesse, & per vias cursitare, nisi cùm ad Dei procurandum honorem, aut ad juvandas Animas esset accedendum; in his enim implendis nulla debet mora interponi.

Quòd si neque ad Templum cogebantur ire mulieres; quid obsecro, Moyses, Dei scriba sanctissime, diceres, si nunc fœminas nostras totis diebus per vias publicas & plateas euntes, & redeuntes, ac etiam peccantes, & ad peccandum ceteros allicientes, imò animabus retia in compitis tendentes aspiceres? Non hoc est, filiæ, quod Pater noster Sanctus Ambrosius (*a*) de vobis scribebat, vestrûm esse, in domibus tantùm aut in Ecclesiis permanere; per vias autem, nonnisi impellente necessitate, transire. Non hoc Sanctissima Dei Mater & Virgo, sexûs vestri, imo totius humani generis Magistra & Advocata edocuit, quæ divino monitu ad *Elisabeth* cognatam suam accedens, ut necessaria illi prægnanti *præstaret* obsequia, ibat *cum festinatione* (*b*).

Attamen cùm hæc ipsa Virgo lege non cogeretur, pro ista solemnitate celebranda Jerosolymam accedere, sed liberum ei esset, quod voluisset, nempe vel domi remanere, vel unà cum Sponso suo illuc ascendere; cur, quæso, etiam ipsa itineris hujus comes esse decrevit? O infelices homines, qui nihil peragere eligitis, nisi necessitate compulsi, nisi peccati lethalis periculum omis-

(*a*) Libro secundo Comment. in Caput primum Lucæ.

(*b*) *Lucæ I. v. 39.*

omiſſione incurratur! Diſcite a Virgine, quàm grati ſint Deo, hilares & liberales datores (*a*). Quàm miſeranda eſt hæc veſtra frigiditas! Ergo-ne infeliciſſime mortalis adeo rigidè cum Deo tractare audes? Non teneor, inquis, niſi ſemel in anno, Pœnitentiæ ac Euchariſtiæ Sacramenta percipere; non teneor, hoc vel aliud pium opus exercere. Quia ergo juſſio Dei aut Eccleſiæ non urget, ideo renuis pietati vacare? Væ tibi, ſi Dominus intra ſolius juſtitiæ fines tecum decerneret agere! Porro, qua lege, quove jure tenetur ipſe tibi toties peccanti parcere, teque ad pœnitentiam tamdiu expectare? Servus qui nihil agit, niſi domino præcipiente, profectò domino ſuo gratus eſſe non poteſt. Magno corde, filii, eſt Deo inſerviendum, quia multò majora a nobis meretur obſequia, quàm ei nos exhibere poſſimus; quia in nos tam eſt liberalis, &, ut ita dicam, prodigus. Non præceperat Dominus Davidi, ut ædificaret ſibi domum; & tamen hoc ille tam ardenter deſiderabat (*b*). Qui divini honoris eſt zelans, non hac tam tenui & vili menſurâ res ponderat, aut metitur; ſed cùm fecerit quidquid ab ipſo dici, fieri, vel excogitari potuerit, inquit: *Servus inutilis ſum: quod debui facere, feci* (*c*).

Aſcendentes ergo Joſeph & Maria in Templum, dulciſſimum Filium Dominum Jeſum ſecum perducebant. Hoc primum eſt Patrum, & Matrum-familias officium, ſecum filios ad Eccleſiam ducere; non permittere, ut per vias & plateas ii vagentur. Sed tener nimiùm (dicitis) adhuc eſt filius; nondum iis, quæ in Eccleſia docentur aut prædicantur, diſcendis vel intelligendis eſt aptus. Parum hoc refert: non parvus eſt fructus, ſi in Eccleſia permaneat; aliàs enim nugas miſceret inter eos, quibus ſpiritualia ſunt exoſa. Nec eò quòd ille ab infantia nondum emerſerit, tibi o pater excuſationem prætendit; nam quò tenuior eſt ætate, eò magis, veluti tenella arbor, tibi curæ eſſe debet, ut directè ſurſum tendat, ut bonam hanc conſuetudinem, etiam ſi fieri poſſet, cum lacte imbibat: licèt enim nunc eorum, quæ in Eccleſiis tractantur, fortè puer capax non exiſtat; aſſueſcet tamen Templis frequenter adeſſe, & ſanctum hunc morem induet, quem retinens, cùm adoleverit, promptiùs & faciliùs præceptis obediet. Non eſt parum, fratres, hoc conſequi.

Sed

(*a*) *II. ad Corinth. IX. v. 7.*
(*b*) *II. Reg. VII.*
(*c*) *Lucæ XVII. v. 10.*

Sed cur duodecim natus annos Dominus Jesus ad Templum accessit, & non ante id tempus, aut provectiori ætate? Volebat se se Salvator noster Mundo detegere; adeoque proportionem quamdam annorum in hoc servandam statuit. Erat Dominus noster in primo suæ conceptionis momento plenus sapientiâ & gratiâ, & perfecto rationis usu pollebat; quoniam autem, duodecimo potissimùm anno, utplurimum ceteri pueri ratione uti incipiunt, idcirco quod abundantissimè multò ante habuerat Christus, hoc tunc detegere incœpit, quando in ceteris id solet apparere. Qua etiam in re, nos docuit, Christianum quemlibet, cùm primùm ad pubertatis annos pervenit, teneri statim primo actu quem concipit, Deum recognoscere. Sanè si hoc a nobis minimè peragatur, lethali culpa inficimur, Filii; sique tunc mors ingrueret, in Inferni pœnas detruderemur (a). Et tamen, quàm pauci patres hoc filios suos student edocere! Ergo-ne casu vivendum est nobis? Statua aut fictile aliquid, si loqui sciret, statim ac formæ elegantiam accepisset, pictorem aut sculptorem suum gratis quibusdam officiis prosequeretur: Et homo tam nobilis, ad Dei imaginem ex nihilo eductus, creaturis omnibus prælatus, nonne par est, ut ad Creatorem suum se vertat; eique de tot acceptis muneribus gratias referat, cùm clarius eidem mentis lumen affulget? Id autem si non explicitè efficit, saltem peragat affectu, bonis operibus, animi religione ac pietate.

SECUNDA PARS.

[Antequam ulteriùs progrediamur, cùm jam vobis frequenter ad Ecclesias conveniendum esse sciatis, de hoc quoque vos monitos esse volumus, id in lege veteri, & semper Domino fuisse gratissimum, ut ad Templa accedentes homines, aliquâ de bonis propriis factâ oblatione, supremum Dei dominium publicè profiterentur; Ideoque præcipiebat: *Non apparebis in conspectu meo vacuus* (b). Non eget ipse bonorum nostrorum; sed (o summa Dei bonitas!) cùm omnia nostra sua sint, merendi tamen nobis causam dignatur concedere; idcirco sanctissimum hunc & antiquissimum offerendi morem, in Ecclesiis renovari statui-

(a) Sanctus Thomas prima secundæ, quæstione 89. articulo 6.

(b) *Exodi XXXIV. v. 20.*

ſtatuimus (*a*). Offeret ergo in poſterum quilibet veſtrûm in Eccleſiis ſuis Parochialibus, cùm ad Miſſam accedet: Qui dives fuerit, multum; qui verò pauper, quod potuerit, exhibeat: ut ita ſe, ſuaque omnia Dei arbitrio ſubjecta eſſe teſtetur.]

Venit ergo Dominus Jeſus cum Matre, & Joſeph ad ſolemnitatem, quæ diebus ſeptem perdurabat: & quidem de longè venerunt, nec viæ tædium aut difficultatem, vel pericula pertimeſcentes. Quàm multa in hac re frigiditatem noſtram, ac tepiditatem in ſpiritualibus arguunt! Divinus puer, parvulus & tenellus, a remotis Galilææ finibus Jeroſolymam proficiſcitur. Noluerat Joſeph ob metum Archelai Herodis filii, qui Chriſtum in cunabulis ſtuduerat perdere, ad Judæam accedere; & tamen hìc nullus eum timor aut metus invadit, ſed pericula omnia negliguntur. In rebus ad Dei honorem ſpectantibus neceſſe eſt, incommodi aliquid pati. Non ſunt, ubi de animæ ſalute agitur, pericula ulla extimeſcenda; non ob exiguum æſtum aut calorem, non ob modicum ventum Eccleſiæ deſerendæ, negligendæ conciones, non denique recedendum eſt a ſacris Doctrinæ Chriſtianæ gymnaſiis. Ubi Dei cultus proponitur, ubi de juvandis animabus occaſio ſuppetit, nullum debet eſſe periculum, cui ſe quilibet facilè, & prompto hilarique animo non exponat; ſuntque omnia libenter & cum alacritate tentanda.

Conſummatiſque diebus cùm redirent (*b*). Septem integros dies, quibus ſolemnitas illa abſolvebatur, ibi permanſerunt. Quales Chriſtiani ergo ſunt illi, qui Officia nimiæ prolixitatis incuſant; qui horam tardam eſſe opponentes, Eccleſias & Conciones fugiunt? Non hi certè a Chriſto, non a Virgine, non a Joſepho hoc diſcunt: diligentibus quippe Deum, divina aut eſſe,

aut

(*a*) Decretum hoc edidit Sanctus Carolus in Concilio Provinciali IV. tit. *De Parochiis, & Parochialibus juribus ac officiis*, his verbis conceptum: „ Oblationis Inſtitutum jam pri- „ dem ab Apoſtolicis uſque temporibus Apoſ- „ tolico etiam Canone ſancitum, ſanctiſſimo- „ rumque Pontificum Melchiadis, Fabiani, „ & Gregorii inſtitutionibus, & Conciliorum „ præterea Decretis communitum, quò graviùs „ his temporibus a Fidei, doctrinæque Catho- „ licæ hoſtibus exagitatur, & langueſcente pie- „ tatis ſtudio quò magis a Fidelibus negligi- „ tur, hoc diligentiùs ſervari, atque ad exe- „ cutionis uſum, ubi intermiſſum eſt, revoca- „ ri convenit; cùm præſertim & ad divinum „ cultum illud pertineat, & populis ſalutare „ ſit, ad expiandaque peccata utile. Quare „ Epiſcopi in ſua quique Diœceſi & ſuis, & „ Concionatorum ſermonibus, & omni alio „ perſuadendi cohortandique officio, omnique „ juris ratione, illud, ubi eſt, retineri, ac, „ ubi negligitur, reſtitui ad Sacrorum Cano- „ num præſcriptum ita curent, ut in Solemni- „ tatibus ſcilicet Domini, diebuſque Domini- „ cis, ac Feſtis item, quos coli aut præcepti „ aut conſuetudinis eſt, omnis Chriſtianus ali- „ quid, prout pro ſua quiſque pietate devotio- „ neque maluerit, Deo offerre procuret: Idque „ in Eccleſia vel Cathedrali cùm ad Miſſæ Sa- „ crificium, quod ſolemniter celebratur, vel „ in Parochiali, cùm a Parocho convenerit &c.

(*b*) *Lucæ II. v.* 43.

aut videri longa non possunt. Tacere hic unum nequeo, quo maximè nos confundi deberemus. In regionibus iis, quæ ultra Montes consistunt, (ad quas superioribus diebus, ut Sanctissimo Christi Vicario obtemperaremus, accessimus) maximâ Sacerdotum penuriâ Incolæ laborant; &, licèt multis in locis unicum tantùm habeant, festis tamen diebus comedere non auderent, nisi solemniter Missa in eorum Ecclesiis caneretur. Canitur hæc passim in hac Civitate, in tot Cœnobitarum & Presbyterorum Templis, in tot Parœciis; & tamen quàm plures, statim ac de somno surrexerunt, ad privatam aliquam Missam audiendam properant, ut postmodum ad crapulas & compotationes liberè accedant! Sed esto prolixa sint Officia, iisque absolvendis per plures horas sit immorandum; nonne festus dies totus est Domini? nonne totus hic in spiritualibus est expendendus, sicut reliqui hebdomadæ in terrenis negotiis insumuntur? Porro servilia quæcumque opera, nempe vendere, emere, negotiari festis diebus prohibentur; non quòd hæc intrinsecè mala sint aut damnanda, sed quia dies illi non sunt hujusmodi exercitationibus violandi, Deoque tantùm sacrandi, ac piis operibus transigendi.

Cùm redirent remansit puer Jesus in Jerusalem, & non cognoverunt parentes ejus (a). Videri posset parva de tanto Filio cura, eùm de illius amissione ne ulla quidem cognitio Parentibus occurrisset. Neutri tamen hoc culpæ fuit adscribendum; lege enim cavebatur, ne, eùm ad Templum accedebant, homines mulieribus permixti procederent; sed seorsum illi ab istis progrederentur: Cum infantibus verò vel pueris, quoad hoc, mitiùs agebatur; siquidem liberum illis erat modò cum Patre, modò sociari cum Matre. Ideo Joseph cum Maria, Maria cum Sponso Joseph Jesum esse arbitrabantur; sed eùm alter accessisset ad alterum, nusquam inventus est Filius. O quis fuit, & quantus tunc Mariæ dolor! Sciebat, Filium hunc Deum esse, & Dei Filium; verebatur proinde, ne culpâ suâ se tanto Filio reddidisset indignam; delicatæ namque conscientiæ mos est, timere culpam etiam, ubi nulla sit culpa; sed elapso triduo undique frustra quæsitum tamdem invênit. Verùm non sine mysterio contigit, ut triduum elaberetur; fuit enim triduum hoc, quædam veluti prægustatio tridui illius acerbissimi, quo Filius tuus, o Mater sanctissima, in sepulchro erat permansurus oculis tuis ereptus;

(a) Lucæ II. v. 43.

fuit hic dolor, gladii illius atrocissimi prænuncius, qui tuam ipsius animam erat pertransiturus. Sed vicit profectò doloris acerbitatem subsequens gaudium & exultatio Mariæ, cùm prædilectum Filium tot lacrymis quæsitum tamdem reperit. Sanè quis mente concipiat oscula & amplexus, in quos tunc proruit exultans Deipara? Intercipiebat voces mixtus lætitià fletus, quamobrem intra se loquebatur dicens: O Fili mi dulcissime, vita mea, spes mea, cor meum, o bonum omne meum; nunc *jam læta morior, quia vidi faciem tuam* (*a*): Ne, obsecro, tanto me rursum dolore afficias; ne gladiis his pectus meum denuo transfigas: neque enim alteram adeò luctuosam animi afflictionem patiens, fieri poterit, ut vivam. Patieris tamen, o Mater benedicta, longè majores, & vives; sed vità, mille mortibus amariore. Videbis in manibus peccatorum innocentissimum Filium tuum, adeo malè habitum, ut monstrum potiùs te videre putes, quàm hominem; quia *non erit ei aspectus* (*b*): Videbis illum inter latrones turpissimè patibulo Crucis confixum: videbis sanctissimum illius latus diro mucrone lanceæ transfigi: videbis demum sanguinem, quem ex te sumpsit, effundi; & tamen mori non poteris. O quales tunc te dolores manent, quales cruciatus!

Reperit ergo tamdem afflicta, dolens, ac plena amaritudine Maria dilectissimum Filium. Sed ubi? Num fortè, ubi nunc matres filios suos inveniunt, in plateis, in foris, in viis? Minimè profectò; sed *in Templo, sedentem in medio Doctorum, audientem, & interrogantem eos* (*c*). Ubi de cultu Dei agebatur, illic Christus reperitur. O juvenes, docet vos Dei Filius, ubi vobis sit immorandum; ubi consuetudinem habere cum sociis vos deceat; quibus occupare negotiis primos vestros annos, & florentem juventutem consumere debeatis.

Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia, & responsis ejus (*d*). Magna quidem necesse est in Christo eluceret Divinitas, cùm Pharisæi adeo superbi & arrogantes in stuporem raperentur; non enim solùm mirabantur, sed *stupebant*.

Et dixit Mater ejus ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te (*e*): Non hìc reprehenditur Christus, sed pio affectu, querulis vocibus doloris sui magni-

(*a*) Genes. XLVI. v. 30.
(*b*) Isaiæ LIII. v. 2.
(*c*) Lucæ II. v. 46.
(*d*) Ibidem v. 47.
(*e*) Ibidem v. 48.

gnitudinem benedicta Mater Filio exponit, ut exploret, num in eum quidpiam peccaverit, quò cavere id, quidquid esset, diligentiùs posset in posterum.


Et ait ad illos: Quid est quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse (a)? O filii, ubi agitur de obsequio & servitute Deo præstanda, cedat caro, cedat sanguis; pater, & mater, & consanguinei omnes cedant: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus (b)*; etiam per calcatum in portæ limine patrem prostratum, est filio pertranseundum, inquit Bernardus: Si ad perfectiorem te vitæ statum vocet Deus, sed revocare studeat pater aut mater, præcedat & vincat Deus. Hoc Christi responsum, aptissimum est scutum adversùs ea omnia, quæ a divinis & spiritualibus impedire nos aliquâ ratione possunt. Vult filia quædam Monasterium ingredi, virginitatem suam Deo consecrare: contradicit mater? Dicat filia: *quid mihi, & tibi est* mater (c)? *An nescis quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* In animum sibi quisquam inducit, cras, aut alio die Eucharistiam Sacratissimam sumere, vel aliquod aliud opus pium aggredi: multa repugnant? Repellenda sunt omnia & amputanda, ut soli Deo præcipuus in nobis locus relinquatur.

Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis (d). Cùm Deo obedieritis, filii, parentibus quoque obtemperare debetis. Eucharistico sæpe vescitur cibo adolescentula illa, & Deo piis ac religiosis operibus gratam se reddit. Non idcirco ei est superbiendum; sed, cùm domi versatur, discat morem parentibus gerere, seque ad labores omnes, licèt humiliores, demittere: Imo èt ceteris quoque sororibus suis, & omnibus qui in domo sunt, exemplum in hoc se præbeat oportet. Christus Dei Filius erat subditus Fabro. I nunc superbe, & te ipsum exime, si potes, ab obedientia Superioribus & parentibus præstanda. Quid autem objicis, te plus aliquo ex iis doctrinâ pollere? Quis sapientior? Joseph, an Christus, *in quo erant omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ* Dei (e)? Quis virtute ac sanctimonia præstantior? Christus, an Joseph? Et tamen Josepho subditur Christus. Disce miser, etiam si qui tibi est prælatus aliqua ex parte deficiat, illum revereri; & scito, quia dabit ei

(a) *Lucæ II. v. 49.*
(b) *Act. Apost. V. v. 29.*
(c) *Joann. II. v. 4.*
(d) *Lucæ II. v. 51.*
(e) *Ad Colossens. II. v. 3.*

Dominus Deus opportunum lumen, quo impositi sibi regiminis onus dignè sustineat. Audi, quid te in hac re Sapiens doceat: *Fili suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius: Et si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in virtute tua* (a). Ideo Angelus fugam in Ægyptum præcipiens, non Mariæ, sed Josepho apparuit, quem tamen illa tantopere superabat; nempe quia Deus alicui regendi munus injungens, apta eidem auxilia ad illud implendum suppeditare consuevit.

Jesus ergo *proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines* (b), quia in dies se magis hominibus manifestabat: non quòd ea, quæ infinita in ipso erant, augmentum aliquod capere possent; sed quia experimentali etiam scientiâ juxta ætatis mensuram crescebat. Fuit totus hic Evangelii contextus, auditores, plenissima vobis omnibus instructio; fuit patribus omnibus, matribus, ac filiis, superioribus ac subditis nitidissimum speculum, in quo, qualis eorum esse debeat vita, facillimè possint intueri. Quis nostrûm inter aliquos ex ipsis enumerari non potest? Imitemur ergo Parentes & Superiores Josephum & Mariam; imitentur filii & subditi Dominum Jesum, ut eò, quò ipsi pervenerunt, possimus èt nos eâdem incedentes viâ aliquando pertingere. Amen. (c).



HO-

(a) *Ecclesiastici III. v. 14. & 15.*
(b) *Lucæ II. v. 52.*
(c) A prandio habuit alteram Concionem Sanctus Carolus, in qua disseruit de Virginis Beatissimæ lacrymis ac dolore, ob amissum tridui tempore Filium suum, quamvis culpâ prorsus ipsa careret. Hinc verò occasionem cepit Sanctus Antistes exprobrandi nequitiam eorum, qui sponte Christum amittunt, crimina perpetrantes; ostenditque, quantæ calamitatis sit hæc jactura, quantoque luctu a Fidelibus deploranda. Exposuit subinde, qua ratione tam infelix amissio fiat, primò in Templis, ob irreligiosam in iis moram, & vanam pompæ ostentationem; secundò in plateis & foris, ob insanam carnisprivii licentiam; tertiò ubicumque, ob inconsiderantiam damni, quod oritur ex Christi amissione; exacto enim triduo hujus vitæ, intelligent insensati homines, quàm perniciosum fuerit, secum minimè habuisse Deum in via; demum remedia proposuit, quibus inveniri possit Deus, Mariæ ac Joseph exemplo. Hæc omnia, Sacræ Scripturæ locis confirmata, simul cum secunda hujus Concionis parte refert in suis archetypis chartis Possevinus, qui ea descripsit ex ore Sancti Caroli concionantis, sed imperfecta reliquit in Codice MS. signat. D. 213. in fol.

HOMILIA XCVI.


HABITA IN ECCLESIA PAROCHIALI S. BARTHOLOMÆI MEDIOLANI,

FERIA II. DOMINICÆ INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ

Ante Baptiſmum Infantis, quem e Sacro Fonte levavit Excellentiſs. D. CAROLUS DUX TERRÆ-NOVÆ, Gubernator Mediolani,

TEMPORE CARNISPRIVII

ANNO MDLXXXIV. IX. JANUARII.



ACRUM miniſterium proximè celebraturi, Sanctiſſimum Baptiſmum huic Infanti tradendo, debemus, Animæ dilectiſſimæ, unum aut alterum verbum de hoc facere, id nobis Sacroſancto Concilio Tridentino expreſsè præcipiente (*a*). Quòd ſi aliquando ſaluberrima ab ipſo ſtatuta hæc regula obſervanda fuit, nunc certè potiſſimùm adimpleri neceſſariò debet. Eſt quidem Baptiſmus Sacramentorum porta, & Sacramentum omnibus notiſſimum; ſed ſi paulo profundiùs rem meditemur, profectò a paucis admodum verà & ſolidà cognitione percipitur. Sceleris ergo argueremur, niſi de eo nonnulla pertractaremus. Verùm quid dicemus, *filii?* Non aliud ſanè, niſi quòd hoc miniſterium, prout a *diverſis* profluit cauſis, diverſorum quoque effectuum *fons ſit* & *origo*, videlicet gaudii atque exultationis, mœroris ac *luctus: Gaudii* quidem, ſi maxima dona, quibus Baptizati anima *repletur, perpendamus*; mœroris verò, ſi cogitemus, quàm parùm *receptis* tot muneribus *reſponderimus*.

Primò quidem in *Baptiſmo* gratiis omnibus exornamur, cùm ſit ampliſſima & copioſiſſima veluti ſcaturigo, in nos eas omnes profundens, & Sacramentum regenerationis ſpiritualis appelletur. Duplex quippe eſt hominis generatio ac nativitas: prior quidem ſecundùm carnem, qua in hanc edimur lucem, ideſt in hanc miſeriarum vallem prodimus calamitatibus omnibus obnoxii, & qua peccatores, filii iræ, Deo rebelles Inferno addicti naſcimur (*b*): poſterior verò ſecundùm ſpiritum (eaque in

(*a*) Seſs. XXIV. Cap. VII. (*b*) *Ad Epheſ. II. v. 3.*

in Baptiſmo fit) per quam prior criminoſa nativitas penitus aboletur. Prima, eſt potiùs ingreſſus ad mortem, quàm vitæ exordium; ſecunda verò mortis exitus eſt & vitæ principium: Prior per deſcenſum Populi Iſraëlitici in Ægyptum, ac Pharaonicæ ſervitutis initium deſignabatur; poſteriorem verò egreſſus de Ægypto, & ab immani illa ac dira captivitate exemptio præfigurabat. Flebat profuſis lacrymis priorem Regius Vates dicens: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea* (*a*). Ecce miſeri homines in delictis primò concipimur, & peccatis pleni Mundum ingredimur, morti ſtatim adjudicati. O infelix ortus! o nativitas, nativitatis nomine indigniſſima! Eſt-ne hoc naſci, ad mortem duci? Sapientiſſimi Prophetæ, ac juſtiſſimi Viri Job, & Jeremias optimè noverant hujus ortùs calamitates atque infortunia; nec mirum, ſi ex imo cordis ſuſpiria trahentes clamarent: *Pereat dies, in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt: conceptus eſt homo* (*b*). Non blaſphemabant illi, aut maledicebant diei ſeu nocti, in qua nati erant; hoc ſiquidem Deo fuiſſet detrahere, qui, ut naſcerentur, Auctor extiterat; ſed peccatum, in quo homines naſci conſueverunt, deteſtabantur. Verùm quid de his ego loquor tantùm? cùm èt eos, qui Divini Spiritùs lumine afflati non fuerant, plerumque id in more habuiſſe compertum ſit, nempe ut in liberorum nativitate triſtarentur; & in morte eorumdem gauderent atque exultarent? *Pereat* igitur ac deleatur prior illa nativitas, *qua ſic natus eſt homo*, omniſque illius tollatur memoria. Hoc eſt, quod ardentiſſimè Job deſiderabat (*c*), & totis cordis viſceribus a Domino precabatur.

Porro in ſecunda hac ſpirituali nativitate juſtiſſimum Job deſiderium impletur; idque innuunt Sacroſancti verba Evangelii, quod in miniſterii hujus ſanctiſſimi fine cantatur: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri* (*d*). Qui namque iræ fuerant filii & Satanæ ſervi, per Baptiſmum filii Dei efficiuntur, Chriſti fratres, ejuſdemque cohæredes. O quale munus eſt hoc, quanta Chriſtiani hominis nobilitas! Quod autem aliud donum huic queat conferri? Nonne omnis nobilitas, huic comparata vileſcit? Quanta igitur hinc gaudii & lætitiæ materies ſuppeditatur, cùm quempiam his ſalutaribus

aquis

(*a*) *Pſalm. L. v. 7.*
(*b*) *Job III. v. 3., & Jerem. XX. v. 14.*
(*c*) *Job III. v. 4. & ſeqq.*
(*d*) *Joann. I. v. 12.*

aquis ablui conſpicimus! Diem hunc Majores noſtri tanta eſſe exultatione recolendum exiſtimabant (teſte doctiſſimo & ſanctiſſimo Epiſcopo, ac Doctore Gregorio Nazianzeno) ut antiquitus quotannis feſtus ageretur dies ille, quo quis fuerat baptizatus. Sed cur ego Majorum ſententias perquiro? Quid, obſecro, eſt Epiphaniæ dies, quem nudiuſtertius ſolemnem celebravimus, niſi diei illius memoria, quo natus Chriſtus, ab infidelitatis & idololatriæ errorumque tenebris tres potentiſſimos Reges, ad Fidei veræque religionis lumen attraxit? Quid verò eſt quempiam baptizari, niſi a gentibus & a peccatoribus ac filiis iræ præcipuo Dei munere ſegregari, & in filiorum Dei numerum deſcribi? Age verò: Sanctorum, quos tam frequenter Sancta Mater Eccleſia veneratur, quidnam, obſecro, colitur? An dies, quo in hanc lucem ſunt editi? Minimè ſanè; niſi Deiparæ Sacratiſſimæ, & Chriſti Præcurſoris Joannis Baptiſtæ: Ceterorum autem omnium natalitius ille dies appellatur, & profuſis gaudiis a cuncto Fidelium cœtu celebratur, quo corporis hujus ergaſtulis ſoluti, ex teterrimo veluti carcere, mortis beneficio migrantes, evolarunt in Cœlum, ac in Dei gratia decedentes, in Domino obdormierunt. Quòd ſi dies hujuſmodi tantâ lætitiâ tranſigitur, multò majori profectò celebrandus eſt ille, quo aliquis baptizatur: major ſiquidem eſt hic tranſitus, ac illo difficilior; cùm in primo Sancti a gratia tranſeant ad gloriam, in ſecundo verò a peccato gradus fiat ad gratiam. Non ita album opponitur nigro, non ſic calida frigidis contrariantur, ùt peccatum diſtat a gratia. Verùm quid hæc commemorem, quæ cùm res finitæ ſint, finità inter ſe oppoſitione diſcordant? At peccatum infinito diſcrimine diſtat a gratia; illud ſiquidem nihil eſt, hæc verò bonorum omnium theſaurus, & cumulus inexhauſtus. O qualis tranſitus eſt, a re tam vili ad tam nobilem ſtatum aſcendere, atque a Diaboli captivitate ad Dei filiationem transferri! Majus certè citra omnem comparationem eſt, a Deo aliquem ad juſtitiam pertrahi, quàm glorià donari: Majus miraculum eſt, peccatorem gratiæ reſtitui, quàm mortuum in vitam revocari. Majora dona Baptiſmo conferuntur & munera, quàm quæcumque a nobis exoptari poſſint aut obtineri.

Quæ cùm ita ſe habeant, quis hic mœrendi ampliùs aut lugendi (prout diximus) relinquitur locus? Utinam tamen, filii, relictus non foret, & quidem ampliſſimus! Quò namque majora

majora sunt dona & uberiores gratiæ, eò nobis magis est dolendum, quòd tam parva in plerisque Christianis cernatur retributio; tam parva recordatio; utque apertiùs dicam, quòd adeo ingrati sint multi tanto huic recepto Sacramento. Manum, obsecro, filii, pectori admoveamus, & inspiciamus, quisnam sit inter nos, qui possit gloriari, a se integrè servata, & nullo umquam tempore violata fuisse, quæ in Baptismo Deo promisit? Abrenunciationes illæ solemnes ac promissa, quæ a nobis fiunt dum interrogamur: *Abrenuncias Satanæ, sæculo, & pompis ejus?* quomodo his temporibus servantur? Celebratur in Baptismo contractus inter Baptizatum, & Deum; spondet Baptizatus, omnia illa, quæ Deo adversantur, sese repudiaturum; vicissim pollicetur ei Deus æternam vitam, gloriam, felicitatem, & bonorum omnium cumulum. Sed qua ratione Deo cui spopondimus, respondemus? Promittebat Populo suo Dominus dicens: *Eritis mihi in Populum, & ego ero vobis in Deum* (*a*): Idem Deus in Baptismo, animam a peccatoribus segregat, & sibi facit *in Populum*, & vult ipse illi *esse in Deum:* Nos verò quomodo illi *sumus in populum?* Heu! rebelles sumus, non populus. *Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus: populus, quem elegit in hæreditatem sibi* (*b*): possumus sic nos esse beati, & tamen negligimus. Equidem nequit infantulus, qui baptizatur, interroganti respondere; sed illius nomine promittit Ecclesia, & respondet Compater, qui eum e Sacro Fonte levat, (prout faciet modò Excellentissimus Princeps). Sed proh dolor! Omnes mendaces plerumque & infideles se præbent, nullaque renunciationum & promissorum habetur ratio. Attendite Compatres, & videte, quale onus vobis superimponitis; quàm grave sit, pro iis, quos nescire potestis, quinam sint futuri, talia promittere; & Deo promittere, qui procul dubio *non vult irrideri* (*c*); & si quando ad pœnitentiam perfidos expectans dissimulat, ac dormire videtur, tarditatem tamen pœnæ gravitate postea compensat. Heu! quoniam iis similes sumus, qui *excolabant culicem, glutiebant autem camelum* (*d*); parva horremus, magna verò committere non detrectamus; in exiguis anxii animo sumus, ad scelera verò perpetranda cæci præcipites, veluti equi indomiti, ferri nos patimur. Quis, si te, Eques qui summâ honoris tui curâ tenèris, alloquens, dixerit, promissis te non stetisse, aut datam homini fidem

(*a*) *Jerem. XI. v. 4.* (*b*) *Psalm. XXXII. v. 12.* (*c*) *Ad Galat. VI. v. 7.* (*d*) *Matth. XXIII. v. 24.*

fidem fregisse, a te protinus convicia & forte etiam vulnera non reportabit? Fœdissimum putas & nomine tuo indignissimum, juratis homini promissis non stetisse, eaque violasse: Quod autem Deo promisisti, quomodo servas? Quomodo affligeris, si audias, fidem Deo datam infringi? Mori potiùs vis, quàm quod vili creaturæ spopondisti, non exequi; & Creatori promissa, qua diligentia curas, ut executioni committas? *Obstupescite Cœli, & portæ ejus desolamini* (a). O rem cogitatu horrendam! Et quænam est hominis ad Deum comparatio? O stultissima hominum pectora! Eò deventum est (me infelicissimum!) ut extent, inter nos etiam, qui veluti ex condicto promissa Deo violent; imò èt qui glorientur, se fidem Deo datam fregisse. O tempora, o mores! Tales terra sustinet, nec deglutit? tales vivere patitur Deus? Quis hoc deterius umquam audivit! O Christiane; si nosses, quid secum ferat Christiani nomen, & quantum honoris ac dignitatis adferat homini, quàm dignis eo moribus te exornare studeres! Magnus ille Basilius, licèt sanguinis nobilitate insignis, primoribus & opulentissimis ortus Parentibus, divitiis abundans, ac scientiis plurimis, rerumque pene omnium cognitione illustris; hæc tamen omnia negligens, in Christiani tantùm nomine gloriam suam collocabat: hoc solo contentus, quòd Christi asseela & servus appellaretur. Vestrum hoc, o Genitores, vestrum, o Compatres, est præcipuum munus, filios, a vobis genitos, & quos e sacro Fonte levatis, docere nominis hujus præstantiam, statùs dignitatem, vitæ nobilioris honorem; promissa demum, quæ Deo fiunt in Baptismo, & præsertim eorum memoriam, quibus abrenunciarunt, ut hilares & exultantes ad Dei possitis tribunal accedere.

Verùm multò majus & gravius periculun imminet iis, quorum curæ Populorum corpora, sive animæ sunt commissæ: Vobis nempe, Excellentissime Princeps, & nobis quàm aliis. Nam quòd aliquis in privata fortuna fidem Deo fallat, imo etiam de eo glorietur, peculiare hoc ipsius est, licèt gravissimum, scelus: At quòd vota Deo exhibita populi violent, nec nos curemus, ut huic delicto repagula opponantur, publica hinc oritur nefaria hæc Deo mentiendi professio. Abrenunciavit universus hic Populus Satanæ & pompis ejus, Mundo ac ejusdem corruptelis Idolis gentium & eorum erroribus. Sed quid ego miserrimus per-

(a) Jerem. II. v. 12.

per hos dies, tam multos larvatos incedentes intueor? Quid omnia crapulis & luxu perverti audio? Quid ſibi volunt immenſi, qui nunc fiunt ſumptus, iſthæc horrenda ſpectacula? quid innumera graviſſima & lethalia peccata, quæ hinc proficiſcuntur? Hæccine Deo promiſit hic Populus, cùm baptizaretur? Fiunt hæc, Excellentiſſime Princeps; & nos tacemus? Tot Deo injuriæ irrogantur; & *nos zelus Domini non comedit* (*a*)? Heu, heu! quia *per nos blaſphematur nomen Dei* (*b*). Accedunt in hanc ampliſſimam Urbem plures, ex iis etiam qui ultra Montes conſiſtunt, & a Fide abberrarunt (id experimento comperimus); & vident, laſcivientes hos Populos intemperantiùs ſe gerere, quàm ſi Baptiſmo carerent, Diiſque Gentium immolarent: (Annon enim Idoli portio ſunt inſana Baccanalium Feſta?) & recedentes, majora ac pejora ſibi licere arbitrantur, dicentes: Mediolani ſic vivitur, in ea nempe Civitate, quæ Regi Hiſpaniarum adeo Catholico paret; quæ ab illius Miniſtris tam piè gubernatur; in qua Religionis Chriſtianæ tanta viget profeſſio. Quis mihi det, Excellentiſſime Princeps, ut ſanguine meo has Dei mei injurias propulſem? Cur morte mea remedium tot ſceleribus afferre non poſſum? Heu me! mater mea, cur me genuiſti virum dolorum, & *ut quid natus ſum videre contritionem populi mei* (*c*)? Infelices animas curæ meæ commiſſas, quas humani generis hoſtis turpiter adeo ac publicè exagitat! Et nos, qui præſumus, qui canes Domini ſumus, ne oblatramus quidem, imo dormimus? Quæ nobis erit, Princeps, coram Deo excuſatio? An quòd neceſſe ſit, ludicris hiſce congreſſibus juventutem ad artes & munera militaria erudiri atque exerceri? Eſt quidem laudabilis ars militaris, ſi tamen cum Religionis Chriſtianæ norma conveniat: Quæ tamen hoc tempore fiunt, juvenes potiùs effœminatos laſcivientes ac molles efficiunt. Quid enim ad bellicam artem prodeſt, hæc mulierem ſpectacula frequentare? Heu! quia *Deus non irridetur* (*d*); vanæ ſunt excuſationes iſtæ: Nec prodere ſatis erit, quòd Magni fuerimus atque potentes; quòd multa nobis licuerint: Attendite enim, quid ad nos Dei Spiritus clamet: *Audite ergo Reges, & intelligite: Præbete aures vos qui continetis multitudines: quoniam data eſt a Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes*

(*a*) *Pſalm. LXVIII. v.* 10.
(*b*) *Ad Roman. II. v.* 24.
(*c*) *I. Machab. II. v.* 7.
(*d*) *Ad Galat. VI. v.* 7.

nes scrutabitur (*a*). *Horrendè & citò apparebit vobis: quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet* (*b*). Audiat Religio vestra, Princeps, audiam ego miserrimus, quia non quodcumque judicium, sed *durissimum fiet his, qui præsunt*. Diligamus ergo Deum per viscera ejusdem Domini nostri Jesu Christi; illius quæramus honorem; ea omnia arceamus a Populo, per quæ tot Deo irrogari possunt, & inferuntur injuriæ. Statuite hoc, quotquot adestis, filii, ne ulla in posterum vobis dies prætereat, quin sæpius, aut saltem semel cùm lecto consurgitis, seu cubitum conceditis, recordemini, & dicatis: Quidnam ego Deo promisi, quo tempore per Baptismum regeneratus fui ad gratiam? Nonne spopondi, me Satanæ, Mundo, & pompis ac peccatis omnibus valedicturum? Si quid cuiquam homini promisissem, nonne illud a me repeteret, nec se illudi pateretur? Et Deus in æternum tacebit, non gravissimè puniet, non ulciscetur? Donet nobis dilectissimi, Dominus Spiritum, ut hæc sæpe mente revolvamus, & cogitantes quæ polliciti sumus, opere impleamus; ut quod etiam a Domino nobis vicissim fuit repromissum, nempe Cœlum recipere mereamur. Amen. (*c*).

(*a*) *Sapient. VI. v.* 2. *& seqq.*

(*b*) *Ibidem v.* 6.

(*c*) Quis esset Infans iste, tanta celebritate baptismalibus aquis ablutus, discimus ex vetusto Baptismorum volumine, quod in Ecclesia Sancti Bartholomæi servatur; ibi enim hæc leguntur: *Genaro adì 9. 1584. L'Illustrissimo e Reverendissimo Monsignor Cardinale di Santa Prassede Arcivescovo di Milano battezzò un Figlio dell'Illustrissimo Signor Bonifacio Antelmi, e della Illustrissima Signora Adriana Uberta, sua Moglie, nato il dì primo. Il nome Valerio. Il Padre di detto Figlio è Ambasciator della Illustrissima Signoria Veneziana. Il Compar fu l'Illustrissimo & Excellentissimo Signor Don Carlo d'Aragona, Governator dello Stato di Milano, e Principe di Castello Vetrano. Io Prete Battista Conte, Canonico Curato di S. Bartolomeo.* Notitiam hanc mihi humanissimè communicavit Carolus Franciscus Madernus, alter ex Rectoribus illius Ecclesiæ.

Subscriptum hic legimus Baptistam de Comitibus, Sancti Bartholomæi Parochum, titulo adjecto *Canonici*. Quamobrem non abs re est inquirere, qua ratione quove tempore inditum sit Clericis hujus Ecclesiæ memoratum nomen. Puricellus Capite ultimo Vitæ Sancti Herlembaldi Cottæ, Diploma integrum recitat, quo Aribertus (*seu Heribertus*) Ambrosianæ Ecclesiæ Archiepiscopus, prope Ecclesiam Sancto Dionysio dicatam, Cœnobium instituit anno MXXIII., atque in illud induxit duodecim Monachos, & præterea Abbatem. In eo narratur, Clericos aliquos (erant illi ex Ordine Decumanorum) ibidem antea resedisse divinis peragendis officiis addictos; eosque pacificè ac quietè simul cum Monachis in eadem Ecclesia perseverare decernitur. Cùm autem exortæ fuissent nonnullæ simultates inter Decumanos ibidem degentes, atque Abbatem novi illius Monasterii, Clerici numero quatuor se se recepere ad Ecclesiam Sancto Bartholomæo dicatam erectamque anno MLV., atque in ea moram traxerunt, quo ad usque Innocentius Tertius Summus Pontifex, datis Brevibus literis anno MCCVII. lites omnes composuit. Refert illas Stephanus Baluzius Tom. II. Epistolarum Innocentii Tertii Lib. X. num. CLXXXIII. cum hac inscriptione. *Canonicis Ecclesiæ Sancti Bartholomæi Mediolanensis*. Itaque appellatio ista jam ab eo tempore invaluerat; siquidem Sacri Ministri, qui olim Decumani dicebantur, post receptam communem vitam anno MCXVI. Canonicorum nomen sumpsere, ut idem Puricellus num. XXI. ejusdem Capitis tradit. Ignotum est, quando ad solos Parochos redacta sit Ecclesia Sancti Bartholomæi. Credi verisimiliter potest, eosdem quatuor Decumanos ibidem Sacra facientes, fuisse postmodum institutos Rectores animarum amplæ adjacentis regionis, ac nomen pristinum retinuisse; cùm idem numerus Parochorum in ea Ecclesia nunc etiam perseveret.

HOMILIA XCVII.

IN EVANGELIUM JOANNIS

CAP. II.

Habita in Ecclesia Majori Mediolani

Dominica II. post Epiphaniam

ANNO MDLXXXIV. XV. JANUARII.



AM nobilia sui ipsius præsagia dedit octavo ab hinc die Salvator noster Dominus Jesus, ut, cùm Infans adhuc annorum duodecim, medius inter Doctores sedens, in Templo consisteret, tum interrogans, tum respondens, modò illos audiens, modò alloquens, universos in sui stuporem, ac Divinæ Sapientiæ in eo effulgentis admirationem rapuerit. Quis hinc se non sentiat miro incensum desiderio videndi adhuc ulteriùs, qua ratione sit se ipsum idem Dominus proditurus Mundo, cùm tempus accesserit, cùm hora appropinquaverit ea faciendi, ad quæ potissimùm præstanda descendit de Cœlis? Si talia fuerunt initia, quales expectari in posterum progressus poterunt? Manifestavit se, auditores, Dei Filius multifariè; sed miraculis potissimùm sui Divinitatem ostendit. Vix natum Angeli eum prædicavere, canentes in Cœlis: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (a). Iidem Divinum Infantem annunciarunt Pastoribus; eumdem Magis in longinquis regionibus positis Stella indicavit. Ipsum Præcursor Joannes Baptista ante Baptismum, in Baptismo, & post publicè revelavit, de illo dicens: Quia *non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus* (b); ad eumdem humillimè exclamans: *Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me* (c)? & demum de illo sic loquens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mun-*

(a) *Lucæ II. v. 14.*
(b) *Marc. I. v. 7.*
(c) *Matth. III. v. 14.*

Mundi (*a*). Sed etiam mirabiliùs cœlestis Pater ipsum, dum baptizaretur, voce de Cœlo lapsa, sub columbæ specie Spiritu Sancto apparente, sibi coæternum Filium esse ostendit (*b*). Qualibus ergo signis se ipsemet prodet, qualibus miraculis? Hodie Sancta Mater Ecclesia nobis ob oculos ponit primum signum, quod Redemptor noster operatus est, ut sui majestatem patefaceret. *Hoc fecit*, (inquit Joannes, cujus Evangelium mox audivistis) *initium signorum Jesus in Cana Galilææ: & manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum Discipuli ejus* (*c*). De hoc igitur miraculo, filii, nonnulla dicentes, illum ipsum Christum precamur, ut manifestet hodie nobis & vobis gloriam suam, & ut credamus in eum.

Die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ (*d*). Cùm permulta de Jesu Joannes cunctis audientibus prædicaret, duo ex Discipulis ejus, ejusdem verbis permoti ad Christum accedere statuerunt, ipsumque secuti sunt; inter quos Andreas Simonem fratrem suum ad Messiam adduxit (*e*). In Galilæam verò cùm Redemptor noster esset digressurus, Philippum invênit, cui, ut eum sequeretur, præcepit (*f*). Hic ad Nathanaëlem profectus, ait illi: *Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, invenimus Messiam* (*g*). Igitur hic quoque ad Jesum accedens, testimoniis ab eodem de se ipso auditis, tamdem in nobilissimam eam confessionem prorupit: *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israël* (*h*). Itaque his omnibus peractis, *tertia* post hæc *die*, *nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ*.

In Villula parva (*i*), in obscuro loco, non in Regia aliqua Civitate, celebrantur hæ nuptiæ. O pauperes beatissimi; quàm verè vos diligit Christus Rex, socius ac amicus vester, nullam occasionem omittens, conditionem vestram sublimem reddendi! Vix natus, pauperculis Pastoribus voluit annunciari, qui ad hoc venerat inter cetera, *ut pauperibus evangelizaret* (*k*). O felix paupertas, quæ tam es Deo grata! O altissima & ditissima paupertas, Regni Cœlorum amplissimi hæres & domina! Neminem quidem, filii, a gratiæ suæ communione excludit Altissimus; sed erga pauperes quadam veluti cognatione atque amicitiæ vinculo obstringitur Christus: idcirco eos semper divitibus hujus seculi prætulit; & ubique

(*a*) *Joann. I. v. 29.*
(*b*) *Marc. I. v. 10. & 11., & II. Pet. I. v. 17.*
(*c*) *Joann. II. v. 11.*
(*d*) *Ibidem v. 1.*
(*e*) *Ibidem I. v. 41. & 42.*
(*f*) *Ibidem v. 43.*
(*g*) *Ibidem v. 45.*
(*h*) *Ibidem v. 49.*
(*i*) Locatur hæc parva Urbs a Geographis inter Sephorim, & Nazareth, Occidentem versùs, juxta Calmetum in Dictionar. Sacræ Scripturæ.
(*k*) *Lucæ IV. v. 18.*

que ac quovis tempore, operibus & verbis conatus est manifestè ostendere, quanti ipse faceret hanc, quam plerique aut contemnunt, aut iniquo animo ferunt, paupertatem; quamvis eadem apud omnes summo in honore ac cultu esset habenda. Primum ergo miraculum ac signum, quo gloriam suam erat manifestaturus Dominus, in paupere & obscuro loco edere voluit. O eximiam Dei bonitatem! Consolamini, consolamini pauperes, quia vos magis diligit Dominus: vasa vos estis, divinæ gratiæ recipiendæ ac retinendæ aptissima.

Et erat Mater Jesu ibi. Vocatus est autem & Jesus, & Discipuli ejus ad nuptias (a). Hic verò immensa Dei nostri dignatio nobis conspicua redditur. Quis enim umquam parem audivit, ut nempe tam sublimis Dominus, tam alta cogitans, adeò pauperibus nuptiis interesse non recusaret? Sed nihil profectò mirum; ita enim ardenter exoptabat, suam hanc admirabilem benignitatem hominum cordibus imprimi, ut, quo id assequeretur, nihil intentatum relinqueret. Nec magno sanè mysterio caret ista dignatio. Ventura erant futuris temporibus quædam hominum portenta, quæ matrimonialem statum, uti nefandum ac illicitum condemnarent (b). Huic tanto malo Divina Sapientia longè antea providit, & præsentiâ suâ ad has nuptias accedens, quod erant scelesti homines damnaturi, ipse comprobavit; ac fortissimum hunc veluti clypeum conjugatis omnibus reliquit, quo adversariorum tela retunderent. Dicebat quidem Apostolus: *Volo enim omnes vos esse sicut me ipsum* (c); sed consulens hoc atque commendans, non verò ùt præcipiens dicebat; ideoque subdidit: *De Virginibus autem præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis* (d). Beati profectò, qui Pauli sequuntur consilium; qui alteri conjungi renuunt, quàm Christo; qui pretiosissimum virginitatis thesaurum servant intactum. Sed etiam suas habent conjugati benedictiones, & matrimonialis status propriis non caret prærogativis.

Quòd si rerum nobilitas ab earum origine & vetustate æstimanda est, certè Matrimonium antiquissimum, cum ipso pene homine fuit concreatum; in Paradiso terrestri inchoatum, in statu innocentiæ institutum, cùm necdum peccaverant homines; quando

(a) *Joann. II. v. 1. & 2.*
(b) Nempe Encratitæ, Marcionistæ, & Manichæi secundo, & tertio seculo.
(c) *I. ad Corinth. VII. v. 7.*
(d) *Ibidem v. 25.*

do educta ex Adæ costâ Eva, homini fuit in adjutorium a Domino tradita, & ambobus dictum: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram* (a). Quid ergo nobilius tali Institutore, tempore, loco, statu, ac fine potest excogitari? Institutor Deus; tempus, Mundi principium; locus, Paradisus terrestris; status, innocentiæ status fuit. Quòd si in suî initio nobilissimum fuit Matrimonium, quanta ei dignitas accessit, quando unà cum ceteris Sacramentis e Christi in Cruce pendentis latere fluxit; ac tunc *thorus immaculatus, honorabile connubium* (b) meruit appellari? At si mysterium, quod hoc Sacramento exprimitur, attendamus, certè præstantissimum est. Dilexit immensè Deus humanam naturam, animas nostras, sacrosanctam Ecclesiam. Has sibi veluti sponsas, infinito amore copulavit; nec passus est, tantam dilectionem latère, aut diutiùs abscondi. Quo autem signo illam nobis manifestam fecit? Matrimonii Sacramento. *Sacramentum hoc*, inquit Paulus, *magnum est, ego autem dico in Christo* (c). O Matrimonium parùm admodum exploratum! O tanti Sacramenti dignitas hominibus incognita! Te utinam nossent homines! Et quot vitarent abusus, quot caverent illicita! Nubunt plerique; & quid faciant, prorsus ignorant: Uxores ducunt, & heu quàm alieno, quàm diverso, imo quàm contrario fine, ab eo, quem Christus requirit! Nubunt, ut amplissimas dotes consequantur, ut substantias augeant suas, ut familias suas ditent. Nubunt etiam aliqui, ut sensus suos, qui sunt veluti irrationalia armenta, solummodo pascant: Non hic profecto scopus, filii, tanti est Sacramenti; non his consiliis est vobis nubendum. Nimiam tanto Sacramento irrogatis injuriam; nimiùm Christi conjunctionem cum Ecclesia per hoc significatam dedecoratis in vobis. Alii, alii sunt fines: hos ergo audite. Contrahendum est in primis Matrimonium, propagationis desiderio; nec propagationis tantùm, sed ut conjuges, Dei veros cultores & servos generent. Hoc est, quod Tobiæ Angelus dicebat: *Accipies Virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quàm libidine ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris* (d). Ecce, non ad suscipiendos tantùm filios, sed ad consequendam in ipsis a Domino benedictionem, nuptiæ sunt Christianis hominibus ineundæ: Illam autem ii procul dubio consequuntur, qui filios ita educant & instruunt, ut magis illos Deo ac Cœlo se genuisse videantur, quàm Mun-

(a) Genes. I. v. 28.
(b) Ad Hebr. XIII. v. 4.
(c) Ad Ephes. V. v. 32.
(d) Tob. VI. v. 22.

Mundo. Quòd si filiorum tantùm suscipiendorum causâ nubere, damnandum est; ecquid erit, libidinis solius gratiâ (quod utinam multi non facerent!) conjungi? Si verò in veteri Lege, cùm minus decoratum esset Matrimonium, tam sancto consilio contrahi debuit; quantò diligentiùs prospiciendum erit, ne debito fine fraudetur in Lege gratiæ, in qua tantum illi dignitatis advènit.

Atque hic quidem erat potissimus finis, jam tunc etiam cùm in Paradiso instituta fuit Matrimonii conjunctio. Ceterùm postquam deliquerunt homines, & in iniquitatibus concipiuntur, ac in peccatis parit eos mater illorum (*a*), duos quoque fines habere possunt ob oculos, qui nubunt: quorum primus est, ut innumeris, quibus subjacemus, calamitatibus alter alterum sublevet; quod fortè attendens Ecclesiastes scribebat: *Melius est ergo, duos esse simul, quàm unum: habent enim emolumentum societatis suæ: si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli: quia cùm ceciderit, non habet sublevantem se. Et si dormierint duo, fovebuntur mutuò: unus quomodo calefiet* (*b*)? præterquamquod a naturâ etiam erat homini inditum societatis desiderium. Alter finis est, quòd cùm fragiliores & infirmiores nonnulli sint, alii verò fortiores, & illi quidem ad peccandum majores in se stimulos sentiant; ideo ad fugiendum fornicationis scelus, est quoque nubendum; *Melius est enim nubere, quàm uri* (*c*): Hinc Matrimonium in peccati quoque remedium fuit relictum a Domino, qui non modò peccata nostra venit remittere, sed etiam remedia providit, quibus ab illis averteremur. Verùm, proh dolor! ignorantur hæc a multis; ignorantur causæ, & ratio ipsa, cur nubant. Repugnantes omnino quandoque fines proponuntur, legitimis ac justis omissis; & aliqui ducunt uxores tantùm ut ditentur, vel ut effrænatæ libidini statim obtemperent. Perpetuum est homini, quamdiu vixerit, conjugale hoc vinculum; sunt simul vitam ducturi vir & uxor, numquam nisi morte separandi: & tamen adeo inconsideratè, veluti equi hinniunt ad mulieres (*d*), nec, cui se oneri ac quàm diuturno jugo subjiciant, animadvertunt. Quoniam verò diversæ sunt ita nubentium causæ, nil mirum, si diversos quoque videmus inde profluere effectus. Inde tot monstra, tot portenta gignuntur; inde continua in domibus perstrepunt jurgia & dissensiones. Exulare ab eorum tectis cogitur pax & tranquillitas, cùm perpetuam domi habeant belli materiam. Inde filii malè educati,

(*a*) *Psalm. L. v. 7.*
(*b*) *Ecclesiastes IV. v. 9. & seqq.*
(*c*) *I. ad Corinth. VII. v. 9.*
(*d*) *Jerem. V. v. 8.*

cati, fræni veluti expertes in licentiam & corruptelas proruunt, & non Deo servi, sed tyranno Diabolo captivi miserrimè traduntur: Nec mirum, nam in istiusmodi Parentibus prævalet Dæmon. Sic timenti Tobiæ Saram ducere in uxorem, Angelus Domini respondit: *Audi me, & ostendam tibi qui sunt, quibus prævalere potest Dæmonium. Hi namque qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se, & a sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem Dæmonium super eos* (*a*). Quid clarius dici potuit? Ecce apertissima vobis proposita præsentium temporum Matrimonia; ecce tot miseriarum vobis descriptas causas & originem, quia non in Christi, sed in Dæmonis nomine plerique nubunt; non enim hæc mala consequuntur Matrimonium, quod aliàs est sanctissimum, sed indignè nubentium, & tantum Sacramentum violantium perniciosi sunt fructus. Qui ergo nubere statuitis, hactenus a me adducta diligenter considerate: Matrimonia in Dei nomine inchoate, & ne metuatis, quia *qui cœpit in vobis opus* Deus, èt ipse diriget atque *perficiet* (*b*). Orationibus vobis potissimùm, iisque frequentibus est opus. Orandum est, antequam nubatis; sic enim Tobiæ idem Angelus præcipiebat: *Tu autem cùm acceperis eam, ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea, & nihil aliud, nisi orationibus vacabis cum ea* (*c*). Orandum etiam est vobis, postquam nupseritis; sic enim Paulus suadebat: *Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram* (*d*). Proh dolor! Tobias memor eorum, quæ ab Angelo audiverat, tanti Matrimonium faciebat, tot illud orationibus præveniebat, ut diceret: *Filii Sanctorum sumus, & non possumus ita conjungi, sicut gentes, quæ ignorant Deum* (*e*): Nos verò quorum tantò perfectiora ac digniora sunt matrimonia, quantò Lex nova præstat veteri, non cogitabimus, quòd *Filii Christianorum simus*, quòd Christiani, imo filii Dei adoptivi, ceteris in exemplum dati; & nubemus *sicut gentes, quæ Deum ignorant*, ac matrimonia nostra tanto luxu, tot supervacaneis sumptibus, tot impudicitiis polluemus? Quomodo possumus tantæ dignitatis immemores, tantam Sacramento sanctissimo injuriam inferre? Qui, inquam, fieri potest, ut tanta in nobis vigeat ignorantia, aut potius impietas? Agnoscat ergo quicumque vestrùm ad hunc statum

(*a*) Tob. VI. v. 16. & 17.
(*b*) Ad Philippens. I. v. 6.
(*c*) Tob. VI. v. 18.
(*d*) I. ad Corinth. VII. v. 5.
(*e*) Tob. VIII. v. 5.

eſt vocatus a Domino, quantâ reverentiâ ſuſcipiendum ſit atque tractandum Matrimonium, quod ſuâ hodie præſentiâ Dei Filius honeſtare voluit & comprobare.

SECUNDA PARS.

[Feriâ ſextâ erit feſtivitas invicti Martyris Sebaſtiani, & feriâ quintâ ipſius vigilia. Martyr eſt noſter, concivis noſter; ei plurimum debet hæc Civitas. Mementote, filii, ſæviſſimæ peſtis, quæ ante ſeptennium inter vos graſſabatur; & deteriora huic Civitati damna intuliſſet, niſi Martyris hujus Sanctiſſimi patrocinium & preces acceſſiſſent. Adhuc tamen ejus Eccleſia jacet derelicta, cœptumque Sacrum Ædificium lentâ conficitur manu (a). Et qui fieri poteſt, ut memoriâ veſtrâ exciderint preſſuræ illæ, dolores, lacrymæ, ſuſpiria, & vota? Oſtendite, obſecro, vos non ingratos; ſed illo die, qui ex voto publico feſtus vobis eſſe debebit, ad eam Eccleſiam frequentes convenite, & largis eleemoſynis Ædem illam promovere ſtudete, ne de vobis dicatur, quòd, præterito periculo, voti & accepti beneficii ſitis immemores. Feriâ tertiâ erit feſtivitas Magni Antonii, quæ tanto cultu apud Populos omnes agitur, quanto vos ſcitis; ideo in tanti Sancti honorem, diem illum feſtum celebrabimus, & in Eccleſia, ſacris concionibus & pomeridianis lectionibus vacando tranſigemus. Reverendiſſimus hic Prælatus Parmenſis Epiſcopus, qui huc ad nos inviſendos acceſſit, caritatis munus vobis præſtabit, eoque die manè paternis vos hortationibus conſolabitur (b). Exigit hoc ſacroſancta Majorum

(a) Graſſante per hanc Urbem lue anno MDLXXVI., Civitas Mediolani, ſuadente Sancto Carolo, inter cetera obſequia ſtatuta in honorem Sancti Sebaſtiani Martyris, & conterranei ſui, quem ad depellendam contumacem peſtem Patronum delegerat, votum concepit, magnificum eidem Templum extruendi; quamobrem ſequenti anno, dirutâ ejuſdem Sancti Eccleſiâ, quæ jam ruinam minitabatur, Sanctus idem Antiſtes, ſolemni habita ſupplicatione, primum lapidem poſuit novo erigendo ædificio. Nondum tamen abſolutum fuiſſe anno MDLXXXIV. ex hac Concione diſcimus, in qua Sanctus Carolus memoriam Civibus ingerit accepti olim inſignis beneficii, ut eos ſuccendat ad extremam illi Templo manum admovendam, quemadmodum etiam peractum eſt, accedentibus uſque in præſentem diem ad Sacram hanc Ædem Senatu, Magiſtratibus, ac Proceribus Civitatis, qui, ſolemne Sacrum faciente Archiepiſcopo, Oblationis vectigal perſolvunt eo die, quo Sancti Sebaſtiani memoria recolitur.

(b) Præſidebat eo tempore Parmenſi Eccleſiæ Ferdinandus Farneſius: mos autem fuit Sancto Carolo, cùm aliquis ex Epiſcopis Mediolanum diverteret, inter prima hoſpitii ſuaviſſima officia, illum precari, ut publicè ad Populum ſermonem haberet; proinde adnotat Poſſevinus in ejus Vita Cap. IX. Mediolanenſem Civitatem hac prærogativa fuiſſe donatam, ut celeberrimos ac ſapientiſſimos Antiſtites concionantes audiret; Cardinalem nempe Paleottum Archiepiſcopum Bononienſem, Auguſtinum Valerium poſtea Cardinalem Veronæ, Guarnerium Trottum Alexandriæ, Joannem Franciſcum Bonomium Vercellarum, Hieronymum Ragazo-

rum nostrorum consuetudo; debetur hic honor adventantibus in Civitatem quamcumque extraneis Episcopis, ut proprii Pastores Divini Verbi prædicationem iis committant. Libenter ipse, ùt spero, onus hoc subibit, & vestro ac nostro spirituali gaudio consulet atque utilitati.]

Defecit in nuptiis, quibus aderat Dominus, vinum. O lautas, profecto & opiparas nuptias! Quàm clarè hinc conjicitur earum sobrietas & parsimonia! Dissimiles erant profecto horum temporum conviviis. Distenduntur nunc epulis convivantium ventres; toti madent vino; mensæ cibis onerantur, ac tantum apponitur, ut numquam amplius manducaturi videantur, sed futura esse debeat ultima illis cœna. Mille generum vina efferuntur; interim verò profanis colloquiis, obscœnis sermonibus, pessimis detractionibus convivia miscentur. Mens hebetatur, sensus enervantur, corporis vires infringuntur, valetudo & vita ipsa mille periculis exponitur. Ita verò ægritudines & mortes carissimo pretio coëmuntur. Quid istiusmodi nuptiis turpius, quid scelestius? Ad has procul dubio minimè Christus accedit, nec ejus Mater, ac Discipuli; sed ad pauperes dumtaxat, honestas, & sobrias.

Itaque deficiente ibi vino, compatitur Sponsorum inopiæ & paupertati, misericordiæ Mater Maria Virgo dulcissima, & ad Filium conversa dicit: *Vinum non habent* (a). O inexcogitabilem clementissimæ Matris benignitatem! Non expectat, ut ab illis rogetur, nec deficere omnino vinum sinit; sed eodem jam ferme consumpto, irrequisita pro tacentibus obsecrat. Et quid faciet pro petentibus, & ad eam confugientibus? Hæc nobis, filii, sit Patrona, hæc Advocata, hæc Mater: Hæc si causam nostram susceperit, nihil nobis erit metuendum, sed in necessitatibus cunctis opportunum suppeditabit auxilium. O Mater benignissima, respice nos de Cœlis, & vide paupertatem ac inopiam nostram. Deficit in nobis vinum caritatis & fervoris, quod lætificat Deum & homines; deficit pietas & religio. Convertere, obsecro, ad Filium, & dic: *Fili, vinum non habent* hi, quos tibi fratres esse voluisti,

gazorum Bergomi, & Celsum Pasium Castri Episcopos. Addit Glussianus in Vita Sancti Caroli Libro IV. Cap. XIV. etiam Nicolaum Sfondratum Cremonæ Antistitem, postea Cardinalem, demum sub nomine Gregorii XIV. Summum Pontificem, in Templo Majori coram Sancto Carolo, Gubernatore, Senatu, & Magistratibus sermonem habuisse, spiritu & doctrinâ refertum, quo Civitati universæ gratulatus est receptam gratiam depulsæ pestis anno MDLXXVIII.

(a) *Joann. II. v. 3.*

luisti, pro quibus es natus ac mortuus, quos sanguine tuo pretiosissimo potare desiderasti.

Sed quàm efficax, & quantæ plena instructionis est ista oratio! Duo tantùm, aut tria continet verba: *Vinum non habent;* sed efficacissima, sed mysteriis redundantia. Quis hic Mariæ Fidem firmissimam non admiretur, qua freta, non verba multiplicat, sed paucis dumtaxat vini defectum exponit? Quis modestiam singularem non suspiciat? Non est ipsa importuna, sed omnia Dei beneplacito relinquit, necessitatem tantùm exposuisse contenta. Sic Sorores Lazari ad Christum satis se & eloquenter orasse putarunt, cùm dixerunt: *Ecce, quem amas infirmatur* (*a*). Profectò si Fidem non abjecimus, ac verè credimus, quia nos diligit Deus, *quia ipsi cura est de nobis* (*b*); quis dubitationi locus relinquitur, quin satis sit, necessitates illi nostras exponere? Hoc est, quod David dicebat: *Effundo in conspectu ejus orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuncio* (*c*). Abeant nunc, & Mariæ exemplo erubescant, qui Deum sibi vellent in omnibus obtemperantem; qui nisi statim, prout cupiunt, exaudiantur, de Deo protinus conqueruntur. Sic miseri illi, quos intra Bethuliæ mœnia tyrannus Holofernes obsidebat, tempus divino obtinendo auxilio audebant præscribere; ad quos videte, quid prudentissima Judith locuta sit: *Quod est hoc verbum, in quo consensit Ozias, ut tradat Civitatem Assyriis si intra quinque dies non venerit vobis adjutorium? Et qui estis vos, qui tentatis Dominum? Non est iste sermo, qui misericordiam provocet, sed potiùs qui iram excitet, & furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum, diem constituistis ei* (*d*). Simpliciter ergo Maria deficientis vini necessitatem Filio proponit.

Verùm (bone Deus!) quàm durum accipit responsum! *Quid mihi, & tibi est Mulier? nondum venit hora mea* (*e*). Mira profectò res! Quoties Matrem Christus alloquitur, vel de Matre aliquem loqui audit, duriusculè semper respondere videtur. Octavus hodie est dies, cùm a Parentibus amissus, & triduo quæsitus, ac tandem in Templo repertus, dolenti Matri, & dicenti: *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te* (*f*), ita respondit: *Quid est quòd me quærebatis? nesciebatis quia in his, quæ Patris*

(*a*) *Joann. XI. v.* 3.
(*b*) *I. Petr. V. v.* 7.
(*c*) *Psalm. CXLI. v.* 3.
(*d*) *Judith VIII. v.* 10. *& seqq.*
(*e*) *Joann. II. v.* 4.
(*f*) *Luca II. v.* 48.

Patris mei sunt, oportet me esse (a)? Aliàs quoque cuidam sibi dicenti: *Ecce Mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te (b)*, hæc protulit verba: *Quæ est Mater mea, & qui sunt fratres mei (c)?* Quid hoc est, obsecro, Christe benedicte? Annon parentibus omnes honores exhibendos præcepisti? Nonne filiorum est, Matres, quandocumque possunt, consolari? Nonne hæc tua est illa Mater tam sancta, tam pura, tam tibi dilecta? Nonne hæc te per novem menses gestavit in utero, suo te lacte enutrivit, toties tuî causâ doluit? Cur ergo tam acerbè illi respondes? Non est, filii, non est acerba Christi responsio. Sunt hæc verba multis prægnantia mysteriis, & ad doctrinam nostram atque instructionem diriguntur. Docebat Redemptor noster, non a Matre, sed ab æterno Patre potestatem se accepisse miracula edendi; nec ea in parentum gratiam esse facienda, sed ad Dei dumtaxat gloriam & salutem hominum procurandam. Secundò, etiam in iis, quæ ad Divinum pertinent cultum, apertissimè ostendit, nec parentibus, nec consanguineis, aut amicis esse morem gerendum, sed soli Deo aures præbendas. Ad nos, dilectissimi fratres, venerandi Sacerdotes, hæc in primis dirigitur doctrina: Ecclesiasticos nempe redditus, non ad parentum voluntatem, sed ad Dei beneplacitum esse conferendos; postponenda omnia, ubi de animarum agitur salute; in hoc dicendum esse parentibus, & omnibus: *Quid mihi, & tibi?* Solus est mihi Dei honor spectandus. Sed omnibus quoque est hoc commune. Quid habes a patre homo? corpus. Quid a Deo? corpus, & animam. Hunc ergo in omnibus præ oculis habeto. Filiorum causâ, illicitos contractus & usuras exercere aliquis cogitat? Dicat hic potius: *Quid mihi, & vobis, filii?* Inciperet quispiam religiosè vivere, veterem hominem exueret; sed veretur, ne ab aliis digito notatus contemnatur. Dicat hic quoque toti etiam Mundo: *Quid mihi, & tibi Munde?* Quid mihi prodest, si te totum lucrer, animæ verò meæ detrimentum patiar (d)? O infelix homo! ergo-ne, ut aliis placeas, æternum tibi parabis interitum?

Intelligit Virgo sapientissima mysticam Christi instructionem; profundè pectoris illius arcana penetrat, & quò tendat illa respondendi durities, agnoscit; ac tantum abest, ut terreatur aut turbetur, quin potiùs in spem certissimam erigitur obtinendi remedii, ideoque confidentiæ plena ad ministros dicit: *Quodcumque dixe-*

(a) Luc. II. v. 49.
(b) Matth. XII. v. 47.
(c) Ibidem v. 48.
(d) Matth. XVI. v. 26.

dixerit vobis, *facite* (*a*). Sperat illa firmissimè miraculum, ideo impedimenta primùm conatur ab illorum cordibus amovere. Et quod majus Divinæ virtuti potest repagulum objici, quàm proprium judicium? Hoc ergo primò præcipit tolli; & promptè ac sine ulla mentis indagatione jubet, quidquid imperaverit, fieri. Vult Dominus plerumque mirabilia operari; sed hominum in primis intellectum in obsequium Fidei captivum poscit. Sic Cæci nati oculos illuminaturus, remedium humanæ prudentiæ prorsus contrarium adhibuit, nempe lutum (*b*). Sic Naaman Syrus, nisi septies, prout ei præcipiebatur, in Jordane lotus fuisset, a lepra minimè esset mundatus (*c*).

Scio, multos Mariæ esse addictissimos, atque ad sacratissimam hanc Virginem in necessitatibus suis confugere: sed ignoro, an illam audiant respondentem: Vultis, quod a me quæritis obtinere? quæcumque Filius meus vobis præcipit, facite. Obedite in primis Deo; ejus sanctissimæ voluntati obtemperate; ejus præcepta adimplete. Vultis a me adjuvari? Vos ipsi manus date, & cooperamini intercessionibus meis.

Impleverunt illi, prout jusserat Christus, *hydrias aquâ* (*d*), & *mutationem* statim *dexteræ excelsi* (*e*) agnoverunt atque viderunt. Potuissent illi Christo respondere: Nos vino egemus, vinum a te quærimus: ad quid ergo hydrias aquâ implere? Hoc, te etiam non jubente, facere nobis obviam fuisset. Nihil horum illi; sed captivantes intellectum, & cæcè ac promptè obedientes expetitum virtutis suæ præmium reportarunt. Poterat profectò qui de nihilo cuncta creaverat Deus, vinum illud ex nihilo quoque producere: Cur ergo aquam jussit afferri? Equidem, ut illorum bono magis esset consultum; & videntes hæc omnia, Deo majorem tribuerent gloriam, atque in Fide sincera confirmarentur. Sed hic quoque Cœli & terræ, ac creaturarum omnium Dominum se esse ostendit; nec non eumdem esse, qui quotannis panem, vinum, & vestitum, fructus terræ, aurum & argentum, quæcumque demum nobis sunt necessaria aut delectabilia suppeditat. O infelices, o miserrimi peccatores! Quid hæc a Mundo quæritis, qui nihil horum dare potis est vobis? Cur a Deo receditis, qui omnium, quibus indigetis, est Dominus? Dies festos violare, Sacri-

(*a*) *Joann. II. v. 5.*
(*b*) *Ibidem IX. v. 6.*
(*c*) *IV. Reg. V. v. 14.*
(*d*) *Joann. II. v. 7.*
(*e*) *Psalm. LXXVI. v. 11.*

crificio Missæ non interesse, usuras exercere vultis, ut temporalia obtineatis? Nonne hæc quoque Dei subsunt arbitrio? Ad illum, ad illum supplices vos conferte, ut donis repleamini; & dicite cum Propheta: *Metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluviam temporaneam, & serotinam in tempore suo: plenitudinem annuæ messis custodientem nobis* (*a*).

Sunt nuptiæ istæ, de quibus hactenus locuti sumus, filii, veræ nuptiæ, spiritualibus conviviis plenæ. O qualia, ac quàm nobilia præfigurant conjugia! Quales nuptiæ fuerunt, quando Christus factus est homo! Quales sunt, cùm Christus animæ unitur! Quales erunt, cùm Justi in cœlesti gloria Christo copulabuntur! Nuptiæ itidem sunt, legis Evangelicæ tempora. Olim Lex scripta comparari aquæ poterat; omnia frigida, insipida erant atque aspera. Sed ecce, quia jam sunt in vinum dilectionis & suavitatis omnia conversa. Frigent nunc etiam aliquando Animæ; sed, accedente Christo, caritate & fervore replentur. O quàm mira est mutatio hujus aquæ in vinum! Vita quoque nostra aquæ assimilatur, lacrymis suspiriis & cruciatibus plena: sed tempus veniet, quando *absterget* Deus *omnem lacrymam ab oculis* justorum; & *jam non erit ampliùs, neque luctus, neque clamor neque dolor* (*b*), & quæ molesta erant, velut fumus evanescent. O quomodo aqua hæc tunc vertetur in vinum! *In Mundo pressuram habebitis* (*c*); sed ibi *tristitia vestra vertetur in gaudium* (*d*); aqua mutabitur in vinum. O felices atque beatas animas, quæ illis nuptiis dignæ fuerint repertæ; quæ vino illo inebriari meruerint! Vina illa erunt defæcata, & *lætificabunt cor hominum* (*e*). Reddat, dilectissimi, nos Divina benignitas tantæ lætitiæ ac dulcedini capiendæ pares. Imploret nobis hanc aquæ in vinum mutationem, misericordiæ Mater, & humani generis Advocata Maria: sed cooperemur nos illius precibus; quæcumque Christus præcipit, promptè exequamur, ut Dei in nobis virtutem experiamur. Amen.

HO-

(*a*) *Jerem. V. v.* 24.
(*b*) *Apocal. VII. v.* 17. & *XXI. v.* 4.
(*c*) *Joann. XVI. v.* 33.
(*d*) *Ibidem v.* 20.
(*e*) *Psalm. CIII. v.* 15.

HOMILIA XCVIII.

AD PRÆFECTOS REGIONARIOS CIVITATIS, VISITATORES DIŒCESANOS, AC VICARIOS FORANEOS,

Habita in Sacello domeſtico Archiepiſcopali

Feria IV. Dominicæ II. poſt Epiphaniam

ANNO MDLXXXIV. XVIII. JANUARII.



OPPORTUNE, dilectiſſimi fratres, Congregationis hujus initium in hodiernum incidit diem. Feſtum hodie Cathedræ Beatiſſimi Apoſtolorum Principis Petri cum Sancta Matre Eccleſia celebramus (a). Congregatio hæc ideo fit, ut de dirigendo Eccleſiæ hujus ſpirituali regimine, de juriſdictione noſtra, de hac Cathedra rectè gubernanda agatur: accommodus profecto dies Cathedræ Petri, quo dirigatur Cathedra Ambroſii. Adſunt hic præcipui omnes noſtri cooperatores. Numerantur itidem alii plurimi Parochi, Confeſſarii, & quicumque animarum curam gerunt: At illi quidem inferioris Ordinis ſunt; iſti autem ceteris præſunt, Regionum Civitatis Præfecti, Diœceſis Viſitatores, Vicarii Foranei, quibus omnibus, veluti nervis aut partibus, noſtra hæc Cathedra fulcitur. Porro hic eſt Congregationis ſcopus, ut quæ ad Cathedram hanc firmandam, ſtabiliendam, conſervandam, & dirigendam ſpectant, diligenter inquirantur. Hoc quotannis veteri

(a) In Synodo Diœceſana II. Sanctus Carolus ſequens Decretum edidit num. IV. „ Cathedra Sancti Petri Apoſtoli (qua primùm „ Romæ ſedit) quæ ex veteri Eccleſiæ Inſti„ tuto XV. Cal. Februarii celebrari ſolebat, „ intermiſſa jamdiu, quoniam a Paulo IV. „ Pontifice Maximo ſanctè renovata eſt, in „ hac noſtra & Urbe & Diœceſi celebretur eo „ ipſo die quotannis, ex Calendarii noſtri ra„ tione.

veteri jam nostro Decreto fieri præcepimus, & per subsequentes hactenus annos inviolatâ viguit observantiâ; neque hoc uno tantùm die, sed aliàs etiam infra annum (a). Quapropter causam perquirenti, cur huc hodie convenerimus, satis esse id deberet, quòd a primæva nostra institutione, longo jam usu recepta ac confirmata, Conventus iste exigatur. Animadvertite tamen, fratres, magnum subesse periculum, cùm aliquid eo solo fine ac intentione peragitur, quia sic fieri est decretum, quia sic in Synodo Diœcesana vel Provinciali Concilio est præscriptum: Sæpe enim, quæ injuncta sunt, non eâ, qua decet, animi deliberatione, ac dispositi cordis affectu, sed ex usu tantùm aut consuetudine fiunt; quo in spiritualibus sacrisque ministeriis, prout etiam in humanis negotiis, nihil est perniciosius. Porro, quod tantùm ex habitu ac consuetudine pertractatur, robur illud enervat, quo indigent res agendæ; quemadmodum in iis, quæ ad corpus pertinent, contingere manifestè videmus. Si quis enim medicinæ sumendæ assuescat, eamque veluti quotidianum cibum absorbeat, procul dubio eum minimè ex illa percipit fructum, quem adversæ aliorum valetudini solet conferre. Idem prorsus, fratres, in spiritualibus (quod longè gravius est) accidit. Peragere incipit aliquis, usu tantùm ducente, sacra mysteria: Quid mirum, si cœlesti spiritu careat, nullumque inde animæ proventum eliciat? Hæc sanè origo est, cur plerisque Sacerdotum, & Ecclesiæ Ministrorum frigida insit & languens Religio. Hinc non rarò qui ceteris exemplo esse deberent, non modò supra Laicos pietate ac vitæ innocentiâ non excellunt, verùm etiam ab iis superari se indecorè permittunt. Intersunt quidem quolibet die Sacris Altaribus Missas celebraturi; quotidie Sacramenta ministrant; Psalmorum & precum Divinarum Codices continuò præ manibus versant: Sed quia his omnibus callum obduxerunt, eaque apud illos in consuetudinem transierunt, ideo unde emolliri debuissent, eorum animi obdurantur; & unde

(a) Statim ac Sanctus Carolus ad regendam Ambrosianam Ecclesiam Mediolanum se contulit anno MDLXV. Provinciale Concilium indixit, atque in eo Decretum edidit *de Vicariis Foraneis constituendis*. In Concilio autem Provinciali Quinto anno MDLXXIX. statuit „ ut Vicarii Foranei in Civitatem quotannis „ hebdomadæ ante Dominicam in Septuagesima penultimæ, duodecimo scilicet ante ejus „ Dominicæ celebritatem die, summo mane in „ Episcopales Ædes ad Episcopum conveniant, „ nisi aliquando ob temporis, quod inter Epi- „ phaniam & Septuagesimam incurrit, brevi- „ tatem, aut aliam ob causam eum Vicario- „ rum Conventum alio commodiori tempore „ habendum esse, per literas Episcopales signi- „ ficatum sit.

& unde progrediendum ac proficiendum illis erat, retrogradiuntur atque deficiunt. Nollem profectò, dilectissimi, in hos annuos Conventus hæc se se pestis ingereret; nollem in vos hoc virus irreperet: ideo ad Pastoralem meam curam implendam opus esse duco, ut de Congregationis hujus necessitate, & quo fine habenda sit, apud vos nonnulla pronunciem.

Congregationis hujus necessitas ex ipsis Decreti verbis apertissimè liquet; est enim veluti sigillum laborum & operum omnium anni præteriti. Hìc quæ præcipua sunt, discutienda proponuntur; hìc districta munerum gestorum reddenda est ratio: quin etiam disponi ac statui in hoc Cœtu ea debent, quæ præsenti anno, paucis ab hinc diebus inchoato, ad Ecclesiæ bonum & animarum salutem promovendam opportuna esse censebimus. Ideo Vicariis omnibus præcipitur, ut antequam huc conveniant, Parochorum sibi subditorum Conventum habeant; habeant itidem alium, postquam hinc recedentes, ad Ecclesias suas redierint: Illum quidem, ut quæ provido indigent remedio hìc proferantur; istum verò, ut recepta aut consilia aut Decreta ad Plebes suas singuli deferant. Quamobrem latère neminem potest, quanta sit hujus Congregationis necessitas: sed eò major esse dignoscitur, quòd per illam facilis aditus aperitur ad Diœcesanam Synodum post Pascha celebrandam, cùm ejusdem præludium dici propemodum possit, cujus beneficio ea, quæ tunc erunt agenda, hìc disponuntur. Instat sacratissimum Quadragesimæ tempus; instat spiritualis animarum messis; instat totius anni laborum fructus amplissimus colligendus: ideo expedit, operarios uberrimæ hujus messis ad ea nunc instrui ac parari, quæ mox agenda esse, non pauco Diœcesis hujus emolumento conjicimus.

Præterquamquod necessitas ista universos peculiari ratione attingit & urget; qui enim officiorum & munerum nostrorum, mei scilicet & vestrûm pericula excogitat, profectò summè necessariam hanc Congregationem esse deprehendet. In magno, dilectissimi, versamur & continuo discrimine; maximo nos omnes debito cum Deo obstrinximus: Nos quidem, quia vobis potestatem hanc animas regendi communicavimus; vos autem, quia eam a nobis accepistis; ideo ad nos, & ad vos pertinet, quod admonet Sapiens: *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus* (a).

Spo-

(a) *Proverb. VI. v. 1. & 2.*

Spopondimus nos pro vobis, spopondistis quoque vos pro iis, quos regendos suscepistis; & non *pro amico* profectò, sed pro iis, quos non cognovistis. *Defiximus* ergo omnes *manum* nostram *apud extraneum*. At quis extraneum dicat Deum, qui *Pater est misericordiarum & totius consolationis* (a)? Hoc certè titulo Spiritus Sanctus eum appellat *extraneum*, quia in exigenda ratione est severissimus, & extraneo potiùs, quàm amico similis. *Fac ergo* (subdit) *quod dico*. Magna provincia est humeris tuis imposita; magnâ opus est diligentiâ & solicitudine. Me ergo audi paternè consulentem: *Discurre, festina, suscita amicum tuum: ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ* (b). Excitare tenemur ac inflammare & nos metipsos, & vos; ut in iis, quæ ad munera nostra spectant, segnes non reperiamur. Neque verò hic ego immensum illud chaos ingredi statui, verba facturus de Animarum regimine, nempe quàm difficilis ars sit, earumdem cura, quàm grave & delicatum, imo periculis plenum negotium, quàm solicitè & diligenter sit tractandum; quàm denique dilecta sit Deo quævis ex Animabus, nobis depositi loco commissis. Quis enim cogitare valeat, quàm acris & severus eorum vindex Dominus sit futurus, quorum culpâ Animas suo ipso sanguine redemptas periisse cognoverit? Siquidem in hisce explicandis me immorari tempus non sinit; & satis factum arbitror, si tam excelsi muneris pondus & pericula tantùm innuerim.

Neque verò sufficere quis existimet, quòd in munere tam gravi obeundo segnis esse sibi minimè videatur; nam etiam in præstanda, quæ exigitur diligentiâ, magnum aliud periculum & quidem occultum subest, videlicet ne nimiùm aliis attendentes, nostri obliviscamur. Hoc valde timendum est iis, qui aliorum curam gerunt. Eugenio Romano Pontifici non sine causa Bernardus vir Sanctissimus id instanter suggerebat; & Gregorius Romanus Pontifex ac Ecclesiæ Sanctæ Doctor insignis pulcherrimos Pastoralis curæ libros hoc monito concludit, ut qui alios regunt, sui non obliviscantur, sed se se quandoque recolligant, & proprii spiritûs vacent examini; ne, dum in ceteros ita liberales sunt, in se ipsos avarissimi, se sibi propemodum subtrahant. Hoc erat quod vulgari adagio dicebatur: *Bibe et tu de puteo tuo*. Tuum est, Sacerdos, alios docere, instruere, excitare, accendere, inflammare; hæc omnia tibi ipsi in primis exhi-

(a) II. ad Corinth. I. v. 3. (b) Proverb. VI. v. 3. & 4.

be; huc enim dirigitur præcipuus hujus Congregationis ſcopus. Quid enim cuiquam prodeſſet, ſi omnes Mundi animas Chriſto lucrifaciens, ſuam æternæ damnationi ſubjiceret? Illis profectò ſimilis foret, qui tanto numero ac labore arcam Noë conſtruxerunt, eamque non ingredientes, diluvii aquis merſi periere. Neque verò altiſſimo putandum eſt vacare myſterio, quòd prima ea Eccleſiæ fundamenta, Piſcatores, inquam, illi, quos *hominum* poſtea *piſcatores* (*a*) effecit Chriſtus Dei Filius, aliquando ſuæ piſcationi inſiſterent, & quandoque etiam a piſcatione ceſſantes retia reficerent. Vicarii Foranei viſitant plerumque ſibi ſubditas Parœcias, errata corrigunt, corruptelas tollunt; hos admonent, illos terrent; quibuſdam minaces, aliis mites. Quid hoc eſt, niſi piſcari? Eſt-ne ergo ſemper piſcandum? Retia ſunt quoque reficienda; examinanda propria conſcientia; attendendum ſibi ipſis; unum in locum ſimul conveniendum; recognoſcendum, quid hactenus peractum fuerit; qui labor in vinea Domini adhibitus; qui fructus percepti; quid denique deſiderandum ſuperſit: & hoc erit retia reficere, & finem aſſequi, ad quem inſtituta eſt iſta Congregatio.

Ea verò etiam ex hoc capite neceſſariò haberi debuit, quia majus nobis imminet periculum, qui pluribus præſumus, quàm aliis, qui ſibi ipſis tantùm attendunt, vel paucos admodum ſuſceperunt regendos; diſtrictiorem enim & ſeveriorem rationem a nobis, quàm ab illis exiget Dominus Deus. Ideo inſtanter nos admonet Salomon dicens: *Audite ergo Reges, & intelligite, diſcite Judices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum* (*b*). Magna profectò & horrenda ſunt, ùt video, quæ dictura es, o Dei Altiſſimi Sapientia, cùm eos, quibuſcum loqueris, adeò attentos requiras; non enim ſatis tibi fuit dixiſſe: *Audite*; ſed addis: *intelligite, diſcite, præbete aures vos, qui placetis vobis in turbis nationum*; qui nempe adeo jucundum & dulce exiſtimatis, multis præeſſe, a pluribus in honore haberi, multos dicto obtemperantes videre. Porro hoc naturæ humanæ eſt vitium, dominandi appetitus: hoc duci ſe paſſus eſt malus Angelus e Cœlo dejectus; eàdem tabe infecti fuere Protoparentes noſtri, qui, Diis ſimiles fieri cùm optarent, *comparati ſunt jumentis inſipientibus, & ſimiles illis facti* (*c*). Quàm multi (adnotat Gre-

(*a*) *Marci I. v.* 17.
(*b*) *Sapient. VI. v.* 2. & 3.
(*c*) *Pſalm. XLVIII. v.* 13. & 21.

Gregorius Sanctissimus Pastor) eò quòd plures sibi obsequentes videant, unde timere deberent ac humiles fieri, impudenter extolluntur; honores illos sibi exhibitos, meritis suis pares ac virtutibus debitos judicantes; cùm tamen plerumque eorum omnium prorsus sint indigni!

Audite ergo, fratres, & extimescite, quia *interrogabit Altissimus opera vestra, & cogitationes scrutabitur* (*a*), penetrabit intima cordis vestri, & quo fine, quave intentione quidpiam feceritis, ad examen vocabit, nec eum quidquam latère poterit. Idcirco *horrendè & citò apparebit vobis: quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet* (*b*); proinde gravissimas dabimus pœnas, si *inventi fuerimus minus habentes* (*c*).

Annon igitur nos huc convenire oportuit (& oporteret sæpissime), cùm Decreta id statuant, muneris nostri gravitas id requirat, nostrùm ipsorum timenda oblivio ad hoc compellat, & gravissima imminentia pericula ad id maximè inflammare nos debeant?

Sed quinam fructus ex hoc Conventu reportandi sint, breviter videamus. Hæc ipsa ultimò adducta Sapientiæ verba insinuant, modum aptissimum ad evitandum *durissimum* illud Dei *judicium*, *quod fiet his qui præsunt*, esse, si nos ipsos judicemus. Ideo Paulus, licèt de alia re loqueretur, dicebat: *Si nos metipsos dijudicaremus, non utique* a Domino *judicaremur* (*d*). Imminet nobis *judicium durissimum*; nec alia suppetit via ad id effugiendum, nisi ut de nobis sedulum instituamus judicium, prævenientes hac solicitudine Divinum examen, ut nos ab eo tutos reddamus. Atque ut hac de re in præsenti Conventu disseramus, animadvertendum est, examen hoc varium esse & multiplex; id enim etiam a Domino diversimode factum in Sacris Paginis legimus. Decreverat Christus Salvator noster, universæ Ecclesiæ suæ Petrum præficere; ideo autem examini illum antea subjecit; nec quidem uni dumtaxat. De Fide illum primò interrogavit, cùm dixit: *Quem dicunt homines esse Filium hominis* (*e*)? ac variis auditis opinionibus: *Vos autem* subjunxit, *quem me esse dicitis* (*f*)? Pertinet-ne hujusmodi examen ad nos? Sumus Dei gratiâ Catholici; rectè de Fide sentimus: sed valde nos afficit, fratres, hoc ipsum examen... Magnum est quippe mysterium, quòd a Petro

fui

(*a*) *Sapient. VI. v. 4.*
(*b*) *Ibidem v. 6.*
(*c*) *Daniel. V. v. 27.*
(*d*) *I. ad Corinth. XI. v. 31.*
(*e*) *Matth. XVI. v. 13.*
(*f*) *Ibidem v. 15.*

sui confessionem Dominus requirens, postquam diversa hominum responsa audisset, illis usus sit verbis: *Vos autem quem me esse dicitis?* Numquid, Domine, Apostoli tui homines non erant, ut ceteri? Sed innuebas eos, quamvis homines essent, non debere tamen humano ac vulgari modo, sed sublimiori quadam ac divinitus inspirata cognitione de te sentire. Et hic sentiendi modus nobis, fratres, est maximè necessarius: non enim hic examinandos nos arbitror, num Catholicè & secundùm Fidem, de Divinis sacrisque rebus sentiamus; sed an Apostolicè, & excellentiùs ac nobiliùs & sublimiùs, quàm ceteri hominum. Hoc est quod spectat ad nos, examen: Num videlicet qui aliorum Animas regendas susceperunt, cùm de illarum salute, de Divino honore, de Disciplina Ecclesiastica sermo habetur, vulgariter sentiant, an Apostolicè: *Vos autem quem me esse dicitis?* Licèt enim èt ipsi homines sint, non debent tamen humano, sed divino spiritu alios regere. *Quis putas* (dicebat aliàs Dominus noster) *est fidelis servus & prudens* (*a*)? Non tunc de Fide Catholica intelligebat, sed requirebat *servum*, eum scilicet Animarum præpositum connotans, qui sit verè *fidelis*; qui fideliter Christi depositum custodiat; qui nihil aliud, nisi Domini sui honorem & gloriam, non emolumenta sibi conquirenda proponat; qui *non ad oculum*, sed in Domino *serviat* (*b*); qui Divini cultûs zelo agatur; qui demum quotiescumque acciderit, ut Dominum suum verbo vel facto contemni aut offendi animadvertat, animo excrucietur & doleat. Hæc, hæc fidelitas a vobis requiritur; de hac Dominus dicit: *Quis, putas, est fidelis servus?*

Alteri quoque examini Petrum, antequam universæ præficeretur Ecclesiæ, Dominus subjecit, nempe de caritate; cùm eum non semel tantùm, aut bis, sed ter instantissimè interrogavit: *Simon Joannis diligis me plus his* (*c*)? Hoc verò examen, non in accepti regiminis tantùm initio, sed quamdiu animarum cura sustinetur, fieri debet & potest. Neque enim sat est, quempiam, antequam animabus curandis designaretur, caritate ornatum fuisse; sed etiam, quamdiu in commisso sibi munere perseverat, totus debet caritate exardescere. Quid enim incœpisse prodesset, nisi quis in finem usque perseveraret (*d*)? Caritas hæc, fratres, omnia complectitur. Ubi est amor Dei, ibi nihil desi-

(*a*) *Matth. XXIV. v. 45.*
(*b*) *Ad Ephes. VI. v. 6.*
(*c*) *Joann. XXI. v. 15. & 16.*
(*d*) *Matth. X. v. 22.*

desiderandum relinquitur: Ibi diligentia, animarum zelus, Divini honoris solicita cura, ibi demum Ecclesiæ recta administratio. Qui caritate urgetur, non satis putat, unâ tantùm viâ procurandæ animarum sibi concreditarum saluti insudasse; sed numquam a cursu deficit, novas semper vias excogitat, novos labores aggreditur. Nihil est illi impervium arduumque, omnia vincit, omnia superat; facilè & æquo animo æstum, gelu, injurias, paupertatem, omnia denique incommoda, ut animas multas Christo lucrifaciat (a), sustinet. Hoc amore qui fervet, fortis est in adversis, constans in omnibus; non extollitur honoribus, non ulla re deprimitur; numquam excidit animo, aut deficit. Caritas hæc ignis est, qui omnia in se convertit, qui aliorum infirmitates, proprias efficit. Denique felicem illum ac beatum Sacerdotem, cui perpetua comes est caritas!

Verùm utrumque hoc examen tum Fidei seu fidelitatis, tum caritatis in proximum, ac erga Deum amoris, interius est, ad cor spectans; unde nos, qui homines sumus, non possumus secura lance vos expendere ac judicare; solius enim est Dei, *hominum corda*, & cogitationes *scrutari* (b), ac de eorum intentione & scopo judicium instituere. Imo de his ne nos ipsos quidem facile possumus ad justum examen revocare; fallimur namque in his plerumque. Quot reperire obvium est, qui se zelo aliquid aggredi putant, & laborant superbiâ; qui caritatis stimulo se impelli existimant, & humana ratione ducuntur? Deus ergo, cui mentiri non poterimus, nos omnes de his interrogabit; nec mihi aliud licet, nisi hæc omnia vobis in mentem reducere.

Duplex aliud examen superest, quod nobis instituendum permittitur, vel ab effectibus causas perquirendo, vel e converso a causis effectus. Primo quidem examinis genere uti consuevimus, cùm per Diœcesim discurrimus, Parochias visitantes & Ecclesias. Video alicubi, omnia recto ordine peragi, leges & Decreta servari, Religionem in populo vigere. Alibi secus, peccata publica regnare conspicio; blasphemos & concubinarios adesse, nec corrigi; lasciviis, tripudiis, & mille hujus generis corruptelis animas depravari. Hinc Vicarii Foranei diligentiam, aut segnitiem arguo atque conjicio; idque mihi prorsus contingit, quod illi, qui dicebat: *Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam viri stulti: & ecce totum repleverant urticæ, & operuerant superficiem ejus spinæ*

(a) I. ad Corinth. IX. v. 19. & seqq. | (b) Psal. VII. v. 10., & I. ad Corinth. II. v. 10.

næ & maceria lapidum destructa erat. Quod cùm vidissem, posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam (*a*). Quid ille *vidit*, nisi *urticas, spinas, & maceriam destructam?* Quæ est ergo *disciplina, quam exemplo didicit*, nisi quòd inde conjecit, agri aut vineæ illius cultorem segnem ac *pigrum* esse, illiusque culpâ omnia illa accidisse? Agri vestri, fratres, & vineæ, sunt Plebes & Ecclesiæ, quas nos invisimus, ex quibus diligentiam vestram atque negligentiam metiri solemus, & *ponentes in corde nostro, exemplo discimus disciplinam*. Quid enim indicant *urticæ* peccatorum, quæ campos illos replent? quid *spinæ* malarum consuetudinum, quæ eorum *operiunt superficiem?* quid Decretorum nostrorum & Constitutionum *maceria destructa*, nisi vos muneri vestro minimè attentos negligenter obdormivisse, & pigros ac desides fuisse? Ex opposito autem, quanto gaudio replemur, cùm agrum Domini mundum & optime excultum aspicimus; cùm fructus amplos & uberes reperimus; cùm vineas vestras præceptorum observatione, veluti fortissima quadam *lapidum maceria* circumseptas invenîmus! Cogimur tunc in gratias prorumpere, & toto cordis affectu exultare, quòd bonos habeamus in vinea nostra cooperatores, quòd solicitos & diligentes nacti simus Agri Dominici cultores.

Alterum verò examen est, ab universalibus ad particularia, a causis ad ea, quæ ab ipsis profluunt, descendendo; a Legibus, Constitutionibus, & Decretis editis, ad eorum observantiam deveniendo. Hoc verò est, Concilia & Synodos præ manibus habere, & legendo perquirere, quomodo executioni mandentur. Id porro perficiet qui secum ipse perpendet ac dicet: In Concilio statutum est istud Decretum, & alia; Quis eorum usus in mea Plebe viget? Quid obstat, quin illa serventur? Quid remedii adhibeam? Hoc modo profectò in Lege, veluti in speculo, cooperatorum nostrorum, & nostras etiam actiones examinamus & contemplamur. Examen hoc Sacræ etiam Literæ docent. Helcias Sacerdos cùm Librum Legis in domo Domini reperisset, tradidit eum Saphan Scribæ, qui Josiæ Regi illum accuratè perlegit. *Quem cùm legisset Saphan coram Rege, & audisset Rex verba libri Legis Domini, scidit vestimenta sua. Et præcepit Helciæ Sacerdoti*, & aliis: *Ite & consulite Dominum super me, & super populo, & super omni Juda de verbis voluminis istius, quod inventum est: magna enim ira Domini succensa est contra nos: quia non audierunt Patres nostri*

(*a*) *Proverb. XXIV. v.* 30. *& seqq.*

nostri verba libri hujus (a). Non sine causa igitur Moyses, *postquam scripsit verba Legis hujus in volumine atque complevit: præcepit Levitis, qui portabant Arcam fœderis Domini, dicens: Tollite librum istum, & ponite eum in latere Arcæ fœderis Domini Dei vestri: ut sit ibi contra te in testimonium* (b).

Jubemus ét nos, fratres, Conciliorum libros in Sacrariis appendi, *ut sint ibi in testimonium contra vos*, si, quæ illic descripta continentur, exequi neglexeritis. Huic examini, prioribus tribus omissis, præsens Congregatio deserviet, pleniùs & exactiùs, quàm aliàs fecerimus; fuimus enim sæpius interrupti profectionibus nostris Romam, Parmam, & in Rhetos, quò nos, ut Sanctissimo Domino obtemperaremus, oportuit accedere. Ante aliquot annos hoc idem effecimus: sed jam renovare statuimus, capere videlicet Concilia & Decreta in manus, ac omnia percurrere, & quomodo unumquodque observetur, vel non, diligenter conferendo simul scrutari. Hæc Ecclesia, singulari Dei munere, fuit plurimis Conciliis & Legibus adjuta; debet quoque eorum observantiâ firmari: Id nunc, Deo dante, curabimus. Quòd si tribus aut quatuor diebus hoc absolvi non poterit, decem & quindecim dies tam gravi negotio impendemus; quibus vos hìc semper adesse volumus, ac nobiscum convivere in domo nostra, nostris expensis(c). Quòd si quis nobis exponat, sibi maximè opus esse Ecclesiam suam adire, præsto illi erimus, vel ejus loco Sacerdotem aliquem eò destinantes, vel ipsum ad modicum tempus abire permittentes. Hoc est opus, fratres, inter majora hujus Ecclesiæ præcipuum; totus enim fructus in Decretorum executione consistit, de qua hic agendum. Vos oculi mei estis, vos aures, vos manus, Vos hujus Cathedræ & Ecclesiæ bases ac fulcimenta validiora. Vos igitur obsecro in visceribus Jesu Christi, ut negotium hoc tanti momenti Domino Deo commendetis: diligenter & sollicitudine, seu perfunctoriè (ùt ab initio dixi), sed animo sincero & pacato huc accedite; ut eum, qui a nobis omnibus desiderari debet, fructum valeamus percipere. Amen.

(a) IV. Regum XXII. v. 10. & seqq.
(b) Deuteronom. XXXI. v. 24. & seqq.
(c) Protractum fuisse ad tres circiter hebdomadas Scrutinium hujus Conventûs, ad quem confluxerant LX. Vicarii Foranei, scribit Glussianus in Vita Libr. VII. Cap. VII. qui de hac Concione mentionem facit, atque inter cetera refert, Sanctum Carolum gestasse præ manibus MStum volumen, ab ipso confectum, in quo adnotata legebantur omnia Conciliorum Decreta, in suos titulos digesta; eaque coram quolibet Vicario Foraneo recitasse, singillatim perquirendo, an ea suis in Plebibus accuratè exequutioni mandata fuissent.

HOMILIA XCIX.

DE PASSIONE DOMINI (a)

Habita in Templo Majori Mediolani

Feria VI. post Dominicam I. Quadragesimæ

ANNO MDLXXXIV. XXIV. FEBRUARII.



CARUIMUS, dilectissimi filii, per aliquot dies dulcissimo hoc vestro conspectu. Vos itidem Pastoris vestri vocem non audistis, ob corporis nostri infirmitatem (b), fructum peccati. Hujus adeo gravis nobis atque molestæ absentiæ causa nondum cessavit: Sed sive prosperà, sive adversà valetudine utamur, vires omnes animi corporisque nostri vobis debentur; nec quidquam est in nobis, quod jure vestro non possitis efflagitare, ut usibus

(a) Ex quo Sanctus Carolus peregrinationem susceperat ad Urbem Teurinensem, ut sacram Syndonem veneraretur, tam altè sibi animo infixerat memoriem quinque vulnerum Christi Domini, quorum cruenta vestigia ibidem impresse conspexeret, ut, teste Glussiano Libro V. ejusdem Vitæ Cap. VI., assiduè Crucifixi Redemptoris cruciatus non sine lacrymus contempleretur: Ideo ad Varalli Sanctuarium se contulit, ut, semotis omnibus curis, ad recolende Dominicæ Passionis mysteria ibidem in sejunctis Sacellis expressa se totum addiceret. Statuit subinde, ut singulis VI. feriis per annum in Templo Maximo Sermo de eadem manè haberetur; serò eutem unum ex Canonicis ejusdem Ecclesiæ delegit, ut in idem argumentum verba populo faceret, teste Possevino in Sancti Caroli Vite Cap. IX. Præcepit quoque, ut in Sancti Sepulchri Templo, IV. & VI. ferià cujuslibet hebdomadæ alter ex Oblatis ad Christi e Cruce pendentis amorem pia concione populum excitaret. Postremis demum annis, recurrente Quadragesimali tempore, ipsemet Sanctus Antistes e suggestu Majoris Templi perorare cœpit, ad eltiùs imprimendam in animis religionem & memoriam Christi Pessionis; sed ii tentùm Sermones, quos postremo Vitæ suæ anno habuit, superfuere. Quinimo Joannes Boterus in Opusculo de Prædicatore Verbi Dei, jussu Sancti Caroli conscripto, ac edito Perisiis anno MDLXXXV. hæc adnotevit in fine Libri I. „ Laudare satis non possum sanctissimi ac sapientissimi Cardinalis Borromei „ consilium etque Institutum; is enim nullam „ hebet ferè Concionem, nullum Sermonem „ ad Populum, quem non espergat Christi sanguine, non distinguat Christi plagis, non „ exornet Christi coronà, non condiet felle & „ myrrha, non exeggeret Christi mortis & crucis commemoratione.

(b) Correptum fuisse Senctum Carolum erysipelatis morbo io crure, & lecto effixum eo tempore, quo Vicariis Foraneis audiendis, instruendisque ad munus suum rectè gerendum operam dabat, narrat Glussianus in ejusdem Vite Libro VII. Cap. VII., qui rarum illud exemplum amoris erga Gregem suum in Sancto Carolo admirans subdit, sanctum hunc Antistitem, licèt acerba ea ægritudine laboraret, ne ab incœpto desistere cogeretur, jussisse, ut in Auditoriam Aulam Stratum, in quo jacebat, transferretur, ibique in expediendis Ecclesiæ suæ negotiis continuò perseverasse.

usibus vestris penitus impendatur: præsertim verò quod spectat ad docendi ac divini verbi prædicandi officium, adeò nobis proprium, & debitum vobis. Non est profectò inter vos qui auribus suis non audiat vocem illam perpetuò insonantem, quam Isaias audiebat: *Vox dicentis: clama* (a). *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam* (b). Audimus èt nos semper præcipientem Apostolum: *Prædica verbum, opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa* (c). Quòd si animarum Pastores (in quorum nos numero, licèt indignos, collocare dignatus est Dominus) omni totius anni tempore clamare oportet; quantò magis nunc sacratissimo hoc solemnis quadragesimalis jejunii tempore clamandum est nobis, quo Sanctissimus Spiritus non implicitè, aut per longas & obscuras verborum ambages, sed apertissimè, id se a nobis requirere, sacrosanctis a se dictatis Œcumenici Tridentini Concilii Decretis declaravit (d)? hoc inquam tempore, quo Sancta Mater Ecclesia quotidianis concionibus filios suos ad hujusmodi clamores audiendos hortatur & pertrahit? Nos verò hæc animadvertentes, quæque nostræ sint partes probè agnoscentes, cùm singulis diebus huic tam necessario, nobisque tam proprio clamandi & prædicandi muneri non possimus incumbere; præter festos dies, sextis etiam feriis, ne *canes muti* (e) a Domino omnino vocari possimus, neve nimiùm tacuisse pœniteat, clamabimus. Sed, *quid clamabo* (f), dulcissime Jesu, cùm aliàs verbis tuis in Sacro Evangelio descriptis clamare consueverim? Sponsa tua Sancta Mater Ecclesia dolens hodie & tristis, etiam Missarum Sacrificiis carere nos voluit; nulla nobis proponit Evangelia; mœsta ac squallida luget cruciatus tuos, & culpas nostras. *Quid ergo clamabo? Dabit*, dilectissimi filii, *Dominus verbum evangelizantis* (g); quidque subsequentibus potissimùm sextis his feriis simus clamaturi, jam audietis.

Audiens Isaias vocem sibi dicentem: *Clama*; ad Dominum, cujus vocem agnoverat, conversus: *quid*, inquit, *clamabo?* Idem nobis, ùt audistis, clamitat Spiritus Sanctus, nempe ut clamemus, ne taceamus, vocem attollamus. Quid ni ergo nos quoque a Domino perquiramus, quid clamare nos velit? Ejus siquidem est missio, legatos ipse decernit, legationes instruit, ver-

(a) *Isaiæ XL. v. 6.*
(b) *Ibidem LVIII. v. 1.*
(c) *II. ad Timoth. IV. v. 2.*
(d) Sessione XXIV. de Reformat. Cap. IV.
(e) *Isaiæ LVI. v. 10.*
(f) *Ibidem XL. v. 6.*
(g) *Psalm. LXVII. v. 12.*

verba sua dat in ore eorum, quæ ejus nomine populis, apud quos legatione funguntur, exponant. Quid ergo nos clamare vis Domine? Quæ nobis populo tuo referenda committis?

Plura & sæpius in sacris literis clamanda suggessit Spiritus Domini; semper enim obturatæ fuerunt hominum aures: stupidis semper plenus fuit Mundus; ideoque necesse fuit, ut altis vocibus Dei nuncii clamarent. *Vade*, dixit ad Jeremiam olim Dominus, *& clama in auribus Jerusalem, dicens: Hæc dicit Dominus: Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, & caritatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto* (*a*). O quàm dulcis hic clamor Christianis, potissimùm quadragesimalis jejunii tempore! Ipsis clamat Dominus: Vestri sum memor, non excidunt animo meo, quæ *me sequentes in deserto* facitis vos, qui jam corpus affligitis, qui pœnitentiæ operibus vacatis, qui quadragenarium jejunium meum, jejunio vestro associatis, qui me in deserto Crucis & Passionis comitamini, nec a latere meo, quantum est in vobis, receditis. Pergite ergo filii, quia *et recordatus sum vestri*, & recordabor ac *miserebor adolescentiam vestram*, compatiar infirmitatibus vestris; *delicta juventutis vestræ, & ignorantias vestras non meminero* (*b*), quæ omnia gratissimis mihi lacrymis nunc studetis extergere. Et hic quidem clamor ad sequentes in deserto Dominum suum dirigebatur.

Ad duros verò corde ac obstinatos, & qui a Domino suo defecerant, aliter aliisque verbis idem Propheta olim clamare jubebatur: *Vade, & clama sermones istos contra Aquilonem, & dices: Revertere aversatrix Israël, ait Dominus, & non avertam faciem meam a vobis: quia Sanctus ego sum, dicit Dominus, & non irascar in perpetuum. Verumtamen scito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum prævaricata es: & dispersisti vias tuas alienis sub omni ligno frondoso, & vocem meam non audisti, ait Dominus* (*c*). O peccator ingrate: castra mea intraveras; numero militum meorum, imo filiorum eras adscriptus; viam, quam ego præcucurri, ingressus eras; sed avertisti a me faciem tuam, terga mihi vertisti, ad creaturas vanas & inanes es conversus. *Revertere* jam ergo *aversatrix* anima, redi ad pristinum statum; faciem tuam iterum ad me converte, *& non avertam faciem meam* a te. *Convertere ad me, & ego convertar ad te* (*d*); non te rejiciam; non dedignabor, transfugam

(*a*) *Jerem. II. v. 2.*
(*b*) *Psalm. XXIV. v. 7.*
(*c*) *Jerem. III. v. 12. & 13.*
(*d*) *Zach. I. v. 3.*

fugam denuo in mea castra recipere, *quia Sanctus ego sum: benignus & patiens, præstabilis super malitia* (a) *& multus ad ignoscendum* (b); nec *irascar in perpetuum*, sed accurrens, uti prodigi filii benignissimus pater in tui collum cadam; stolam tibi primam restituam (c), *desponsabo te mihi* (d): *non recordabor ultra peccatorum tuorum* (e). Hoc a te tantùm expostulo; *scito iniquitatem tuam*, agnosce ingratitudinem tuam, *quia in Dominum Deum tuum prævaricata es*. In eum, o Anima, deliquisti, a quo vitam accepisti, & statum tam dignum; a quo Dei similitudinem referens ad æternam felicitatem creata fuisti: *Prævaricata es* in eum, qui in tuum usum creaturas omnes, imo & ipsos Angelos condidit: In eum *prævaricata es*, qui pro te natus, pro te mortuus, pro te tanta & tam atrocia est passus: *Prævaricata es* in eum, qui solo nutu te potest redigere in nihilum, unde te eduxit; qui postquam corpus tuum occiderit, te etiam in æternæ damnationis barathrum valet detrudere (f); qui tuî futurus est Judex. Hæc *scito* saltem; & horum scientia te ad recipiendas infinitas miserationes meas saluberrimè disponet. Vide, quantùm *alienis* & crudelissimis hostibus tuis *dispersisti vias tuas sub omni ligno frondoso*; nihil enim fuit, quo ad tuî procurandum interitum usa tu non fueris; cùm ad meî quærendum honorem ea omnia debuisses dirigere. Quapropter *convertimini*, clamat Dominus, *filii revertentes*, o Animæ benedictæ, *quia ego vir vester* (g), ego sponsus vester, pater, principium, & finis, ego Deus vester, omne bonum vestrum, ego tollens omnes iniquitates vestras, & demum futurus æterna felicitas vestra.

Sed reversi sunt, benignissime Pater, *revertentes* hi *filii* tui, qui ante octo dies a te deflexerant, & fuerant vanitatibus immersi: Jam non amplius larvati, sed pœnitentes apparent; non convivia sectantur, sed jejunant. Tacendum-ne igitur ministris tuis est super hujuscemodi? Minimè verò; sed audite, quid Prophetæ suo Isaiæ, & in ipso nobis idem Dominus dicat: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Jacob peccata eorum. Me etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt: quasi gens, quæ justitiam fecerit* (h); ac si dicere velit Deus: profitentur hi, quòd *me quærunt*; non possunt gravissi-

(a) *Joel. II. v. 13.*
(b) *Isaiæ LV. v. 7.*
(c) *Lucæ XV. v. 20. & seqq.*
(d) *Osee II. v. 19. & 20.*
(e) *Isaiæ XLIII. v. 25.*
(f) *Lucæ XII. v. 5.*
(g) *Jerem. III. v. 14.*
(h) *Isaiæ LVIII. v. 1. & 2.*

viſſimos conſcientiæ aculeos non ſentire; agnoſcunt *quàm ſit* illis *amarum, reliquiſſe Dominum Deum ſuum, & timorem ejus non eſſe apud eos* (*a*); vident ſtatutos contractus ſtare non poſſe, iiſque veluti duriſſimis funibus ſe irretiri atque alligari; adeunt Prædicatores, Confeſſarios, Sacerdotes, & *me* videntur *quærere*, interrogantes, num juſtè pecunias illas lucrati ſint, eaſque retinere poſſint legitimè? Negat unus & alter. Ad alios accedunt, non ut veritatem inveniant, ſed ut in aliquem incidant, qui mei & ſui immemor, ipſos ſecum in barathrum pertrahat, & laqueum ponat animabus eorum. Et idcirco pergunt hujuſmodi homines, quaſi *judicio mecum contendentes* (*b*), dicere: *Quare jejunavimus, & non aſpexiſti: humiliavimus animas noſtras, & neſciſti? Ecce in die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis: ecce ad lites & contentiones* (*c*) feſtinatis. Jejunatis quidem, abſtinentes a cibis, ſed non abſtinetis a vitiis; rejeciſtis carnes animalium, ſed carnem veſtram turpiter fovetis, non cohibetis fræno appetitus, non temperatis concupiſcentias, injuſtè acquiſita retinetis, opprimitis pauperes, in peccatis perſeveratis, adhuc domi latent illicitæ conſuetudines, peccati fomenta: Ideo ſuper his *clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Jacob peccata eorum* (*d*); & dic: *Nolite jejunare ſicut uſque ad hanc diem, ut audiatur in excelſo clamor veſter* (*e*).

Sed alii adhuc ſunt clamores, quibus hæc omnia, quæ diximus, inſinuari videntur ac comprehendi; nempe, quos ſermonis initio uſurpatos a nobis, vox Domini edi præcepit: *Vox* inquam *dicentis: Clama. Et dixi* (inquit Iſaias) *quid clamabo?* hoc nempe: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, quaſi flos agri. Exiccatum eſt fœnum, & cecidit flos, quia Spiritus Domini ſufflavit in eo* (*f*). Quæ quidem, etiam ſi literæ corticem ſpectemus, maxima ſunt, cùm vitæ noſtræ brevitatem atque fragilitatem ob oculos ponant, ex iiſque colligamus, nullam nobis ſuperbiendi, maximam verò nos ad infimum demittendi cauſam ſuppetere. Sed in hiſce Spiritûs Sancti verbis multò majora latent myſteria. Loquebatur de futura Chriſti Incarnatione Propheta, prædicebat Meſſiæ adventum; idcirco, ut tanta Dei dignatio clariùs innoteſceret, (quoniam contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt) carnis miſeriam deſcribit, ut videat homo,

(*a*) *Jerem. II. v. 19.*
(*b*) *Ibidem II. v. 29.*
(*c*) *Iſaiæ LVIII. v. 3. & 4.*
(*d*) *Ibidem v. 1.*
(*e*) *Ibidem v. 4.*
(*f*) *Iſaiæ XL. v. 6. & 7.*

homo, quò se demiserit Deus, eam assumens; perinde ac si ita diceret: *Et revelabitur gloria Domini*, hoc est Verbum æternum, Dei Filius in carne apparebit; & *videbit omnis caro pariter quòd os Domini locutum est* (a): Audient omnes homines Christum in carne loquentem. Ne verò carnem aliquam a nostra diversam eam fore, aut divino aliquo modo, & majestate sublimi appariturum Dei Filium putes o homo, audi, qualem assumet naturam, istam videlicet: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri*. O verba gloriosa & insignia! digna, quæ semper sint in mentibus nostris impressa, & nullà umquam oblivione deleantur; quæ apertissimè ostendunt, quò se pro nobis demiserit Deus, nempe, ut *Verbum caro fieret*, ut carnem nostram assumeret, quæ fœno similis est, quo nihil est vilius (cùm ejus gloria flori agri comparetur, quo nihil fragilius) quod frigore arescit, calore marcescit, vento rapitur & frangitur, pedibus conculcatur, a brutis comeditur; & cùm pulchritudinem ostentet, momento temporis consumitur ac perit. Qui æternus erat & immortalis, similis nobis mortalis evasit. Maxima verò sunt hæc, & quæ ubique maximo clamore ac admiratione sunt ab omnibus prædicanda. Sed nondum hic sistit vis ejus, quod Deus clamari volebat. Hoc (ùt ipse arbitror) similitudine fœni appositâ clamabat in spiritu Isaias, qui futura, Deo dante, prævidebat: fiet Verbum æternum caro, nec modò fiet caro, sed pro hominibus etiam patietur, consumetur, despicietur, morietur: & sicut fœnum & flos agri tam multis exposita sunt imbribus & æstibus, conculcationi ac comestioni; sic (o mirabile dictu! quod fortè innuisse tantùm voluit Isaias, non plenè explicasse) Dei filius & imbres tribulationum, & æstus persecutionum patietur innumeros. Conculcabunt infelicissima hominum monstra æternam illius gloriam; devorabunt eum bestiæ Pharisaicæ; in prædam erit denique immanissimis Hebræorum feris, a quibus ad mortem usque consumetur. Unde parum fortè se dixisse noverat, qui prædixerat, Deum futurum hominem, nisi ea innueret, quibus nos apertè cognosceremus, fuisse etiam minus, quàm hominem; ac justissimè in ejus persona Regium Vatem cecinisse: *Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis* (b). Vide homo, quid pro te fecerim: ego te *minui paulo minus ab Angelis* (c); me autem minoravi multo minus ab hominibus, ita ut non homo,

(a) *Isaiæ XL. v. 5.*
(b) *Psalm. XXI. v. 7.*
(c) *Psalm. VIII. v. 6.*

mo, ſed vilior apparuerim hominibus; imo *vermis & non homo*, *opprobrium hominum, & abjectio plebis*.

Hinc intelligite, quomodo Iſaias, qui ſic, ùt audiſtis, clamabat, hæc omnia noſſet & prænunciaret; alibi enim, ſe ipſum declarans: *Non eſt ſpecies*, inquit, *ei*, *neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum: Deſpectum & noviſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem: & quaſi abſconditus vultus ejus & deſpectus, unde nec reputavimus eum. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit: & nos putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum a Deo & humiliatum* (*a*); quaſi diceret Vir Sanctiſſimus: Ille omnium pulcherrimus, de quo dicitur in Pſalmo: *Speciosus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis* (*b*): de quo in Canticis Sponſa inquit: *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus* (*c*), fuit pro nobis percuſſus, flagellis cæſus, vulneratus, conſputus, & uſque adeo deformatus, ut *non haberet ſpeciem, neque decorem*. Voluit ſummus ille Deus, qui naturam univerſam immenſa virtute ſua coërcet & continet, ut a nobis perniciem averteret, indigniſſimas contumelias pati, inauditas ignominias recipere, crudeliſſimis flagellis percuti, ſpineâ coronâ redimiri, duriſſimis clavis Cruci affigi, & in ligno tamdem ſuſpenſus mori; quod morti genus erat tunc ignominioſum atque infame; cùmque ſpinea corona ejus caput undique transfigeret, decurrebat ſanguis per genas, quæ cùm eſſent alapis cæſæ, ſputis coinquinatæ, cruentæ liventeſque, nullum penitus decorem referebant. Ego (ait Propheta) mentis oculis vidi Chriſtum in Cruce pendentem, adeo dilaceratum, ut non videretur homo; imo illum *reputavi leproſum; a planta* enim *pedis uſque ad verticem non erat in eo ſanitas* (*d*).

Hæc ſunt, filii, quæ clamare debemus, & quidem valido clamore in auribus populi; cùm univerſa natura præ ſtupore ſuis vocibus perſtrepat, ſuos edat clamores. Verùm adhuc aliquid videndum ſupereſt, unde tantus hic clamor augeatur: Id proximè audietis.

SECUNDA PARS.

[Clamat etiam ad vos Chriſtus pauperum vocibus, & eorum potiſſimùm, qui in Carceribus detinentur. Quæ iiſdem præſtiteritis pietatis officia, ſibi præſtita fuiſſe ille declarabit, cùm dicet:

(*a*) *Iſaiæ LIII. v. 2. & ſeqq.*
(*b*) *Pſalm. XLIV. v. 3.*
(*c*) *Cant. Cantic. V. v. 10.*
(*d*) *Iſaiæ I. v. 6.*

cet: *In carcere eram, & venistis ad me* (a). Eos igitur enixè commendatos vobis velim.]

Conquerebatur quandoque Israëliticus Populus, cùm aliquibus premeretur ærumnis, Deum suî penitus esse oblitum, & dicebat: *Quare oblivisceris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ* (b)? & alibi: *Dixit Sion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei* (c). Sed falsum erat quod ille pronunciabat, & injusta ejusdem querela; unde idem Dominus addebat: *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui* (d). Numquid reperiri potest Mater aliqua adeò dira & crudelis, suique ipsius inimica, quæ partûs sui sit immemor, quæ proprii sanguinis & carnis obliviscatur; nec ei misereatur, quem novem menses gestavit in utero, quem tanto cum dolore peperit, quem tot laboribus & vigiliis ad firmam ætatem perduxit? Etsi tamen fera talis aliqua inveniretur, *ego tamen numquam tui obliviscar*. Hæc eadem, filii, nobis dicuntur a Domino: Quî potest Mercator aliquis non perpetuò recordari pretiosissimæ gemmæ, in quam thesauros suos omnes & opes insumpsit? Ego animas vestras Sanguine meo redemi, & obliviscar Sanguinis mei? tantum earum pretium mihi umquam animo excidet? *Ecce in manibus meis descripsi te* (e). Nolite diffidere Christiani homines, quoties hanc intratis Ecclesiam, quoties oculos in altum tollitis; quia etsi *Christus* taceret, clamat tamen Clavus ille pretiosissimus (f) dicens: *Ego calamus fui & penna, quæ sanguine vos descripsi in manibus* Domini mei. Neque fortè quis dicat: Quamdiu inter nos vixit, nos habuit descriptos; nunc verò cùm a nobis recessit, oblitus est nostri. Nimis altè impressi sumus in illius pectore, & latere; penetravit intimè sanguineum illud atramentum; characteres depinxit indelebiles. Et nunc quoque nos semper videt in manibus, in pedibus, in Sanctissimo latere suo nominatim descriptos. Nec solùm ipse videt, sed èt Patri incessanter ostendit; & pro nobis semper clamitat (g), non sicut sanguis Abel adversùs homicidam fratrem, vindictam (h); sed misericordiam, & divinæ liberalitatis am-

(a) *Matth. XXV. v. 36.*
(b) *Psalm. XLIII. v. 24.*
(c) *Isaiæ XLIX. v. 14.*
(d) *Ibidem v. 15.*
(e) *Ibidem v. 16.*
(f) Connotat hîc Sanctus Carolus pretiosissimum illud pignus Divini erga Mediolanenses amoris, Sacrum nempe Dominicæ Passionis Clavum, quo ditatur Metropolitana Basilica; quemque olim in Templo Sanctæ Theclæ asservatum, hocque diruto ad Ecclesiam majorem translatum in summa Odæi testudine collocari jussit, ut publicæ Religioni expositus continuò foret.
(g) *Ad Rom. VIII. v. 34. & ad Hebr. VII. v. 25.*
(h) *Genes. IV. v. 10.*

ampliſſima munera conferri nobis efflagitans. Ipſe enim verus eſt Aaron, ſummus Sacerdos, de quo ſcriptum eſt: *Sumeſque duos lapides onychinos, & ſculpes in eis nomina filiorum Iſraël: ſex nomina in lapide uno, & ſex reliqua in altero, juxta ordinem nativitatis eorum. Opere ſculptoris, & cælatura gemmarii ſculpes eos nominibus filiorum Iſraël, incluſos auro, atque circumdatos: & pones in utroque latere ſuperhumeralis, memoriale filiis Iſraël. Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino ſuper utrumque humerum ob recordationem* (*a*). Ipſe omnium noſtrûm nomina coram Patre pretioſiſſimæ carni ſuæ inſculpta continuò repræſentat, nec fieri poteſt, ut obliviſcatur noſtrì.

Utinam ita nos tantorum beneficiorum memores, ſic in veritate ei dicere poſſemus: *Numquam tui*, dulciſſime Jeſu, *obliviſcar: ecce in manibus meis*, in corde meo *deſcripſi te*. Sed me miſerum! nam *deſolatione deſolata eſt terra: quia nullus eſt qui recogitet corde* (*b*). Heu quia cum lacrymis dicere cogimur! *Juſtus perit, & non eſt, qui recogitet in corde ſuo* (*c*). Moritur pro nobis ſontibus & reis, innocentiſſimus juſtorum omnium juſtiſſimus Chriſtus; & nemo recogitat: *Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra* (*d*); & nos horum omnium plerumque obliviſcimur; aut ea certè non cogitamus, perinde ac ſi vera non eſſent, aut ad nos non ſpectarent, neque noſtrì causâ peracta fuiſſent.

Utinam ex Cruce illa Chriſtus jure de nobis conqueri, & clamare non poſſet, quia *vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis* (*e*). *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona poſt cogitationes ſuas* (*f*). Hìc continuò, confixis in Cruce brachiis & pedibus *populum* hunc præſtolor; ipſe autem *graditur in viis non bonis, poſt cogitationes ſuas* perverſas, poſt concupiſcentias carnis, cupiditates, illicitos contractus, fraudes, & mille peccata. Heu! heu! quia hæc nobis clamanda ſunt, peccatores, verè *populi ſtulti & inſipientes* (*g*). *Deum* igitur, *qui te genuit*, o miſer homo, *dereliquiſti, & oblitus es Domini Creatoris tui* (*h*), Patris, Redemptoris, Sponſi, Dei tui?

Atque hæc quidem omni tempore & loco, in omnium auribus ſunt a Paſtoribus clamanda: ſed nunc potiſſimùm in hac Civitate, in hac Eccleſia, apud vos a nobis. Quid enim, obſecro, eſt

(*a*) *Exodi XXVIII. v. 9. & ſeqq.*
(*b*) *Jerem. XII. v. 11.*
(*c*) *Iſaiæ LVII. v. 1.*
(*d*) *Ibidem LIII. v. 5.*
(*e*) *Proverb. I. v. 24. & 25.*
(*f*) *Iſaiæ LXV. v. 2.*
(*g*) *Deuter. XXXII. v. 6.*
(*h*) *Ibidem v. 18.*

est sacratissimum Quadragesimæ tempus, nisi pœnitentiæ dolorum & lacrymarum tempus, nisi dies debitæ & condignæ præparationi ad Pascha Domini rite celebrandum deputati? At verò nihil magis ad concitandum in nobis dolorem, eliciendas lacrymas, inducendum peccati odium, nosque dignè dignoscendos valet, sicuti jugis hæc Christi Domini Passionis recordatio. Quis ita ferreus & adamantinus, quem Christi spinæ, dolores, tormenta in lacrymas non dissolvant? Compatitur morienti Christo Cœlum, Sol, & Luna; compatiuntur monumenta, & saxa durissima; compatitur Centurio, compatiuntur qui spectabant; omnis demum natura ingemiscit: Et nos hæc spiritûs oculis spectantes, hisce auribus audientes, animo meditantes, nos, inquam, pro quibus hæc omnia facta sunt, non commovebimur? Ergo ad expellendum peccatum, ad ejus jugum excutiendum, nomenque abolendum, Filius Dei tam diræ se se morti lubens subjecit, tanta passus est: & nos horum memores peccatum non detestabimur magis, quàm mortem ipsam, quàm Infernum, quàm mala omnia, & quæcumque abominatione sunt digna?

Inter omnes verò dies sacratissimi hujus temporis, sextæ procul dubio Feriæ, huic tractationi sunt imprimis accommodæ; eâ namque feriâ, qua nos clamabimus, acta fuerunt, quæ diximus; ea feria Christi Domini morte fuit illustrata. Quòd, si Ecclesiæ Sanctæ filios nos esse gloriamur, quid causæ est, cur ejusdem Matris nostræ spiritui nos ipsos conformare, quatenus possumus, non studeamus? Nec mysterio maximo vacat, quòd Ecclesiæ nostræ Ambrosianæ ritus sit, singulis sextis his feriis Missæ Sacrificium nobis non proponere. Idem ritus est in Ecclesia Græca, in qua non solùm in feriis sextis, sed neque etiam in aliis feriis Quadragesimæ, præterquam in Sabbato, & die Dominico, Missa celebratur; quod cautum animadvertimus in Concilio sexto Constantinopolitano (a). In Ecclesia autem Romana, nostræ & Ecclesiarum omnium Matre, hic ritus est ab Apostolicis usque temporibus derivatus, quòd in sexta tantummodò feria Parasceves, Missa non celebretur. Nostra verò Ecclesia obsequentissima filia, permittente illa piissima Matre, hoc plus habet, quàm Romana & Græca, quòd non solùm Missam non celebrat, sed neque utitur hostiâ an-

(a) Nempe Quini-sexto, seu Trullano, Canone LII., qui editus est in hæc verba: *In omnibus Sanctæ Quadragesimæ jejunii diebus, præter quàm Sabbato, & Dominica, & Sanctæ Annunciationis die,* (fiat) *Sacrum Præsanctificatorum ministerium.* Idem statutum multò ante fuerat in Synodo Laodicena Canone XLIX. his verbis, quòd *non oportet in Quadragesima Panem benedictum offerri, nisi in Sabbato, ac Dominica*, ubi *Panis* voce Hostiam & Sacrificium significari, testantur Zonaras, & Balsamon in Notis ad Canonem LII. superiùs relatum.

tea conſecratâ, quemadmodum agere ſolet Eccleſia Romana, quæ in Paraſceve utitur hoſtiâ, pridie illius diei, nempe in feria quinta Cœnæ Domini conſecratâ; & Eccleſia item Græca utitur Miſſa Præſanctificatorum (*a*). Ratio autem, quare Eccleſia Romana in Paraſceve non celebret Miſſam, hæc eſt, quam affert Sanctiſſimus Pontifex Innocentius Primus (*b*), quia percuſſus eſt Paſtor, & oves ejus gregis diſſipatæ ſunt: ob hancque ipſam cauſam neque in Sabbato Sancto olim Miſſa celebrabatur; quoniam etiam Apoſtoli, quos imitari debemus, iſto biduo in triſtitia & mœrore fuerunt. Prœterquàmquod aliam quoque rationem afferunt Græci (*c*), nempe cùm Miſſam celebrare indicium ſit gaudii, & lætitiæ Chriſtianæ; ideo diebus mœſtitiæ & luctus, quales potiſſimùm ſunt hæ feriæ ſextæ, Patres noſtri Sanctiſſimi Miſſam non celebrandam cenſuerunt; ut honeſta etiam hac ſpirituali conſolatione carentes, Chriſto, quatenus poſſumus, condoleamus; Capiti noſtro compatiamur; ſequamur eum in deſerto amaritudinis & tribulationum. Jure igitur dies iſti expoſtulant, ut hæc clamentur in primis hac in Civitate, quam tot privilegiis ſuper alias innumeras, veluti cœleſtibus prærogativis, cumulare dignatus eſt Dominus, quæ memorialia ſunt ſacratiſſimæ hujus Paſſionis. Quid enim, (ut plurima hujuſmodi omittam) ſibi volunt tot Sanctæ Crucis Sodalitates hìc inſtitutæ, his ipſis diebus maximâ frequentiâ veſpertinis horis huc confluentes (*d*)? Quid tot Oratoria? quid ſacratiſſimum

---

(*a*) De Præſanctificatorum Miſsa egregiè differit Jacobus Goar in *Euchologio Græcorum* in notis ad ejuſdem Officium, necnon Leo Allatius in fine Operis *de Eccleſiæ Orientalis atque Occidentalis perpetua conſenſione*, a Cardinali Bona laudatus in ſuo Rerum Liturgicarum Volumine.

(*b*) In Epiſtola decretali ad Decentium Eugubinum Epiſcopum, quæ prima eſt inter alias ejuſdem Pontificia apud Labbeum, ſed verè ſcripta eſt anno CCCCXVI. ſub finem illius vitæ, ùt Pagius animadvertit.

(*c*) Affert illam Balſamon in Commentariis ad Canonem LII. Synodi Trullanæ his verbis: *Deo Sacrificium peragere, eſt panegyrim agitare; panegyrius autem, ſive feſtivus dies, nihil eſt aliud, quàm gaudium: Cùm ergo nemo poſſit mœrore, & gaudio ſimul affici, ſtatuerunt Patres, ne conficeretur Sacramentum totâ Quadrageſimâ, exceptis Sabbato, Dominica, & Annunciationis Feſto.*

(*d*) Quo tempore dira peſtis per Urbem Mediolanenſem graſſabatur, cogebatque Cives latère in domibus ob metum contrahendi lethalis morbi, juſſerat Sanctus Carolus extrui per compita Sacras Aras, in quibus incruenta Hoſtia Deo litaretur, ne Divini Sacrificii ſolatio & fructu carerent, qui ſuis ædibus incluſi detinebantur. Reſtitutâ poſtmodum, ſummo Dei beneficio, purioris aeris ſalubritate, cenſuit idem Sanctus Antiſtes, accepti tanti muneris memoriam eſſe ſervandam; adeòque anno MDLXXVIII. erigi mandavit marmoreas columnas, in quarum culmine Vexillum Sanctæ Crucis explicaretur. Inſtituit quoque piorum hominum Sodalitia ſub nomine Sanctæ Crucis, qui vergente in Occaſum quolibet die ſtatutas preces publicè ibidem recitarent, atque hoc ſpectaculo reliqui omnes ad pietatem incitarentur. Decrevit etiam, ut ſingulis ſextis feriis ſupplicationes inirent prædicti Sodales ad Metropolitanam Baſilicam, Sermonem de Paſſione Domini e ſuggeſtu audituri. Curam autem horum Sodalium Congregationi Oblatorum Sancti Sepulchri demandavit. Hæc omnia refert Gluſſianus in Vita Sancti Caroli Lib. V. Cap. III. Floret adhuc nobile hoc Inſtitutum, auctis per capita viarum ſanctis hiſce Crucis Inſignibus, quibus ſumma opinio religionis Civium Mediolanenſium apud exteros adventantes in hanc Metropolim conciliatur.

mum illud Sancti Sepulchri Templum, in quo toto anno, præter alia, sextis feriis de Passione Domini Sermo habetur? Quid, inquam, hæc omnia postulant, nisi ut clamemus semper in auribus Mediolanensis populi Christum, & hunc Crucifixum? Jam verò divino etiam munere, & Sanctæ Sedis Apostolicæ benignitate (*a*), septem illas Ecclesias hic habetis, quibus ad Romanarum instar, septem Sanguinis pretiosissimi effusiones, septem itidem Salvatoris nostri in vivifica Passione sua itinera designantur ad diversa loca & Tribunalia; quæ etiam ipsæ jure maximo hoc expostulant. Sed quid de nobilissima hac Ecclesia dicam, in qua tam nobilis thesaurus, tam insigne Dominicæ Crucis & mortis instrumentum existit, Clavus nempe ille felicissimus, qui Filii Dei carnes, venas, & nervos meruit configere? cui Christi sanguine rubricari, divino privilegio contigit? Requireret, dilectissimi, tantus thesaurus, ut in hac Ecclesia dies noctesque toto anno, de tanto mysterio sine intermissione ulla sermo haberetur. Sed tacentibus etiam universis, clamat ex altissimo loco pretiosissimus ille Clavus: Mementote, o Mediolanenses, tanti beneficii; recogitate acerbissimam Christi Passionem; reducite vobis in memoriam atrocissimos illos cruciatus. Alioquin coram Domino inexcusabiles eritis; neque enim adeò vivum & efficax testimonium habentes, & continuò aspicientes, objicere oblivionem ullam poteritis; quin multò graviori supplicio & pœna, isthæc vestra, quàm aliorum, oblivio sit punienda.

Vobis verò, vestris auribus, filii, debentur imprimis hi clamores. Vobis, qui cum ceteris habetis commune, quòd Christiani estis, quòd sub Christo militatis, quòd ei fidem vestram dedistis, quòd illius tenemini sequi vestigia: *Ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est in vobis Crucifixus* (*b*): Vobis, inquam, peculiariùs, in quos tot ipsius Dei confluxerunt singularia beneficia: Vobis, quorum vitam, liberos, opes, fortunas omnes, & domos a tot propinquis & ingruentibus periculis ac malis, novissimè verò a sævissimo pestis contagio tam gratiosè servavit: Vobis, inquam, hæc

(*a*) Singulare hoc Privilegium VII. Stationalium Ecclesiarum ad normam Romanæ Urbis post concessionem Pii PP. IV., qui eas uni tantùm Ecclesiæ affixerat, amplificatum subinde fuit a Gregorio XIII. expeditis brevibus Literis anno Pontificatus sui I. idest MDLXXII. Plures extant Pastorales Epistolæ Sancti Caroli Borromei ad Populum Mediolanensem datæ, ut ad frequenter visitandas dietim assignatas Ecclesias, præsertim verò Adventus & Quadragesimæ tempore, sibique comparandos Indulgentiarum thesauros eumdem incenderet. Leguntur hæ Literæ in *Actis Ecclesiæ Mediolanensis* Parte VII. fol. 1308. editionis Mediolani anni MDXCIX.

(*b*) *Ad Galat. III. v. 1.*

hæc ſunt clamanda; & a nobis, qui Paſtores veſtri ſumus & Patres; qui Abrahæ Patriarchæ Sanctiſſimi exemplo (*a*) vitulum hunc ſaginatum pueris innocentibus & ſimplicibus, quales vos eſſe oportet, tradere debemus: A nobis, inquam, quibus præceptum eſt, *cuſtodire verbum iſtud legitimum nobis, & filiis noſtris uſque in æternum* (*b*).

Clamabimus igitur his omnibus ſextis feriis in poſterum, & inſonabimus auribus veſtris, Chriſti pretioſiſſimum Sanguinem & Paſſionem commemorantes. Sed quid clamores noſtri, Animæ benedictæ, vobis proderunt, niſi èt vos ipſæ in cordis veſtri latibulis ad vos ipſas clametis? niſi hæc ipſa intra vos conferatis? niſi cum Propheta Sanctiſſimo hæc meditantes dicatis: *Secretum meum mibi: Secretum meum mibi* (*c*)? *Minabo* ego, Domine Jeſu Chriſte, hos *greges* meos ad Calvariæ *Montem* (*d*) excelſum; imo ad te ipſum, qui mons es. Fac, obſecro, ex ſpinis illis Crucis tuæ acerbiſſimæ, e medio flammæ caritatis ardentiſſimæ, qua totus conflagraſti, & quo te totum adhuc ardentem conſpicio; fac, inquam, te, ùt olim ſervo tuo Moyſi loquentem, audiant: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi, propter duritiam eorum, qui præſunt operibus: & ſciens dolorem ejus, deſcendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum*, nempe peccatorum, ac dæmonum, *qui præſunt* duriſſimè operariis iniquitatum; *& educam de terra illa* mortis & afflictionis, *in terram bonam & ſpatioſam* (*e*); in Cœlum, inquam, ac felicitatem æternam, ad quam illos creavi; quamque eis hac Cruce, hac morte, hoc ſanguine pretioſiſſimo recuperavi. Amen.



HO.

(*b*) *Geneſ. XVIII. v. 7.*, & Sanctus Ambroſius Libro I. de Abraham Cap. V.
(*b*) *Exodi XII. v.* 24.
(*c*) *Iſaiæ XXIV. v.* 16.
(*d*) *Exodi III. v.* 1.
(*e*) *Ibidem v.* 7. & 8.

HOMILIA C.

IN EVANGELIUM JOANNIS

CAP. IV.

DE SAMARITANA

Habita in Templo Majori Mediolani

Dominica II. Quadragesimæ

ANNO MDLXXXIV. XXVI. FEBRUARII.



INSIGNE Evangelium proponit hodie nobis, dilectissimi filii, Sancta Ecclesia. Nomen ipsum Samaritanæ Mulieris, famosum valde & celebre est, quod & ritu nostro, ac prisco Instituto secundæ huic Dominicæ Quadragesimæ indidit nomen (a); quam ideo *Dominicam de Samaritana* nuncupamus. Longam admodum, plurimisque mysteriis refertam historiam continet Evangelica lectio, quam nunc audivistis. Hanc tamen, multa paucis perstringendo, duobus potissimum capitibus possumus facilè complecti. Primò enim occurrit nobis Dominus Jesus Christus, Dei Filius Salvator noster lassus, defatigatus, siti & fame confectus, ardentissimo æstuans desiderio gratias suas hominibus communicandi, qui summâ curâ ac diligentiâ, divina sua illa arte, jucundas Samaritanæ Mulieri tendit insidias, ut in sua illam retia perducat. Conatur terrenum cor ejusdem in profundo plurium scelerum cœno sepultum, a terra attollere ad Cœlum; a tenebris ad veritatis lucem adducere; a morte in sempiternam vitam revocare. Secundo verò loco, Mulieris illius animum prima fronte, terra caligine dirisque ignorantiæ tenebris involutum aspeximus, saxeum illius a principio & durissimum agnovimus cor, & adeo terreum, ut cœlestia omnia Christi

(a) Quàm vetustum sit in Ecclesia Mediolanensi Institutum recitandi Evangelium *de Samaritana* secundo Quadragesimæ Dominico die, docet Missale Ambrosianum a nongentis ferme annis in Pergamena conscriptum, quod in privata mea Librorum supellectile asservatur.

Christi Domini verba, quæ *spiritus & vita erant* (*a*), ad res humanas detrahere conaretur, & terreno ac carnali sensu interpretari. Paulatim verò, disponente cœlesti artifice Christo, rudem illam terræ massam, adeo expolitam in fine perspeximus, ut ex Samaritana, Christi Domini Apostola evaserit; & quem imprimis *Judæum* (fortè per contemptum) vocaverat, post resipiscendo, *Dominum*, tum *Prophetam*, ac demum *Christum* & ore nominaverit, & corde crediderit; ac ad eam Fidem & salutis portum Conterraneorum suorum quamplurimos attraxerit: jamque hydriæ oblita, gustatâ cœlestis aquæ consolatione divina, ad Civitatem accurrens, instrumentum evaserit præcipuum, ad illius loci hæreticorum conversionem. Hæc breviter totius fuit Evangelicæ narrationis materies. Unum tamen, antequam a litore solvamus, & habenas laxantes, sermonis nostri naviculam in altum ducamus, est vobis, filii, animadvertendum, utilem admodum fore, intelligendis omnibus quæ dicentur, ac eliciendo fructui copiosissimo dispositionem, si iis, quæ tunc gesta fuerunt, & nunc narrabuntur, nos præsentes effecerimus; sicque animos nostros componamus, ac si iis omnibus adfuissemus. Hac enim in historia, singulari quadam ac præcipua ratione Christus Dominus noster non modò voce loquitur aut operibus, ùt aliàs; sed ipsa ejus corporis compositio, ipse ejus aspectus, vultus illius ac totius personæ habitus efficaciam in se continent maximam, suasque, & eas gravissimas, videntur voces emittere. Hæc igitur duo conabimur breviter efficere; ut & Christi præsentia, & illius itidem cum Muliere colloquium, suos nobis fructus largiantur: quos, si animis adfueritis, ùt adestis corporibus, uberrimos percipietis.

Venit Dominus Jesus in Civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, juxta prædium, quod dedit Jacob Joseph filio suo: Erat autem ibi fons Jacob: Jesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem (*b*). Si homo, dilectissimi filii, in eo innocentiæ felici statu, in quo a Domino fuerat creatus, se conservare novisset, nec Serpentis verbis majorem, quàm divinis præceptis, fidem adhibuisset, quàm suaviter & facile, quanta cum jucunditate ac delectatione per salutis suæ viam ambulasset! Verùm ignoravit hoc facere; ignorantiâ tamen, quæ illum nequaquam excusabilem reddidit. Potuisset siquidem Deo obedire, sed noluit; ideoque e loco deliciarum rejectus, in hanc lacrymarum vallem præceps corruit; ubi ei perpetuo esset in

(*a*) *Joann. VI. v. 64.* | (*b*) *Ibidem IV. v. 5. & 6.*

in labore ac dolore vivendum. Noluit Paradisi deliciis perfrui, ubi quatuor illi pulcherrimi fluvii universam terram irrigantes (a), eam pretiosissimis fructibus abundantissimè feracem reddebant; ideo in desertam hanc Mundi terram, humore carentem ac siccam descendere coactus fuit; quam cùm & longo tempore etiam excoluisset, ex ea tamen, fructuum loco, spinas tantùm ac tribulos collegit plerumque. Et meritò profectò, quia *noluit benedictionem, venit ei maledictio* (b): hic omnia plena doloribus, afflictionibus, sudoribus, fame, siti, laboribus, ac ærumnarum & calamitatum mille generibus; adeò ut cum Jeremia Propheta dicere possimus: *Defecit gaudium cordis nostri: versus est in luctum chorus noster: cecidit corona capitis nostri: væ nobis, quia peccavimus* (c): hi scilicet fuere peccati fructus; hæc inobedientiæ & transgressionis præmia. Neque verò hic res tantùm consistit, aut hisce terminis nostra omnis calamitosa pernicies continetur; sed ipsum etiam Dei Filium his omnibus sponte subjici oportuit, & fame ipsum ac siti premi, & laborare, & sudore aspergi, ut nos e tantis malis eriperet. Insipida quodammodo fuissent quæcumque hic nos, licèt gravissima, fuissemus perpessi, nisi suis illa doloribus atque laboribus condire statuisset. Hoc in causa est, cur eum hodie ad fontem Jacob, post longa itinera confecta, dum Vicos & Civitates, Castella & Regiones perlustraret docens & prædicans, instruens & a peccatis deterrens, atque miracula quamplurima tum corporibus tum animabus sanandis faciens, sedentem & ex itinere fatigatum intuemur.

O admirandum spectaculum! O rem inauditam! Admiramini Cœli: Obstupescite creaturæ omnes, considerantes quis hic sit, quem hoc modo præ fatigatione sedentem videtis. Hic est Dei Filius, Deus ipse, Patri æqualis, æternus, omnipotens, incomprehensibilis, quem Cœlum & Cœli Cœlorum capere non possunt, qui cuncta creavit ex nihilo: ipse Cœlorum fortitudo, Angelorum consolatio, Beatorum omnium Spirituum æterna felicitas; ipse omne bonum; ipse Verbum æternum: Et tamen *defatigatus sedet ex itinere*. Petamus, obsecro, ab eo, auditores, omni animi submissione [qua tantum Deum alloqui nos decet, cùm simus *pulvis & cinis* (d)] quid hic ipse faciat, aut unde veniat, aut quò vadat; quod sit opus suum, quid quærat? Sed

(a) Genes. II. v. 10.
(b) Psalm. CVIII. v. 18.
(c) Thren. V. v. 15. & 16.
(d) Genes. XVIII. v. 27.

Sed hoc fortè intelligemus, si historiam Joseph, cui Jacob pater ejus Campum hunc dono dederat, in quo jacebat hic fons, consideraverimus. *Cùm fratres* Joseph *in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem, dixit ad eum Israël: Fratres tui pascunt oves in Sichimis: veni, mittam te ad eos. Quo respondente, præsto sum, ait ei: vade, & vide, si cuncta prospera sint erga fratres tuos, & pecora: & renuncia mihi quid agatur. Missus de valle Hebron* Joseph *venit in Sichem: invênitque eum vir errantem in agro, & interrogavit quid quæreret. At ille respondit: Fratres meos quæro, indica mihi ubi pascant greges* (*a*)? O si liceret dulcissimum animarum nostrarum sponsum, & amantissimum fratrem Dominum Jesum, *in agro* hoc post longam divagationem sedentem lassum interrogare: *quid quæris*, vita mea? quid quæris dulcedo animæ meæ? responderet profectò: *fratres meos quæro;* homines quæro; populum in primis meum quæro. Hi sunt *os ex ossibus meis;* hi *caro de carne mea* (*b*). Adam gravi sopore excitatus cùm Evam ex suâ costa formatam prope se vidisset, hæc protulit verba, quæ profectò multùm aptè Christo Domino competunt; ex cujus latere in Cruce dormientis, Fidelium Ecclesia formata, facta est *os de ossibus ejus, & caro de carne ejus.*

Quæro ergo, inquit Dominus, *fratres meos:* sed ubinam illos invenies? *Pascebant greges suos;* errabant in montibus, innumeris irretiti erroribus, post depravatas concupiscentias suas ambulantes: de quo Propheta ille in Dei persona conquerebatur: *Dispersæ sunt oves meæ, eò quòd non esset pastor: & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt. Erraverunt greges mei in cunctis montibus, & in universo colle excelso: & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat qui requireret, non erat, inquam, qui requireret* (*c*). Hoc itidem alter dolebat: *Grex perditus factus est populus meus: Pastores eorum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus: de monte in collem transierunt, obliti sunt cubilis sui* (*d*). Neque verò hæc, eo dumtaxat tempore quo dicebantur, vera fuisse putetis. Utinam èt nostris hisce temporibus isthæc deflenda non essent! Utinam huic quoque seculo, lamentationes istæ Domini non quadrarent! *Errant* homines post concupiscentias suas, post Mundi pompas, honores, & vanas divitias, post carnis blanditias, ac voluptatum illecebras. *Transeunt de monte in collem: nullum est pratum, quod non pertranseat* eorum libido (*e*). Ubicumque modicum quid fucati & falsi splendoris,

(*a*) *Genes. XXXVII. v. 12. & seqq.*
(*b*) *Ibid. II. v. 23.*
(*c*) *Ezech. XXXIV. v. 5. & 6.*
(*d*) *Jerem. L. v. 6.*
(*e*) *Sapient. II. v. 8.*

doris, seu delectationis aspexerint, eò sese transferunt statim, *obliti cubilis sui*, summi nempe & æterni Dei, in quo illis erat quies, & perpetua felicitas habenda; qui futurus erat illis æternum in cœlesti beatitudine *cubile*; ad cujus fruitionem nobilissima hæc hominis Anima fuerat creata de nihilo. O detestanda, o maledicta oblivio, cunctorum causa malorum! Tu Infernum imples, tu Cœli sedes fraudas, tu homines miserrimos in omnia calamitatum genera præcipites trahis. Et quid oblivione hac stultius, quid detestabilius, quid homine indignius? Est in perpetuis & continuis laboribus homo constitutus: hanc ob peccatum maledictionem accepit, ut *in sudore vultus sui vescatur pane suo* (a); & quietis obliviscitur? & æterni, felicissimi, suavissimi, ac jucundissimi *cubilis sui*, inter intolerabiles lassitudines atque labores, non reminiscitur? Stulti profectò sunt homines, quæ illis noxia sunt, tantummodo sectantes; quæ verò quietem ac jucunditatem afferre possunt, detestantes ac refugientes.

Cetera, quæcumque creata sunt, ad suum semper locum tendunt; nec, donec eò perveniant, consistunt. Sic gravia semper descendunt ad centrum, levia feruntur in altum. Solus homo, creaturarum omnium princeps, naturæ totius ornamentum & decus, suæ ipsius naturæ inimicus atque contrarius, suum refugit locum, centrum suum, finem suum Deum; extra quem tamen quiescere nusquam potest; & *obliviscitur cubilis sui*, dicente tamen Augustino Sanctissimo: *Domine fecisti nos ad te; & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te* (b).

Quærit ergo sic lassus, & dolens Dominus Jesus *fratres suos, sedens supra fontem*. Sed rursus interrogare te libet, dulcissime mi Domine, *expectatio nostra, Salvator noster in tempore tribulationis: Quare quasi colonus fuisti in terra, & quasi viator declinans ad manendum? quare factus es velut vir vagus, ut fortis qui non potest salvare* (c)? *Tu es Dominus universorum* (d): *Tui sunt Cœli & terra, orbem terræ, & plenitudinem ejus tu fundasti* (e); Cur ergo quasi nullas habens sedes vagaris? Tu terræ das, ut temporibus suis fructus producat; ut *educamus nos de ea panem, & vinum, quod lætificet cor hominis* (f): *Tu lapidibus dicere* potuisses, *ut panes fierent* (g), & protinus nutibus tuis natura omnis obtemperasset: Cur ergo fame preme-

(a) *Genes. III. v. 19.*
(b) Libr. I. Confess. in princip.
(c) *Jerem. XIV. v. 8. & 9.*
(d) *II. Macab. XIV. v. 35.*
(e) *Psalm. LXXXVIII. v. 12.*
(f) *Psalm. CIII. v. 15.*
(g) *Matth. IV. v. 3.*

meris? cur sitim ardentissimam pateris? Annon tu ille es, de quo Propheta prædixerat: *Deus sempiternus, qui creavit terminos terræ: non deficiet, neque laborabit, nec est investigatio Sapientiæ ejus. Qui dat lasso virtutem: & his, qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat? Deficient*, Domine, *pueri & laborant, & juvenes in infirmitate cadunt (a):* Tu verò es Deus fortis, tu Dominus exercituum, tu fortitudo nostra; tu vires omnibus tribuis, tu virtutis tuæ infinitæ verbo cuncta sustentas: Cur ergo *desatigatus* & lassus *ex itinere sic sedes supra fontem?* Et quî potero ego in vasta hac Mundi peregrinatione non defatigari, cùm te fessum ac lassum videam; quem, si voluisses, Angeli ipsi *portassent in manibus suis: ne fortè offenderes ad lapidem pedem tuum (b)?* Quare ergo tanta pateris? Sed audite dilectissimi, & cum rubore ac lacrymis attendite Dominum respondentem: Transgressiones vestræ, superbiæ vestræ, peccata vestra hæc mihi protulerunt. *Laborare fecistis* me *in sermonibus vestris (c): servire me fecistis in peccatis vestris, præbuistis mihi laborem in iniquitatibus vestris (d).* Vobis isti labores, hæ lassitudines, hæc fames, hæc sitis debebantur, non mihi, qui non peccavi, qui Dei non sum mandata transgressus. *Quæ non rapui, nunc exolvo (e);* sed quæ vos rapuistis. Rapuistis vos honorem Deo; ego verò pro vobis nunc pœnas luo; & de manu mea, perinde ac si ipse raptor extitissem, exactissimè nunc omnia repetuntur.

Magnum profectò spectaculum est, Christi ad puteum sedentis, ùt audistis, aspectus; nec siccis oculis hoc videri potest. Sed quid, si ingentem animi dolorem, quo premebatur, quid, si intrinsecas cordis illius liceret cogitationes intueri? Defatigatus quidem erat corpore, sed *sedebat;* at non sedebat quidem animo: imo verò maximè excruciabatur, ac in mille quodammodo partes discerpebatur. Lamentabatur hinc de hominum ingratitudine; de Judaici populi duritie & obstinatione; de infinitis, & enormibus ac quotidianis Mundi peccatis: Altera verò ex parte salvare venerat genus humanum; nil æquè, ac salutem universorum desiderabat; & *quomodo coarctabatur, usque dum* tantum opus *perficeret (f)?* denique anxius & solicitus Samaritanam mulierem expectabat; eam ut sitientem potaret, arentem irrigaret, sterilem fœcundaret.

Ideoque *sedebat sic supra fontem*. Et quomodo *sic?* Nempe, non ùt Deus, sed ùt purus homo; ùt infirmus, ùt debilis, ùt per omnia

(a) *Isaiæ XL. v. 28. & seqq.*
(b) *Psalm. XC. v. 12.*
(c) *Malach. II. v. 17.*
(d) *Isaiæ XLIII. v. 24.*
(e) *Psalm. LXVIII. v. 5.*
(f) *Lucæ XII. v. 50.*

nia *nostri similis effectus* (a); *sic* super terram humilis & pauper; *sic* tamquam lassus tum ex itinere, tum ex Solis ardentibus radiis, auctâ ob æstum defatigatione; *erat* enim *hora sexta* (b). *Sic* (inquit Augustinus Sanctissimus Doctor) non sine ingenti mysterio; suî enim miserrimum statum in Cruce futurum, vivis quibusdam veluti coloribus exprimebat. Lassus hic erat ex itinere; lassus postea futurus ob Crucis gravissimæ bajulationem: *Sedebat* in terra; sessurus supra duram patibuli cathedram, de qua erat Patri dicturus: *Tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam* (c). *Supra fontem sedebat*, qui educturus erat ex apertis sacratissimi corporis sui plagis copiosissimos fontes; de quibus Isaias inquit: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* (d). *Horâ sextâ*, qua ipse erat Cruci affigendus: derelictus ab Apostolis suis, *qui abierant in Civitatem, ut cibos emerent* (e); prodendus postea ab Apostolo suo, ab altero negandus, a ceteris omnibus derelinquendus; ab ipso etiam Deo deserendus, ut dicere posset: *Deus, Deus meus: quare me dereliquisti* (f)? *Sitiens* demum, sitim ardentissimam zeli salutis animarum postea passurus, ac dicturus *Sitio* (g); nec tamen nisi fel & acetum, ac vinum myrrhatum, hoc est amaritudinem peccatorum, a plurimis recepturus. *Sic*, sic ergo, vita mea, *sedebas*; & ego labores horreo: sic angebaris; & ego consolationes quæro: sic esuriebas & sitiebas; & mihi est durissimum jejunium; mihi, inquam, qui hæc millies commerui, mihi, pro quo tu patiebaris. Appone, obsecro, Domine, deliciis his meis labores tuos; superbiæ meæ humilitate tua medère; intemperantiam meam ac gulam, sanctissima fame tua ac siti mortifica; ut tibi, quamdiu vixero, compatiar, quò tecum etiam valeam conglorificari (h).

SECUNDA PARS.

[Pauperes Mendicantes a vobis eleemosynam petent ad Templi ostium. *Si sciretis*, o Mediolanenses, *donum Dei*; quantas habeat vires eleemosynæ virtus, quàm magnum sit *Dei donum*, quòd donare ei possitis, & *quis est, qui dicit* vobis: Date mihi eleemosynam; certè etiam victui vestro & corpori necessaria subtrahentes, in eum munera liberaliter conferretis, ac in pauperum sinum substan-

(a) Isaiæ XIV. v. 10.
(b) Joann. IV. v. 6.
(c) Psalm. CXXXVIII. v. 2.
(d) Cap. XII. v. 3.
(e) Joann. IV. v. 8.
(f) Psalm. XXI. v. 2.
(g) Joann. XIX. v. 28.
(h) Ad Rom. VIII. v. 17.

ſtantias veſtras effunderetis: Datis enim ipſi Chriſto, cùm pauperi datis. Annon ampliſſimum hoſpitalitatis ſuæ fructum Abraham recepit, cùm tres illos homines excipere ſe putans, hoſpitio Deum ipſum excepit (*a*)? Sic Gregorius Sanctiſſimus Pontifex, nonne inter pauperes Chriſtum Dominum habuit menſæ accumbentem? Sed quomodocumque id contingat, ſemper eſt in pauperibus Chriſtus, qui dicit: *quod uni ex minimis iſtis feciſtis, mihi feciſtis* (*b*)].

Venit mulier de Samaria haurire aquam (*c*). Et hoc ipſum jamdiu expectabat Dominus Jeſus, qui ut te, o mulier, alloqueretur, *defatigatus ex itinere* hìc *ſedebat*. Dixit ei Jeſus: *Da mihi bibere*. Videte Domini artes: præparare vult mulierem, & occaſionem dat ei ipſum alloquendi, potum petens. Sed terrena hæc tota, *non percipit ea, quæ Dei ſunt* (*d*). De aqua tantùm vulgari intelligit; & hanc eamdem, quam natura omnibus etiam pecudibus voluit eſſe communem, Deo omnium Domino denegare non erubeſcit; ſumpta vèl levi occaſione, quòd Samaritana ipſa cùm eſſet, Judæis non liceret couti Samaritanis. Hanc peccatores Mundani imitantur, quærentes *ſemper excuſationes in peccatis* (*e*); quos, quidquid vèl minimum ſe ſe eis offerat, a recto ſtatim virtutis tramite facit declinare. *Dixit ergo* Domino *mulier illa Samaritana: Quomodo tu Judæus cùm ſis, bibere a me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana* (*f*)? Ut verò hujus fundamentum excuſationis agnoſcatis cariſſimi, ſcire debetis, quòd propter peccata populi Iſraël, ſcilicet decem Tribuum, quæ colebant Idola, ducti ſunt Samaritani in captivitatem a Rege Aſſyriorum in Babylonem (*g*); & ne Samaria abſque habitatoribus remaneret, juſſit ut gentes, ex diverſis locis adductæ ibidem habitarent; cùmque ibi eſſent, volens Dominus oſtendere, quòd non propter imbecillitatem ſuæ virtutis, ſed propter Judæorum malitiam tradidiſſet eos, immiſit in illas gentes leones, & ſævas beſtias, quæ eaſdem lædebant (*h*). Hæc ubi nunciata ſunt Regi Aſſyriorum, habito conſilio, quòd hoc ideo eis contingeret, quia non ſervabant legitima Dei terræ, miſit ad eos Sacerdotem quemdam ex Judæis, ut traderet ipſis Dei legem ſecundùm legem Moyſi (*i*): Unde èt iſti, licèt non eſſent ex populo Judæorum, ſervabant tamen legem Moyſi; ſed cum vero Deo colebant Idola, nec Prophetis attendebant, & vocabant ſe Samaritanos a Civitate

(*a*) Sanctus Ambroſius Libr. I. de Abraham Cap. V.
(*b*) *Matth. XXV. v.* 40.
(*c*) *Joann. IV. v.* 7.
(*d*) *I. ad Cor. II. v.* 14.
(*e*) *Pſalm. CXL. v.* 4.
(*f*) *Joann. IV. v.* 9.
(*g*) *IV. Reg. XVII. v.* 6.
(*h*) *Ibidem v.* 25.
(*i*) *Ibidem v.* 27.

vitate Samariæ, quæ erat sita in monte Somer. Revertentibus ergo Judæis ex captivitate in Jerusalem, semper iisdem infesti fuerunt & contrarii; &, sicut dicitur in Esdra (a), impediebant eos ædificare Templum, & Civitatem: Quamvis autem Judæi vitarent omnes alias nationes, peculiariter tamen effugiebant istos, nec in aliquo coutebantur eis; & hoc est, quod dicit hæc Mulier: *Non enim coutuntur Judæi Samaritanis* (b). Sed falleris o mulier. Cesset omnis hæc tua excusatio; nam & Samaritanus est (hoc est Custos), qui a te aquam petit; & eidem sunt infensi Judæi; quibus ei injuriæ loco dicentibus: *Samaritanus es tu, & Dæmonium habes* (c), primum non negat; sed ad secundum tantùm respondet: *ego Dæmonium non habeo* (d). Hic, qui a te aquam petit, Samaritanus ille est benignissimus, qui *iter faciens venit secùs illum*, qui descendens ab Jerusalem in Jericho inciderat in latrones: *& videns eum*, quem ceteri prætererant, *misericordiâ motus est. Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum, & vinum: & imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, & curam ejus egit. Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe: & quodcumque supererogaveris, ego cùm rediero reddam tibi* (e). Quòd si hæc moraliter quidem vera esse o mulier fateâre, ipsum autem ex Judæa oriundum non posse a te potum petere, eò quòd lege cautum esset Judæis, numquam vobiscum fœdus ullum inire (f); scito tamen, quoniam *Filius hominis, est dominus etiam Sabbati* (g): unde tamquam Dominus Legis poterat uti, & non uti lege, & observantiis legalibus, prout sibi expediens videbatur; & quia imminebat tempus, quo Gentes vocarentur ad Fidem, ipsis Gentibus coutebatur.

Videns mulieris hujus cæcitatem Dominus & miserans, volensque jam eam cœlesti suo lumini recipiendo disponere, respondit, & dixit: *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi*: Da mihi bibere: *tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam* (h). Si scires, inquit, *donum Dei*, nempe Dei Filium, quem Pater dono tradidit Mundo, & tibi: *Si scires* Spiritus Sancti gratiam, quam tibi largiturus accessi; *& quis est, qui dicit tibi: da mihi bibere*; videlicet Dei Filius factus pro te homo! Quàm valida sunt hæc jacula, quibus non mulieris cor, sed adamantinum facillimè comminuatur! Jam istis igniculis totam ejus animam disponit, caritate comburendam.

(a) Libr. I. Cap. IV. v. 4.
(b) Joann. IV. v. 9.
(c) Ibidem VIII. v. 48.
(d) Ibidem v. 49.
(e) Luca X. v. 33. & seqq.
(f) Deuteron. VII. v. 2.
(g) Matth. XII. v. 8.
(h) Joann. IV. v. 10.

dam. *Forsitan petisses ab eo:* Sed non subdit: forsitan dedisset tibi aquam vivam; de divina quippe voluntate non est dubitandum, quæ nobis subvenire est paratissima; sed de nostra, an velimus ultro oblata acceptare, an velimus petere. Est siquidem magna dispositionis pars, ipsa quæ fit ex corde petitio, a deliberata proveniens animi electione. A nobis pendent tantæ divitiæ: in nobis est, divinâ gratiâ posse repleri. *Apposuit nobis* enim Altissimus *aquam, & ignem;* mortem & vitam, bonum & malum; *ad quodcumque volucrimus, manum* ut possimus *porrigere* (*a*). Proh dolor! Et in hujusmodi electione ex nostra parte dubitationi locus relinquitur; ut dicendum sit: *forsitan petisses ab eo?* Quis in re tam manifesta dubitare possit? Annon naturâ nostrâ bonum appetimus, & vitam ac æternam felicitatem? Attamen non dico ego *forsitan;* sed procul dubio hæc plerique frequentissimè rejiciunt; ea verò apprehendunt, quæ pejora esse cognoverint: depravato siquidem per peccatum animi gustu, amara nobis dulcescunt; quæ verò suapte natura sunt dulcia, amarescunt.

Nondum penitus mentis oculos aperuit Samaritana; sed paululum dumtaxat luminis recepit; & quem priùs Judæum dixerat, nunc eidem respondens, sic eum alloquitur: *Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est: Unde ergo habes aquam vivam? Numquid tu major es patre nostro Jacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filii ejus, & pecora ejus* (*b*)? *Animalis* certè spiritus, filii, *non percipiebat quæ Dei sunt* (*c*); videte quomodo quæcumque de spiritualibus donis a Domino dicebantur, Samaritana mulier de aqua communi intelligebat. Hæc fuit semper maledicta carnalis prudentiæ consuetudo, ut suis inanibus infirmisque rationibus divinas postponat exhortationes. Hinc est, quòd multi filii hujus seculi, præcipiente Sancta Matre Ecclesia Quadragesimale Jejunium, statim objiciunt: & quî poterimus nos tot dies jejunare absque manifesto valetudinis detrimento? Si eleemosynas, ùt suadent Pastores, erogare voluerimus, filias nostras quomodo nuptui tradcmus? Nonne Liberos nostros mendicos relinquere cogemur? Et quæ est isthæc felicitas, quæ nobis Christianis quotidie promittitur, cùm nil nisi ærumnas, jejunia, cruciatus, dolores, macerationes pati debeamus? Ita verò difficultates semper affert in medium isthæc stulta carnis prudentia.

Respondit Jesus, & dixit ei: Omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam (*d*).

Jam

(*a*) *Ecclesiastici XV.v.17.* | (*b*) *Joan.IV.v.11.& 12.* | (*c*) *I.ad Cor.II.v.14.* | (*d*) *Joan.IV.v.13.& 14.*

Jam incipit non in parabolis loqui Dominus, sed clariùs, quæ hactenus dixit, exprimere; perinde ac si dicat: Tu mulier hodie hanc aquam hauris & bibis, cras etiam sities, & accedes haurire; aquam autem ego tibi sum daturus, quam semel cùm biberis, omnis in te mundanarum rerum sitis extinguetur. Jam gratiam suam, aquæ similitudine, pulchrè inchoat describere Dominus: hæc aqua viva est, quæ veram homini satietatem affert usque adeò, ut in eo, quem inhabitaverit, *fons fiat aquæ salientis in vitam æternam*. Et profectò si aquæ effectus & conditiones intueamur, aqua procul dubio, & quidem præstantissima, est Divina gratia. Aqua sordes abluit; & quid a teterrimis peccatorum sordibus Animam abluit, nisi Gratia? Aqua terram ex se aridam irrigatione sua fœcundat, ex eaque flores ac fructus optatos spicasque educit. O homo, qui *terra* es *sine aqua* (a); quem bonorum operum fructum daret anima tua, nisi eam fertilem redderet Gratia? Aqua refrigerat: Et ardentissimum illum peccati fomitem, quem, miserâ in nos derivatâ hæreditate, intra nos ipsos retinemus; concupiscentiæ ardorem, qui perpetuam carnis adversùs spiritum pugnam, & bene operandi difficultatem parit, quid refrigerat, nisi Gratia? Verè aqua viva hæc est; nam sicut, quamdiu aqua perenni cursu delabens a loco, unde profluere cœpit, non separatur, viva est; si verò interrupto itinere, in cisterna aliqua aut fovea conquiescat, mortua est: sic Spiritus Sancti dona, nisi a principio suo sejungantur, aqua viva sunt in nobis; ipse enim Spiritus se cum suis donis nobis communicat: *Caritas* siquidem *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis* (b). Hunc, quamdiu in se retinet homo, ejus donis repletus aquâ vivâ satiatur: Quòd si dona ab authore disjungat; si peccato se ipsum coinquinans, Fidem, quæ Dei donum est, a fonte suo Sancto Spiritu, quem a se rejicit, dividat, jam deficientibus bonis operibus, aqua mortua, & non viva efficitur Fides, & reliqua itidem, si quæ ei inerant, hujusmodi dona. Felix qui hanc aquam vivam habet! Is enim verè vivit vitâ, multò præstantiore quàm ceteri; dat enim hæc aqua ei quoddam vitæ genus nobilissimum & spirituale.

Examen de te institue, o Christiane, an vita hac vivas; vide, num quædam vitæ hujusmodi in te existant saltem indicia, quandoquidem nulla de hoc potest a nobis haberi certitudo: Illa autem sunt, si vel leves etiam puncturas venialium peccatorum sentias; si scrupulum tibi injiciant, quæ aliis negligenda videntur; qui enim mor-

(a) Psalm. CXLII. v. 6. | (b) Ad Roman. V. v. 5.

mortui sunt, ii non modò leves hos aculeos nullatenus sentiunt, sed nec si gravissima & lethalia eis vulnera infligantur. Quàm infaustum est indicium, tumentem peccati plagam non exhorrescere! negligere, quæ tantam animæ afferunt perniciem! Qui sensum hunc amisere, mortui sunt profectò. At qui gratià divinà replentur, hi non modò vivunt; sed *fit* in eis *fons aquæ* vivæ *salientis in vitam æternam*. Et quàm altè saliat, videte. Modicum est & levissimum, *calicem aquæ frigidæ* pauperi dare (*a*); *duo minuta in gazophilacio* deponere (*b*); jejunare, carnem affligere; quidquid demum humanis viribus valemus, elicere: At si levibus his addatur hic gratiæ fons, omnia statim adeo ejus virtute attolluntur, ut præmio digna reddantur, & quidem non vulgari ac fluxo, sed æterno. Quid plura? Etiam opera naturalia, ùt comedere, bibere, dormire, si gratià Dei animam vivificante, atque ex obedientia fiant, sique ad honorem & gloriam Creatoris dirigantur, etiam ipsa diligentibus Deum, in meritum cedunt, suoque præmio non carebunt. O miser peccator, vide, quot te expolias donis & thesauris! Quàm facilè posses etiam dormiens & comedens amplissimas tibi opes cumulare, & negligis!

Salit hæc aqua *in vitam æternam*; hominem enim a terra erigens, elevat in Cœlum; & adeo illius cogitationes extollit, ut, licèt in terra positus, & in carne vivens, divina tantùm & cœlestia cogitet, illa appetat, illis frui desideret & quærat, mundana cuncta ac terrena despiciat, negligat, fastidiat; sola gustet spiritualia, Sacramenta, orationes, jejunia; quæ verò his adversantur, seu animum distrahunt, oderit & detestetur.

Hæc aqua viva est. O homo, *quid* ergo *nunc tibi in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam* (*c*)? Quid Mundi pompas, vanos honores, carnis blanditias, quid tabernas quæris? Non hæc, videlicet merces, auri & argenti copia, non contractus lucrum abundè ferentes, non vana solatia, non campi, non domus, non apothecæ animam satiant. Quis stultum non existimaret eum, qui leonem fœno, equum verò carnibus pascere vellet; cùm utriusque naturæ non proprius sit, qui apponitur, cibus? O miseri; num putatis, equos esse aut leones, animas vestras, qui fœno aut carnibus eas satiari posse existimatis? *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, quasi flos agri* (*d*): *Cisternæ sunt dissipatæ*, de quibus meritò conqueritur Dominus,

(*a*) *Matth. X. v.* 42.
(*b*) *Marci XII. v.* 42. *&* 43.
(*c*) *Jerem. II. v.* 18.
(*d*) *Isaiæ XL. v.* 6.

minus, creaturas etiam ipsas hujus tantæ stoliditatis vestræ advocans in testes, dum dicit: *Obstupescite Cœli, & portæ ejus desolamini vehementer, Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas* (a). O infelicissimi homines! Quotidie experientiâ discitis, esse ista verissima; nihil habere soliditatis cuncta hæc, quæ ita diligitis, nec aliud esse, quàm *cisternas dissipatas:* Quotidie Mundi dolos videtis & fraudes; quotidie vanam Mundanorum spem delusam, repentinâ morte ingruente, cognoscitis; amissas opes, vitam malè consumptam, animas damnationi æternæ subjectas deploratis: Et adhuc aquam vivam derelinquitis, adhuc vitam spiritualem refugitis? Hæc, hæc sitim satiat: Hæc mundanarum omnium rerum desideria penitus tollit: Hæc sancta quadam Dei siti tantummodo replet, negligi facit aurum & argentum, opes conculcari, denique omnia contemni, quæ a ceteris tantâ plerumque cum animi corporisque jacturâ procurantur.

Samaritana adhuc perfectiùs oculos cœpit aperire; & quæ depravatum habuerat hactenus palatum, jam convalescere incipit, & gustare hanc aquam vivam, eamque desiderare, dicens: *Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam: neque veniam huc haurire* (b); nec ad puteum hunc ampliùs accedam.

Sed jam horæ spatium elapsum est. Disposuit ergo (ut breviter perstringam omnia) illam Dominus, efficiens in primis, ut peccatum suum agnosceret, ac fornicationis statum, & animæ ægritudinem. Proinde illa sibi dici audiens ab eo, quem culpam suam scire non posse arbitrabatur, Christum confestim prophetam credidit, ac de spiritualibus rebus sermonem secum iniit, de orandi modo ac ritu diligenter ab ipso perquirens. Tamdem ille se mulieri apertè manifestare dignatus est Messiam ac Dominum, dicens: *Ego sum, qui loquor tecum* (c). O quale privilegium impudicæ hactenus huic mulieri a Domino hodie tribuitur! Nulli umquam adeo manifestè se Messiam esse declaravit, sicut Samaritanæ. Ipsa verò statim relictâ hydriâ, ad Civitatem accurrit: Vocat omnes, ut veniant, & videant: Narrat magnalia Dei, & quæ gustata novit esse dulcissima, vult quoque ab aliis degustari. Novit jam ipsa, quanti facienda sit hæc aqua; ideoque de ea bibit, relictâ mundanâ. Facta est ipsa mulier fons aquæ salientis in vitam æternam; unde ceteri Samaritani bibe-

(a) Jerem. II. v. 12. & 13.
(b) Joan. IV. v. 15.
(c) Ibidem v. 26.

biberunt; & quæ in illam usque diem fortè dæmonis fuerat instrumentum ad necandas animas, evasit hodie Patriæ suæ Apostola, & Christi instrumentum ad salvandos quamplures. Sic qui spiritualia gustare incipiunt, non possunt alios ad eadem, viis omnibus, non pertrahere.

Est profectò Evangelium hoc mysteriis plenum. At inter cetera plurima, illud admiratione dignissimum videtur, quàm nempe fuerit solicitus Dominus pro anima una ignobilis ac vilis mulierculæ! Obliviscitur Christus sitis suæ ac famis; huic tantùm potandæ, pascendæ, lucrandæ, ditandæ intentus. O anima! Et tu te ipsam tam parvì facies, quando hodie hanc tantì fecit Dei Filius? O quantùm omnes tenemur, animarum nostrarum nosse dignitatem; & quilibet non modo suæ, sed èt aliorum animabus deservire! Devoti Operarii Doctrinæ Christianæ magnì facite vestros labores: Si vèl unicam solùm puellam diebus festis lucrati fueritis, adducentes eam ad Ecclesias, atque a vanis Mundi spectaculis ac pompis removentes, plurimum vos lucratos esse intelligite. Erat Christus totum Mundum redempturus: tanto ac tam immenso operi tam parvum trium annorum, quos in prædicatione transegit, tempus designavit: Et tamen hujus tam exigui temporis tantam huic soli mulierculæ partem attribuit. Sit hoc vobis, acutissimus stimulus. Est quidem Sacerdotum in primis munus docere: At vos etiam eorum estis cooperatores, in Doctrina Christiana pueris ac rudibus explicanda. Ad hoc tam multis ac copiosis Indulgentiarum donis invitamini. Quis ergo Sanctissimam hanc Sodalitatem hodie non ingrediatur? Num, quòd dives quis aut nobilis sit; rem adeo Divinæ Majestati gratam dedignabitur aggredi? & non potius, quò ceteris nobilitate aut opibus præstat, Christo etiam æterno Regi similior esse contendet?

Dilectissimi filii relinquamus tamdem èt nos cum Samaritana has hydrias, mundanos scilicet affectus, & Domino hodie orantes dicamus: *Domine da* nobis *hanc aquam* gratiæ tuæ: da nobis te ipsum: fac agnoscamus, te solo nos posse satiari, in te solo ardentissimam animæ nostræ sitim extingui; ut non accedamus ampliùs ad puteos, imo ad cisternas dissipatas & fœtidas hujus Mundi, ac terrenarum rerum: sed *fiat in* nobis *fons aquæ salientis in vitam æternam*. Amen.

HOMILIA CI.

DE PASSIONE DOMINI

Habita in Baſilica Majori Mediolani

Feria VI. poſt Dominicam II. Quadrageſimæ

ANNO MDLXXXIV. 11. MARTII.



A DEO profunda eſt, Animæ dilectiſſimæ, abyſſus vivificæ Paſſionis Redemptoris & Salvatoris noſtri Domini Jeſu Chriſti, adeò vaſtum pelagus, ut multis profectò diebus debeamus nos & vos pariter, hæc omnia meditando & loquendo perſequi, cùm ſolemnis ille tantùm dies ſextæ feriæ in Paraſceve, tractandæ ejuſdem hiſtoriæ juxta Evangelicam deſcriptionem, procul dubio ſufficere nequaquam poſſit. Quocirca tanta hæc rerum amplitudo ac veluti immenſitas non uno aut altero, aut tribus etiam & quatuor poteſt comprehendi ſermonibus; ſed quæ in univerſum ſaltem ad tantam Paſſionem ſpectant, per hoſce dies & nos ex hoc loco percurrere, & vos in abdito cordium veſtrorum cubiculo expedit meditari. Tempus quidem hoc ſacroſancti hujus quadrageſimalis jejunii tam propriè cum ſacratiſſimis his myſteriis congruit, ac reciprocam quamdam ſimilitudinem gerit, ut verè atque appoſitè dixerit Doctor quidam ſacer, Quadrageſimam ad Chriſti Paſſionem rite in Paraſceve celebrandam nos præparare; & ad ſacroſancta hæc jejunia commodè, ùt par eſt, tranſigenda, nulla re magis, quàm Paſſionis ejuſdem jugi meditatione atque colloquiis, animas Fidelium diſponi. Ac primum quidem congruè admodum medicinæ exemplo oſtenditur: Sicuti enim prudentes Medici levioribus purgationibus ac potionibus, cibi parcitate, & venarum inciſione acriorem medicinam præveniunt, hiſque veluti præambulis auxiliis ad illius ſumptionem humana infirmiora corpora diſponunt; ſic potiſſima cùm ſit atque efficaciſſima morborum omnium noſtrorum, & animæ infirmitatum medicina, Chriſti Domini

ni nostri Passio, quadraginta hi dies ad eamdem, spirituali ac salutari jejuniorum sobrietate, & carnis mortificatione, veluti venæ incisione, nos instruunt: Quæ omnia etiam, uti saluberrimæ potiones animas nostras noxiis ac perniciosis humoribus purgant. Hoc verò inter cetera maximè efficit Dei verbum, ac spirituales sermones; unde idem met Dominus inquit Discipulis suis: *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis* (*a*). Sed purgandis cordibus maximè proderunt tacitæ illæ voces, quas sub silentio e Cruce ad animas nostras, qui in ea pro nobis est confixus, emittet; illæ, inquam, voces, quæ cum sanguine & aqua e latere ipsius decurrentes, abluendi atque abstergendi præcipuam vim habent; illæ demum cruentæ & ignitæ voces, ex flamma caritatis, qua cor ejus ardebat, provenientes. Nec absque ingenti mysterio præcipiebat Dominus filiis Israël in hæc verba, de agni mactatione & esu loquens: *Juxta quem ritum* (*Decima* scilicet, ùt supra dictum fuerat, *die mensis hujus*) *tolletis èt hædum. Et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus: immolabitque eum universa multitudo filiorum Israël ad vesperam* (*b*). Ut quid verò tamdiu ante tollendus erat hædus, tanto tempore servandus? videlicet, ut dum ille præsto esset, causa quoque cur id facerent, corda eorum solicitaret; ne essent immemores, vel imparati, quia transeundum erat; cùm ille tot ante diebus de profectione paranda eos admoneret: Quoties enim ille balatum emittebat, toties quasi tubæ sonitu castrorum acies ad proximè ineundum iter excitabat. Quatuor igitur diebus servandus erat domi agnus, vel hædus, immolandus in Paschate; ne perfunctoria esset beneficii redemptionis memoria; & ut jam tunc primùm certò scirent & crederent, se post triduum redimendos. Ac quidem *hæc omnia in figura contingebant illis* (*c*), quæ reipsa postmodum in vero agno Christo acciderunt; *qui mense primo, decima die mensis*, quo secundùm legem Agnus in domos Judæorum tollebatur, intravit in Sanctam Civitatem Jerusalem, Turbis deducentibus; & quamdiu item secundùm legem servatus est, tamdiu èt ipse circa Civitatem eamdem, & circa Templum moram duxit, idest usque ad quartam decimam diem mensis ejusdem, sanctæ Scripturæ cibum ruminans, & interim ad vitæ æternæ pascua suos Auditores jugi quodam balatu invitans. Mysticè verò hoc eodem temporis interposito spatio, quàm æquum sit mone-

(*a*) *Joann. XV. v. 3.*
(*b*) *Exod. XII. v. 5. & 6.*
(*c*) *I. ad Corinth. X. v. 11.*

monemur, nos per hos paucos dies Agni hujus immaculati in mentibus nostris voces audire, ac sacrosanctam ejus immolationem prævenire, cum in animarum nostrarum penetralibus custodientes, eique attentas aures præbentes, ut ad multò majoris beneficii debitam recordationem & gratitudinem accendamur.

Verùm èt hæc ipsa meditatio atque memoria non minus, ùt diximus, ad Jejunii hujus ac pœnitentiæ solemnis fructuosum nos adjuvat adimplementum; hac enim de causa, Ambrosiana nostra Ecclesia sub hujus temporis initium, in sacris Officiis Exodi librum cœpit filiis suis perlegere, ubi narratur, Moysen duxisse gregem ad interiora deserti; & ubi patres jubentur docere filios suos ac posteros beneficium liberationis ex Ægypto: Tum librum Levitici, & Numerorum, in quibus quamplura continentur, ad Crucis Christi Mysterium prænunciandum singulari quadam ratione spectantia. Quid enim majorem cunctis nostris operibus & opem tribuit, & efficaciam, quàm Christi Domini Sanguis? Imo sine hoc quidquid nos peragere, aut pati contingeret, meriti parum aut nihil apud Dominum consequeretur. Quin etiam hæc ipsa dolorum Filii Dei ac pœnarum recordatio, dulcia efficit & suavissima, quæcumque carni nostræ ac sensui amariora videntur atque duriora; idque multò majori præstantiâ, quàm lignum illud, quod in aquas amaras immissum (*a*), eas dulcissimas reddidit. Demum est vobis veluti acutissimus stimulus, ad hæc omnia, & multò asperiora, æquissimo animo toleranda. Quis enim caput suum Christum spinis coronatum, felle & aceto potatum, tam multa & varia pati cùm videat, non libenter èt ipse ad modicum tempus aliquid sustineat, non jejunet, non carnem suam edomare contendat? Dicenti ad Uriam Davidi: *Numquid non de via venisti? quare non descendisti in domum tuam?* Respondit Urias: *Arca Dei & Israël & Juda habitant in papilionibus, & dominus meus Joab, & servi Domini mei super faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam, ut comedam & bibam, & dormiam cum Uxore mea? Per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc* (*b*). Ipse quoque Rex David ad Nathan Prophetam dixit: *Videsne quòd ego habitem in domo cedrina, & Arca Dei posita sit in medio pellium* (*c*)? Unde & alibi: *Si dedero*, inquit, *somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem: Et requiem temporibus meis: donec inveniam locum Domino, Tabernaculum*

Deo

(*a*) *Exodi XV. v. 25.*
(*b*) *II. Reg. XI. v. 10. & seqq.*
(*c*) *Ibidem VII. v. 2.*

Deo Jacob (*a*). Qui ergo fieri poterit, ut vos a me audientes, Christum Dominum pro nobis esuriisse, sitisse, mortuum esse inter latrones confixum, toto corpore laceratum, non dicatis: Dominus noster tanta pertulit, & nobis non erit super mel dulcius jejunium istud? Non patiemur èt nos aliquid pro ipso libentissimè? Non ausa est Rebecca, Isaac peditus deambulante conspectò, insidere Camelo, sed ab eo descendit, ac se suo pallio, in reverentiæ signum, operuit (*b*): Et nos Dominum nostrum videntes in Cruce pendentem, audebimus carnis indulgere deliciis! Cùm tantum igitur jejuniis nostris afferat hæc Sancta sermocinatio adjumenti, & ad sacratissimam Christi Passionem celebrandam hoc tempus ita nos præparet, opus est, dilectissimi filii, ut sextis his feriis de præstantia meditationis Passionum Domini nostri; tum de ejus modo ac ratione nonnulla dicamus: Hodie verò in primis aliqua de ejusdem necessitate ac convenientiâ proferemus.

Quis vestrùm, qui Christianum se esse meminerit, nostris hisce sermonibus lubens ac promptus corpore non aderit & mente? Quem hinc secularia negotia, mundana lucra, apothecæ aut officinæ avocabunt? Nihil profectò, Auditores, agris aut domibus vestris noxium obveniet, si ab iis paululum vos subtrahentes, hisce concionibus interesse studueritis. Erit quippe pro vobis solicitus Dominus, quos Cruci suæ religiosè adstantes intuebitur; nam etiam, cùm Maria in dolorum Filii contemplatione defixa & mœrens juxta Crucem staret, alterum, qui ejus vices ageret, opportunè substituit, Joseph nempe ab Arimathea, ut & Christi Corpus a Præside in palatio degente peteret, & quæ ad illud sepeliendum spectabant providè compararet. Verùm etsi gravis aliquatenus ac incommoda vobis esset in Templo præsentia (quod tamen in desidiæ tantùm vestræ gratiam valetis objicere) annon *Regina Saba venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis? Et ecce plus quàm Salomon hic* (*c*), cujus sapientiam majestatem & gloriam, ac ineffabilem in primis erga nos caritatem deprehendere vobis dabitur, atque admirari. Profectò si hic ipse met Dominus de sinu quodammodo Patris exivit, & vitam pauperem ducens, pretiosissimum Sanguinem suum pro nobis totum profudit, si (ùt Dominico elapso die audistis a nobis) adeò fuit animarum amore captus, ut cibi sumendi & bibendi, pro Samaritanæ anima (*d*) lucranda, fuerit oblitus; pudeat, pudeat esse

(*a*) *Psalm. CXXXI. v. 4. & 5.*
(*b*) *Gen. XXIV. v. 64. & 65.*
(*c*) *Matth. XII. v. 42.*
(*d*) *Joann. IV. v. 5. & seqq.*

esse quempiam horum omnium adeò immemorem, ut unius horæ tenax erga Dominum suum, ne parvum quidem temporis spatium, tam necessariæ meditationi velit impendere.

Et sanè, licèt plurimis opus habeant homines, quamdiu in hac lacrymarum sunt valle constituti, nulla tamen re iidem necessariò magis indigent, quàm supremi & communis omnium Domini Dei cognitione: Hæc boni omnis nostri principium, fundamentum est, & origo. Ad hanc uti præcipuum finem nostrum, creati, ac in lucem nos editi fuimus. Fecit (inquit Augustinus Ecclesiæ Sanctæ lumen) Deus Creaturam rationalem, ut summum bonum (quod Deus est) cognosceret, cognoscendo amaret, amando possideret. Hac ergo cognitione carentes, omnis etiam felicitatis ac beatitudinis nos esse oportebat expertes. Sed bone Deus! quod adeo est necessarium, quàm itidem est nobis difficile, imo viribus nostris penitus inaccessum! Nonne *Deum nemo vidit unquam* (a)? Nonne tu de te ipso dixisti: *Non videbit me homo, & vivet* (b)? Nonne *lucem inhabitas inaccessibilem* (c)? Nonne sub densissima divinitatis ac infinitæ Majestatis tuæ latitas nube? Quis ergo nostrùm te queat cognoscere? Præterea, quomodo in tui cognitionem nos assurgere valebimus, cùm ne tui quidem nominis gloriam possimus attingere, dicente te per Angelum Manue in Scripturis Sacris: *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile* (d)? Verùm Deus multimode providit humanæ infirmitati; nam quosdam in primis Majestatis suæ veluti radios creaturis suis inseruit, per quos facilè in aliqualem ejus possemus cognitionem ascendere: Unde *invisibilia Dei*, docet Apostolus, *a creatura Mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur* (e). Sed modica hæc & imperfecta cognitio, quàm erat obscura & fallax! Quàm multis erroribus prisci illi Philosophi huic soli notitiæ innixi se immiscuerunt! *Ea quippe est humanæ mentis & intelligentiæ ratio, ut, cùm alia multa, quæ ad divinarum rerum cognitionem pertinent, ipsa per se, magno adhibito labore & diligentiâ investigaverit ac cognoverit; maximam tamen illorum partem, quibus æterna salus comparatur, cujus rei inprimis causâ homo conditus, atque ad imaginem & similitudinem Dei creatus est, naturæ lumine illustrata cognoscere, aut cernere nunquam potuerit* (f). Nobi-

(a) I. Joann. IV. v. 12.
(b) Exodi XXXIII. v. 20.
(c) I. ad Timoth. VI. v. 16.
(d) Judicum XIII. v. 18.
(e) Ad Rom. I. v. 20.
(f) Catech. Rom. in Procemio.

Nobiliori igitur adhuc & præstantiori lumine opus erat hominibus, ad cognoscendum Deum. Quapropter misit ille servos suos Prophetas, ac Sanctos viros, quorum oraculis arcana sua nobis aperuit; ac demum Unigenitum Filium suum: quocirca *cùm multifariam multisque modis olim Deus locutus esset patribus in Prophetis: novissimè locutus est nobis in Filio* (*a*). Et rectè *in Filio*; non enim solùm per os Filii, & linguam, ac verba, sed *in Filio*; in vita scilicet tota Filii, & præsentia, ac conversatione, & morte; omnibus denique & singulis ejus operibus, quæ fuere veluti linguæ, divina nobis mysteria reserantes.

Quam autem Dei cognitionem Christus ejusdem Filius nobis manifestavit? Eam prorsus, qua nos plus egebamus; quamque, utpote majoris momenti, desiderabat Deus ut a nobis in primis perciperetur. Ex Creaturarum pulchritudine, in Dei pulchritudinis admirationem adducebamur; ex earum multiplicibus speciebus, in divinæ potentiæ contemplationem; ex vicissitudinibus earumdem, & admirabili ordine dispositione ac regimine, in æternæ Dei Sapientiæ meditationem ascendebamus: Hæc omnia quidem, ac multò præstantiùs nos Dei Filius edocuit. Verùm præter ista unum adhuc, quod nobis erat scitu maximè necessarium, revelavit, nempe inexhaustum illum divinæ misericordiæ, caritatis ac bonitatis fontem. Notitia sui, quam insperserat creaturis Deus, conditionis illius erat, ut conducere ad bonum posset, sed plerumque in aliquibus in malum vertebatur; siquidem nonnulli abusi sunt naturæ donis, ùt Salomon sapientià, Absalom pulchritudine, & alii ditissimi Reges potentià: At bonitate abuti nemo valet, cùm eidem malitia commisceri nullatenus possit. Hanc verò in Deo summam docuit nos Christus, sua in primis sacratissima Passione. Nam si bonitas nihil est aliud, quàm donorum quædam communicatio; hujus verò plures sunt gradus, quidam enim dona ceteris communicant, ut vicissim eadem aut similia ab illis recipiant; alii autem communicant quidem, sed sine spe ulla recipiendi; nonnulli demum, non modò hac spe carent, sed èt iis dona sua communicant, a quibus mala receperunt: & hæc quidem bonitatum omnium est maxima: Bone Deus! ubinam plura Divinitatis tuæ dona absque ulla retributionis spe hostibus tuis, a quibus offensus fueras & adhuc offendebaris, agnovimus communicata, quàm in Unigeniti Filii tui Cruce & morte? Potuisses tu qui-

(*a*) *Ad Hebræos I. v. 1.*

quidem Mundum universum absque ullo oblato pretio redimere, & liberare (a); sed Christi Filii tui Passio incomprehensibilem misericordiam tuam magis ostendit: ideoque Apostolus dicit: *Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo* (b). Cupiebat Philosophus quidam, reserata esse, in fenestræ modum, hominum corda, ut, quales quique essent interiùs, a videntibus cognosceretur exteriùs. Heu! qualem nobis, Christe, ante cor tuum fenestram, imo qualem portam, & quàm patentem aperuisti! Fenestræ fuerunt amplissima tua illa vulnera, per quæ in Carne tua, Dei arcana mihi licet aspicere, & viscera immensæ caritatis ac misericordiæ intueri. Quot patent vulnera in corpore tuo, tot altissimæ sunt voces, quibus auribus meis, licèt surdissimis, insonat semper tam admiranda dignatio. Jam ego, Domine mi, unà cum Bernardo Sanctissimo servo tuo (c), „ fidenter quod
„ ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus *Domini*, quoniam
„ misericordiæ affluunt, nec desunt foramina, per quæ affluant.
„ *Foderunt manus tuas & pedes* (d), latusque lancea perforaverunt,
„ & per has rimas licet mihi *sugere mel de petra, oleumque de saxo*
„ *durissimo* (e); idest *gustare, & videre quoniam suavis est Dominus* (f).
„ *Cogito super vos, ait Dominus, cogitationes pacis* (g), & ego nesciebam;
„ *quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit* (h)?
„ At clavis reserans, clavus penetrans factus est mihi, *ut videam*
„ *voluptatem Domini* (i). Quid ni videam per foramen? Clamat
„ clavus, clamat vulnus quòd verè Deus sit in Christo, Mundum
„ reconcilians sibi. *Ferrum pertransiit animam ejus* (k), *& appropinquavit cor illius* (l), ut non jam non sciat compati infirmitatibus
„ meis. Patet arcanum cordis per foramina corporis; patet magnum illud pietatis Sacramentum; patent *viscera misericordiæ Dei*
„ *nostri: in quibus visitavit nos, oriens ex alto* (m). Quidni viscera
„ per vulnera pateant? In quo enim clariùs, quàm in vulneri-
„ bus tuis eluxisset, quòd *tu Domine suavis es, & mitis, & multæ*
„ *misericordiæ* (n)? *majorem hac enim dilectionem nemo habet, quàm ut*
„ *animam suam ponat quis* (o) pro addictis morti, & damnatis.

(a) S. Thom. III. p. q. XLVI. art. I. & II. ad III.
(b) *Ad Ephes. II. v. 4. & 5.*
(c) S. Bernardus in Cant. Serm. LXI.
(d) *Psalm. XXI. v. 17.*
(e) *Deuteron. XXXII. v. 13.*
(f) *Psalm. XXXIII. v. 9.*
(g) *Jerem. XXIX. v. 11.*
(h) *Ad Romanos XI. v. 34.*
(i) *Psalm. XXVI. v. 4.*
(k) *Psalm. CIV. v. 18.*
(l) *Psalm. LIV. v. 22.*
(m) *Lucæ I. v. 78.*
(n) *Psalm. LXXXV. v. 5.*
(o) *Joannis XV. v. 13.*

Etiam Divina Majeſtas, filii, in hac Domini noſtri Jeſu Paſſione & Cruce maximè effulſit; nam in Chriſti corpore infirmitatibus obnoxio, ac vulneribus lacerato perſpicua quoque fit latens Divinitatis magnitudo. Quemadmodum enim vos, o vanæ mulieres, ad luxum veſtrum oſtentandum, aureis veſtibus ſericas quandoque ſuperimponitis & minùs pretioſas, ſed eas inciditis, ut per ſciſſuras conte&tus auri ſplendor appareat: Idem vos quoque peragitis, o juvenes Mundi aſſeclæ, qui caligis ex auro confectis tegumenta quædam minoris pretii aptatis, adeò tamen diſciſſa ac perforata, ut facilè quid intus lateat, videatur: ſic Chriſti humanitatis veſte in Cruce diſciſsâ abſconditæ intus Divinitatis fulgor elucet. Quod futurum fortè prævidit Propheta, cùm dixit: *Et revelabitur gloria Domini* (*a*); quæ licèt in Mundi creatione, & in aliis Dei operibus multifariam multiſque modis ſit revelata, maximè tamen emicuit in redemptionis Opere, quod in Cruce, Chriſto moriente, fuit conſummatum. Quantò enim minori impenſa Deus Mundum condidit, quàm redemit, tantò minus eſt eumdem condidiſſe, quàm redemiſſe; verbo ſiquidem uno Mundum creavit, ſummis verò laboribus ſuoque ipſo ſanguine reparavit.

Ecce ergo quia & Dei potentia, & ejuſdem ſumma clementia in Filii ſui Cruce nobis eſt glorioſè manifeſtata. Moyſes Dei ſervus, eique admodum gratus ac familiaris, cùm multoties Deum fuiſſet allocutus, tamdem maximo exarſit deſiderio Deum videndi, clamavitque ad Dominum: *Oſtende mihi gloriam tuam*. Cui Dominus: *Ego oſtendam omne bonum tibi. Rurſumque ait: Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & vivet. Et iterum: Ecce, inquit, eſt locus apud me, & ſtabis ſupra petram. Cùmque tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dexterâ meâ, donec tranſeam: tollamque manum meam, & videbis poſteriora mea: faciem autem meam videre non poteris* (*b*). Poſtmodum verò *tranſeunte Domino*, cùm poſteriora ejus vidiſſet Moyſes, exclamare cœpit: *Dominator Domine Deus, miſericors & clemens, patiens, & multæ miſerationis, ac verax, qui cuſtodis miſericordiam in millia: qui aufers iniquitatem, & ſcelera, atque peccata, nulluſque apud te per ſe innocens eſt* (*c*). Dei eſſentia, quamdiu hìc vivimus, videri a nobis minimè poteſt. Vidimus tamen *poſteriora* ejus, nempe Filii ſui

(*a*) *Iſaiæ XL. v. 5.*
(*b*) *Exodi XXXIII. v. 18. & ſeqq.*
(*c*) *Ibidem XXXIV. v. 6. & ſeq.*

sui Humanitatem, in Cruce præsertim constitutam, cujus aspectus omnia nos ea de Deo docuit, quæ Moyses in altissimam ecstasim raptus de Deo ipso prædicavit.

Duo sunt, quæ homines scire potissimùm est necesse; eaque Augustinus Sanctissimus verbis illis a Deo precabatur: *Domine, noverim te: noverim me.* Ad utrumque horum cognoscendum maximè conducit Christi Passionis frequens meditatio. Primum quidem, idest quàm claré in hoc mysterio Deus agnoscatur superiùs audistis; alterum veró Sole ipso est dilucidius. Accedat superbus ad Christum in Cruce pendentem, despectum, contumeliis affectum, inter latrones reputatum; & superbiam suam agnoscet. Accedat avarus, & Christi in Cruce contempletur nuditatem, ac extremam paupertatem, rerumque omnium egestatem; & avaritiæ suæ detestandum scelus exhorrescet. Accedat gulosus, ventri suo serviens, & deliciis ac Mundi voluptatibus immersus, & Christum meditetur toto corpore laceratum, esurientem, sitientem, felle & aceto potatum, omnibus etiam licitis & necessariis Mundi commodis destitutum; & suæ illum pudebit lasciviæ. Hinc ergo compertum fit, quàm sit necessaria jugis meditatio Christi Passionis. Sed videte adhuc hoc idem.

Fuerunt, ùt audistis, Christi dolores efficax & potissima infirmitatum omnium nostrarum medicina. Sed quid infirmo prodest medicina apud Pharmacopolam existens, aut in apotheca reservata, nisi eam sumat ac bibat ægrotus? Nil certè Christi Domini Passio nobis prodesse poterit, non languores nostros curabit, non ægritudines pellet, nisi eam sumpserimus, nisi nobis eam applicuerimus. Istiusmodi autem applicatio, licèt Sacramentis Sanctissimis potissimùm fiat, fit tamen etiam præcipua quadam ratione, frequenter eam meditando, atque præ oculis habendo. Præcipiebat Dominus, quæ in Sacrificiis adhibebantur *aromata contundi*, ac redigi *in tenuissimum pulverem* (a); neque enim sinapis vis sentitur, nisi priùs minutim conteratur. Sic Christi Passionis efficaciam percipere nemo potest, nisi ea, quæ ibi continentur fragrantissima aromata, piâ meditatione comminuat. Inde tanta miseris hisce temporibus cupiditas atque segnities Christianos invadit, quia hæc, quæ semper nobis cordi esse deberent, non tunduntur, non ruminantur, non considerantur. Quî enim Christi Domini virtutes & mores imitari possumus ac referre, nisi ejus vitam & mortem

(a) *Exodi XXX. v. 34. & 36.*

tem attentæ mentis oculo frequenter inspiciamus? Procul dubio Pictor aliquis, licèt egregius, ad vivum & perfectè aliquem nullatenus exprimet, nisi eum præ oculis habens sæpissimè consideret. Et hoc est, quod Moysi ad usum Templi spectantia facturo Dominus jussit: *Inspice, & fac secundùm exemplar quod tibi in monte monstratum est* (a). O Christiane ecce *mons*, mons, inquam, Calvarius: Ecce *exemplar*, Christus videlicet, de se ipso dicens: *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita èt vos faciatis* (b). *Inspice*, inspice frequenter Christi vitam & mortem, & vitam tuam compone; opera atque actiones tuas dirige *secundùm exemplar* hoc, quod vides *in monte*. Christus est *via, veritas, & vita* (c); quomodo per viam incedes, eam non aspiciens? quomodo veritatem disces, eam loquentem non audiens? quomodo vives, Auctorem vitæ non cogitans? qui ad hoc inter homines tot annos vixit, ut ipsum intuentes, eum diligerent; ideoque sermones suos & opera describi voluit, ut nos ea legentes ac meditantes, ad ejus imitationem accenderemur.

Quamobrem Dominus de nobis prædicens jure conquerebatur, quòd tam facilè tot ejusdem munerum essemus obliti, dicens: *Cythara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conviviis vestris: & opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis* (d): Redemptionis quippe opus, per excellentiam *opus Domini, & opus manuum ejus* appellari nil prohibet; cùm cetera omnia opera facillimè sit operatus, hoc verò, tanto (ùt audistis) cum labore. Ex hac autem oblivione tot animarum ruinæ ac calamitates profluxerunt; quas enarrare prosequitur idem Propheta Domini subdens: *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & Nobiles ejus interierunt fame, & multitudo ejus siti exaruit. Propterea dilatavit Infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino: & descendent fortes ejus, & populus ejus, & sublimes, gloriosique ejus ad eum. Et incurvabitur homo, & humiliabitur vir, & oculi sublimium deprimentur* (e).

Et profectò, si tam bono ac tam benigno Domino, qui tantam nobis patefecit caritatem, jura omnia clamant, ut grati simus, ac ei complacere studeamus; certè nil ipsi gratius possumus rependere, quàm si eum semper habeamus præ oculis, & crebrò caritarita-

(a) *Exodi XXV. v. 40.*
(b) *Joannis XIII. v. 15.*
(c) *Ibidem XIV. v. 6.*
(d) *Isaiæ V. v. 12.*
(e) *Ibidem v. 13. & seqq.*

ritatis ejus excessum in Passione sua meditemur: Quòd verò id ei gratissimum contingat, tum ex ejusdem verbis, tum aliis validissimis argumentis valemus addiscere. Primò namque ipse Discipulos suos de Crucis mysteriis toties ob id alloquebatur; & præter alia, suam hanc iisdem voluntatem verbis istis semel expressit: *Ponite vos in cordibus vestris sermones istos* (*a*). Neque verò absque mysterii significatione præcipiebatur in Lege veteri, ut cineres *vaccæ rufæ*, quæ Christum præsignabat, colligerentur, & summâ diligentiâ custodirentur (*b*): Docebamur enim, Christi passionum reliquias in thesauris memoriæ nostræ recondere. Quid verò non fecit idem Dei Filius, ut nulla umquam oblivio ex hominum animis tanti beneficii recordationem deleret? Sicut e converso, nihil procul dubio intentatum reliquit Diabolus, Crucis inimicus acerrimus, quo ejus omnem obliteraret memoriam, innumeros ad id ministros adhibens, ab omnibus tyrannis eam impugnari, & illius defensores acerbissimè necari contendens: Ideo Adriani Romani Imperatoris nefario jussu in vilissimo loco fuit consepulta. Cùm is enim anno post Salvatorem natum centesimo & quadragesimo Jerosolymorum Urbem reædificari præcepisset; animadvertens, in Calvario Monte Christum fuisse crucifixum, volensque, utpote perfidus & Idolorum cultor, quòd omne Dominicæ Passionis monumentum aboleretur, Christi & latronum, qui cum illo pependerant, Cruces & clavos in eodem loco abscondi jussit, & ruderibus obrui: Ibidem autem Veneris simulacrum erexit, ut si quis Fidelium illuc ad Crucem adorandam accederet, non Crucem sed Venerem adorare videretur. In Sepulchro verò Domini, Jovis simulacrum collocavit, & in Bethlehemitico Præsepio, Adonidis, hoc est Amasii Veneris statuam substitui mandavit (*c*); de cujus morte apud Ezechielem perfidæ Hebræorum fœminæ lamentabantur (*d*). Impiis hisce machinamentis omnia Re-

(*a*) *Lucæ IX. v. 44.*

(*b*) *Num. XIX. v. 2. & seqq.*

(*c*) Sanctus Hieronymus in Epistola, ad Paulinum directa circa annum Christi CCCXCV. hæc scribit: „ Ab Adriani temporibus usque „ ad Imperium Constantini, per annos circiter „ centum octoginta, in loco Resurrectionis si„ mulacrum Jovis; in Crucis rupe statua ex „ marmore Veneris a Gentibus posita coleba„ tur: existimantibus persecutionis auctoribus, „ quòd tollerent nobis fidem Resurrectionis & „ Crucis, si Loca Sancta per Idola polluissent. „ Bethlehem nunc nostram, & augustissimum „ Orbis locum, de quo Psalmista canit: *Veri„ tas de terra orta est*, Lucus inumbrabat Tha„ mus, idest Adonidis. Et in specu, ubi „ quondam Christus parvulus vagit, Veneris „ amasius plangebatur „. Ceterùm sacrilegus iste Idolorum cultus in Bethlehem, & Calvariæ loco ab Adriano institutus, multò ante annum CXL. ab ortu Salvatoris nostri contigit, cùm nempe Judaicum bellum gereret ille Imperator, e vivis sublatus anno CXXXVIII. juxta Pagii Chronologiam.

(*d*) *Ezech. VIII. v. 14.*

Redemptionis nostræ vestigia impius Cæsar, imo verò maledictus serpens Diabolus funditus evertenda existimavit. Sed irrita fuere universa illius consilia; Dei namque Filius, viis omnibus mediisque, Fidelium cordibus Crucem suam curavit insculpere. Ideo admirabili providentiâ dispofuit, ut eadem inventa & defossa pluribus miraculis illustraretur; imo etiam denuo exaltata, credentium omnium obsequia reciperet. Quamobrem Inventionis, & Exaltationis Sanctissimæ Crucis memoriam Ecclesia Catholica celebrat solemnem atque perpetuam: De qua tamen duplici Festivitate nihil hoc loco adnectimus, nam quæ dicenda forent, opportuniori tempore proferemus. Ceterùm hanc ipsam Crucem in finem usque Mundi honorificè voluit Dominus conservari, ut extremo magni Judicii die universis Tribubus & Nationibus ostenderet: Quin etiam eamdem in Cœlis splendidissimam, ad Electorum exultationem & gaudium, perpetuò adorandam exhibebit (*a*); ut, sicut *gladius Goliath post Ephod* asservabatur (*b*) in tantæ victoriæ memoriam, ita èt Crux, in qua mortem Christus moriendo destruxit, & Diabolum debellavit, in æternum gloriosa appareat.

Sed videte, quantùm Dei Filio cordi fuerit, ut ejusdem dolores & Passio nostris mentibus semper inhærerent; cùm ad hoc unum sacratissimæ Eucharistiæ ineffabile Sacramentum instituerit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annunciabitis* (*c*). O necessariam hominibus recordationem, ad quam conservandam ipsemet Christus Cœlum conscensurus, cum hominibus permanere usque ad seculi consummationem dignatus est in Altari, sub speciebus panis & vini! Hac etiam de causa, licèt nunc ipse ad dexteram Patris gloriosus & immortalis resideat, stigmatum tamen suorum aspectu & delectatur ipse, & Patrem suum Sanctosque omnes oblectat; & nos tam mirabiliter juvat, pro nobis ea Patri semper ostentans, & dicens: *Respice in faciem Christi tui* (*d*).

Peculiari quoque hoc privilegio, gerendi videlicet in propriis corporibus impressa Christi Passionis Insignia, aliquos ex electis servis suis exornare Domino placuit, ut iisdem, & Mundo

(*a*) Sanctus Joannes Chrysostomus in Homil. I. de Cruce, & Latrone.
(*b*) *I. Regum XXI. v. 9.*
(*c*) *I. ad Corinth. XI. v. 25. & 26.*
(*d*) *Psalm. LXXXIII. v. 10.*

do universo patefaceret, quàm ipsi esset gratum obsequium, quod illi ejus Cruci præstiterant. Sic Beatissimo Patri Francisco stigmata sacratissima in ejus manibus latere ac pedibus ferenda concessit. Sanctæ pariter Catharinæ Senensi Virgini probatissimæ (a), quam Dominus sibi peculiariter desponsaverat, idem donum indulsit; testatur enim Pater Raymundus (b), sacram se communionem Pisis in Ecclesia Sanctæ Christinæ eidem Virgini præbuisse, cùmque more suo, diu mansisset in ecstasi, ipsum cum aliis expectasse, donec ad se rediret, statimque ipsis cernentibus, corpusculum ejus, quod jacebat prostratum, se erexisse paulisper in genua, & brachia extendisse, & facie rutilante, diuque ita permansisse, sed planè rigidum, & oculis clausis: Tamdem, perinde ac si lethali fuisset confectum vulnere, repente decidisse; & paulo post fuisse illam sensibus restitutam. Subinde autem secretò sibi indicasse, Dominum Jesum Christum in illo raptu, ipsius corpori quinque vulnera admirabiliter impressisse. Itaque eidem Patri ait: „ Verissimè scias, Pater, me propter immensam Domini mei
„ misericordiam, ejus stigmata in corpore meo percepisse; vidi
„ enim Dominum meum splendidissima luce amictum super
„ ancillam suam descendere. Cùm autem anima mea in ejus
„ occursum ardenter festinaret, corpus ipsum subitò in subli-
„ me extulit: *Protinus autem ex ipsis Domini mei vulneri-*
„ *bus quinque sanguinolenti radii emanantes, duo versùs manus*
„ *meas, totidemque versùs pedes, quintus autem in dextrum la-*
„ *tus, rectâ lineâ in cor meum directus est.* Intellexi autem
„ *quid sibi hoc mysterium vellet*; & non quidem externa, sed
„ *interna mentis voce clamare cœpi*: Ah Deus meus! nulla, obse-
„ cro, in corpore meo externa hujus beneficii signa permaneant.
„ Vix autem verba finieram; & ecce sanguinolenti radii in splen-
„ didissimam lucem commutati sunt, quos sub hac forma in cor-
„ pus meum excepi.

Beata quædam, nomine Collecta, quotidie horâ meridianâ, qua Christus passus est, angores in corde gravissimos experiebatur, quos ut

(a) Granata in Festo Sanctæ Catharinæ Concione tertia.

(b) Leguntur hæc in Vita Sanctæ Catharinæ Senensis, Auctore Fr. Raymundo Capuano Ordinis Prædicatorum Magistro Generali, atque ejusdem Sanctæ Virginis a Confessionibus; quam referunt Bollandistæ ad diem XXX. Aprilis. Sanctus tamen Carolus verba hæc decerpsit a Concione III. in Festo Beatæ Catharinæ Senensis, quam habuit Ludovicus Granatensis, hanc in ea historiam enarrans.

ut devotiùs perferret, libenter ab hominum consortio recedens se totam interiùs colligebat, ut Passionem & mortem Christi Domini nostri meditaretur. In hujusmodi autem contemplatione sæpe extra se rapiebatur, & in Deum transformabatur ardentissimo desiderio, præcipuè sextis feriis, ab hora sexta ad vesperas. Manè audiens Missam, adeò defixa in ea consideratione versabatur, ut sæpe præ dolore in latere, pedibus, & manibus gravissimè excruciata, clavis configi videretur. Interdum ab hujusmodi meditatione exurgebat, ore vultuque contorto, & mirum in modum immutato. Demum in Sanctiori Hebdomada lamentabatur, ejulabat, perinde ac si toto corpore discerperetur: Tantùm in Christi patientis meditatione ad dolorem commovebatur (a).

Religioso cuidam Ordinis Sancti Dominici in Argentina Urbe, qui assiduè meditabatur Christi Passionem, cùm morti concessisset, inventum est signum Crucis impressum in ossibus pectoris supra cor, & pulcherrimè elaboratum. Hæc verò a me, filii, vobis enarrantur, ut hinc conjiciatis, quàm Deo gratum sacrificium illi offerant, qui in Passionis ipsius meditatione pie & frequenter se exercent. Neque *abbreviata est manus Domini* (b); ut hæc antiquis tantùm temporibus acta credatis. Nunc quoque eadem ostendit Dominus; ante duos enim dies a Religioso viro, pietate eximia, & fide admodum digno accepimus (c), in Hispaniæ partibus duas religiosissimas Mulieres adhuc vivere, quarum una Crucifixi Domini nostri imaginem carneam habet supra pectus cum nomine JESU, ac Crucis titulo adeò expressam, ut superpositæ molli ceræ, eamdem imprimat imaginem sacratissimam: Altera verò Monasticam vitam agens, & Deo optimè inserviens, plagam habet in latere, longam & profundam digitum unum. Id autem ambæ sunt consecutæ ob meditationis hujus sacratissimæ assiduam exercitationem, quam virtutes omnes necesse est comitentur. O felices & beatas animas, quæ Christo etiam in carne compati merentur, ut postmodum etiam glorificentur! Hæ margaritæ sunt pretiosissimæ, o filii, hi thesauri inæ-

(a) Vitam Beatæ Collectæ, reformatricis Monialium Sanctæ Claræ, descripsit Gallico idiomate Petrus a Vallibus, sive a Remis, ejusdem a Confessionibus; Latinè autem reddidit Stephanus Juliacus Doctor Sorbonicus, Ordinis Sancti Francisci: eaque legitur inserta Actis Sanctorum Bollandi ad diem VI. Martii; Capite verò XI. omnia referuntur, quæ Sanctus Carolus hic adnotavit.

(b) *Isaiæ LIX. v. 1.*

(c) Ex literis P. Granatæ ad Sanctum Carolum datis XXVIII. Januarii MDLXXXIV.

inæstimabiles. Cur non ergo èt nos tanta munera contemplemur? Cur non accendamur èt nos ardentissimè ob tam benignum Dei erga nos amorem? Cur saltem tantæ caritati assiduam contemplationem non rependimus? O nos felices, si duas saltem, aut tres lacrymas quotidie coram Christi Domini Crucifixi imagine funderemus! dicentes: Filius Dei innocentissimus, adeo dilaniatus, laceratus, consputus, transverberatus, confixus fuit pro me latrone, indignissimo peccatore, ac vilissimo vermiculo, pro superbia, pompis, & vana mea licentia! Eja Mediolanenses filii, audite hodie Prophetam vobis dicentem: *Relinquite Civitates, & habitate in petra: & estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis* (a). Hæc foramina petræ, Christi sunt vulnera: *In his passer invenit sibi domum, & turtur nidum, ubi reponat pullos suos; in his se columba tutatur, & circumvolitantem intrepida intuetur accipitrem* (b). *Relinquite* ergo, filii, apothecas, officinas, secularia negotia, & quando *Civitatem* omnino relinquere abnuitis, saltem isthæc ad tempus, & quidem modicum relinquite; ut sextis his feriis simul omnes, & seorsum singuli ceteris omnibus diebus, Passionis Christi meditationi vacemus, & videamus, *quoniam suavis est Dominus* (c). Cur non jam audio animas vestras hilari ac prompto corde dicentes: Novimus, Pater, quia quæ suades veritati omnino consentiunt, utilia sunt ac necessaria. Ecce ibimus *ad montem myrrhæ, & ad collem thuris* (d), ad Christi nempe Crucifixi pedes, unde & *myrrham* mortificationis, & *thus* orationis hauriemus. Hac myrrha, hoc thure onustæ ad nos ipsas redibimus; & *inspicientes, faciemus secundùm exemplar, quod in monte monstratum est nobis* (e).



(a) *Jerem. XLVIII. v. 28.*
(b) Ex Sancto Bernardo Sermone LXI. in Cantica.
(c) *Psalm. XXXIII. v. 9.*
(d) *Cant. Cantic. IV. v. 6.*
(e) *Exodi XXV. v. 40.*

HOMILIA CII.

DE PASSIONE DOMINI

Habita in Metropolitano Templo Mediolani

Feria VI. post Dominicam III. Quadrag.

ANNO MDLXXXIV. IX. MARTII.



INNUMERÆ ſunt, dilectiſſimi filii, voces, quibus benedictus Dominus Deus a nobis requirit, ut memores ſimus atque ſoliciti in frequenter habenda meditatione ſacratiſſimæ Paſſionis Chriſti: Nonnullas explanavimus poſtremo noſtro ad vos Sermone. Plurimæ adhuc ſuperſunt, quæ in præſentiarum a nobis in medium poſſent adduci. Verùm, iis omnibus omiſſis, unicam dumtaxat hodie curemus audire. Hæc autem meo ſane judicio talis ac tanta vox eſt, ut ceteras omnes comprehendere videatur, ac ſola poſſet ſe ipſa ſufficere, tantamque deberet in hominum omnium animis vim habere, ut inſculpta cordibus, ceu in firmiſſimo ſilice, tantorum myſteriorum recordatio perpetuis temporibus permaneret.

Gratiam, inquit ſacroſancta Scriptura, *fidejuſſoris ne oblivìſcaris: dedit enim pro te animam ſuam* (*a*): Atqui hæc eadem verba Spiritus Sanctus, qui ea in Eccleſiaſtico dictaverat, quotidie hominum auribus inculcat. O homo, numquam animo tuo excidat immenſum illud beneficium, & ingens *gratia* ejus, qui pro te coram æterno Patre *fidejuſſit*; ac ut te mortis reum, atque æternæ damnationi addictum eximeret, *animam ſuam* poſuit & vitam. Sic ad animæ oſtium pulſare non ceſſat Spiritus Domini, & verbis hiſce, veluti acutiſſimis ſtimulis, eam, ad ſacratiſſimæ Dominicæ Crucis memoriam incitare. Sed quis jam, obſecro, recordationem hanc exigit; quis hoc memoriæ officium requirit, & quomodo? Ille ipſe profectò Chriſtus Dominus Jeſus, Dei Filius,

(*a*) *Eccleſiaſtici XXIX. v.* 20.

lius, Salvator noster, qui non modò pro nobis fidejussit, sed ingens etiam debitum, quo tenebamur adstricti, pro nobis æterno Patri persolvit Sanguine suo ac vita; qui tanto & tam caro nos pretio redemit: Hic, inquam, est, qui non modò per Nuncios suos, per Prophetas & Apostolos, per sacras Literas, per sacratissimi verbi sui Prædicatores, sed etiam proprio loquens nomine a nobis hoc postulat.

Si quis nostrûm duro aliquo in carcere detineretur inclusus, aut acerbissimis Tyrannis seu Barbaris hominibus, in miserrimam captivitatem delapsus, cogeretur in summa rerum omnium penuria & calamitate servire; accederet verò quispiam ejus ærumnarum miseratione commotus, ac sese sponte ita offerret: Ego te hinc educere statui, libertatem ego tibi pristinam restituam, has ego catenas & compedes disrumpam, has carceris valvas ipse reserabo, ac te, quocumque malueris, abire permittam; unum tamen, aut duo solummodo a te pro gratia reposco: quàm lætus hic, & libenti ac prompto animo quidquid requireretur promitteret; pacta omnia, & conditiones quantumvis duriusculas lubens acceptaret, ut ab ea statûs infelicissimi conditione eriperetur, ac tam diu optata libertate aliquando perfrui sibi liceret! His ipsis vocibus humanum genus omne, sævissimâ Dæmonis & peccati tyrannide pressum, Dei Filius extremis condolens malis ac nostrî misera[illegible] *propter duritiam eorum, qui præerant operibus* (a), quibusque turpi[illegible]mè & indignissimè cogebamur servire; his, inquam, vocibus omnes allocutus, hanc eamdem amplissimam gratiam nobis ex[illegible]buit; nec multa aut dura pacta in primis proposuit: sed qu[illegible] quæso, quàm dulcia, quàmque facilia requisierit, & quomod[illegible] levia, attendite.

Cùm appropinquasset Passionis suæ tempus, & jam de p[illegible]ximo instaret hora opus consummandi, quod ei mandaverat [illegible]ter, nec procul mors abesset; amore ardens infinito erga hom[illegible]nes, & in suos præsertim dilectissimos filios & discipulos, inquam Apostolos, *qui permanserant secum in tentationibus suis* (b), n[illegible] potuit tam [illegible] tam dilectionem intra viscera misericordiæ suæ conti[illegible]re, quin peculiari quodam modo exteriùs erumperet. Quema[illegible]modum verò aliquis Pater-familias, qui tenero paterno amore [illegible]lios suos complectens, ac morti proximus post conditum test[illegible]mentum quæcumque pretiosiora possidet eisdem consuevit do[illegible] reli[illegible]

(a) Exodi III. v. 7. | (b) Lucæ XXII. v. 28.

relinquere, imo salutaria etiam quædam tradere documenta, quibus exceptis, jugique memoria retentis atque adimpletis, feliciores illi in dies evadant, ac mortuo etiam patri consolationem, rebus prosperè succedentibus, quatenus afferri possit, maximam præbeant: Neque dubium est, patrem ea tunc potissimùm filiis suis præcipere, quæ semper ac præcipuè cordi habuit; cùm breve illud vitæ tempus, quod ei reliquum est, debilitatâ jam voce & pluribus exponendis ineptâ, gravissimis dumtaxat monitis tradendis velit insumere: Ita cœlestis Pater & Dominus noster Jesus nobiscum egit. Quid autem, antequam moreretur, testamento præceperit, quidque a nobis omnibus desideraverit, animadvertite; inde enim nihil æquè illi cordi fuisse agnoscemus, quàm ut ejus Passionis, quam nondum pertulerat, semper in posterum vellemus memores esse. Oculos, dilectissimi filii, ad sacratissimum illud Altare convertite; intuemini Hostiam illam benedictam & salutarem, quæ Cœli pandit ostium: O qualis & quanta vox illa est; quàm altè clamat inde Dominus, filii! Quæsivit quibuscumque potuit viis ac mediis, aures nostras acutissimis vocibus percellere; demum ipse met vox esse dignatus est, ac Corpori suo & Sanguini vivifico vocem tribuere. O qualis, inquam, vox! *Hoc facite in meam commemorationem* (*a*). Quàm pulchrè hæc omnia nobis ob oculos posuit Spiritus Sancti scriba prudentissimus Paulus Apostolus præclaris illis verbis: *Ego enim accepi a Domino, quod èt tradidi vobis* (*b*)! Ne illum hæc somniasse reputetis, Auditores, aut ipsius esse Inventa, vel ab homine quopiam in mandatis illa accepisse; sed *a Domino accepit, quod èt tradidit nobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur*. O infinitam clementiam! Quo tempore perfidi homines proditionem, flagella, insidias, vulnera, clavos, mortem illi machinari ac disponere inchoabant; ipse horum quidem non inscius, cujus oculis nil erat absconditum, qui *scrutator erat cordium* (*c*), *ea*, inquam ipsa *nocte*, *qua tradebatur*, tanta nobis præparabat beneficia, tam exquisitas epulas, tam dulce & suave disponebat convivium; *accepit panem, & gratias agens*, tum juxta morem suum, quo cibum sumpturus gratias agere consueverat, hoc peragens; tum sublimia instituenda mysteria tali præveniens gratiarum actione, & fortè etiam gratias agens æterno Patri & exultans, eò quòd jam advenisset hora, qua eumdem esset clarificaturus,

(*a*) *Lucæ XXII. v. 19.*
(*b*) *I. ad Corinth. XI. v. 23.*
(*c*) *Sapient. I. v. 6.*

turus, ac Mundo ostensurus viscera caritatis suæ; qua universa amoris sui ardentissimo igne incensurus, hominemque e tantis erepturus esset ærumnis: pro his, inquam, omnibus *gratias agens accepit panem, & fregit*; siquidem ipse verus erat pater, qui parvulis filiis suis panem frangere venerat; & *dixit: Accipite & manducate: hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur* (a); non jam ampliùs est panis, quem videtis, sed corpus meum & caro mea, pro vobis acerbissimo Crucis ligno configenda. Verùm, quid antequam pro vobis fidejubeam, quid antequam debita vestra persolvam, exigo? Quibus pactis, qua conditione vos tantis statuo cumulare muneribus? Non multa requiro: Hoc inter cetera in primis: *hoc facite in meam commemorationem*; tam amaræ mementote Passionis.

Similiter & calicem, postquàm cœnavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo Sanguine (b). Et cur hunc Sanguinem es Domine effusurus? vel quid tibi retribuam pro tanto dono? Num alia adjicis pacta? Illud ipsum primo loco dumtaxat requiro, quod mihi redditum facilè alia omnia consequentur: *Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Quàm ille avidè a nobis memoriam hanc desiderat, qui ut eam assequatur, tam carum pignus & memoriale nobis relinquit, nempe seipsum! Quid enim est aliud, quid Missam audire, tremendo huic Sacrificio interesse, quid Sacerdotem celebrantem spectare, nisi Christi Domini Sacratissimæ Cruci præsentem adstare? Non signa mortua, non hominum voces, non scripta ad memoriam hanc excitandam; sed seipsum, Corpus suum & Sanguinem nobis Dominus reliquit. Immensa profecto est hæc Dei caritas ac inæstimabile beneficium, cùm, ut ejus recordaremur, tantum denuo in nos collatum sit munus, munerum scilicet omnium maximum, imo beneficiorum omnium compendium.

O memoriale sacratissimum, quàm vivis coloribus atrocissimam omnem Christi Passionem nobis ob oculos ponis! Quàm apertè mirabilia illa & tremenda mysteria exhibes conspicienda! Confessio, inquit divinus Vates, *& magnificentia opus ejus: justitia ejus manet in seculum seculi. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus* (c). Sunt quidem omnia Dei opera mirabilia; sed illa præcipuè, quæ majori (ùt ita dixerim) ipsius Dei labore

(a) *1. ad Corint. b. XI. v. 24.* | (b) *Ibidem v. 25.* | (c) *Psalm. CX. v. 3. & seq.*

labore ſunt facta: At verò quis neſciat, ſolo verbo Deum cuncta creaſſe; tanto verò Sanguine fuiſſe a Dei Filio Mundum redemptum? Mirabilia ſunt ea, quæ, cùm maximè inter ſe diſſideant, invicem connectuntur; ſed quid magis diſſidet aut inter ſe opponitur, Creatura-ne cum nihilo, an cum Deo flagella, vulnera & mors in Crucis ignominia? Hæc mirabilia ſunt, quorum indigniſſimum erat oblviſci. Ideoque infirmæ noſtræ memoriæ Dominus proſpiciens: *Memoriam fecit mirabilium ſuorum*. Et qualem, obſecro, memoriam? *Eſcam dedit timentibus ſe* (a). O pinguem, o ſuavem, o delicatam *eſcam!* Sed numquid non eam & juſti pariter ſumunt, & peccatores? Sed eſca eſt *timentibus Deum*; impiis verò non eſca, ſed venenum, ſed mors; *Sumunt* enim *boni* (canit Eccleſia) *ſumunt mali; ſorte tamen inæquali vitæ, vel interitus. Mors eſt malis, vita bonis: Vide paris ſumptionis quàm ſit diſpar exitus.*

Et licèt tam in ſacratiſſima Hoſtia, quàm in calice, & Corpus Chriſti ſubſit & Sanguis; & hic Sanguis non ſit ſejunctus a corpore; cùm enim & ibi conſecrationis vi Corpus adſit vivum, & hic Sanguis, neceſſe tamen eſt per concomitantiam, ut corpori vivo ſanguis inſit, neque a corpore ſejungatur; ad exprimendam verò nobis apertiùs Paſſionis ſuæ rationem, inſtituit Dominus ſeparatim a Corpore Sanguinem conſecrari; non modò ut beneficii accepti perpetuò memores eſſemus, ſed ut quo etiam modo id receperimus agnoſceremus, videlicet per ſanguinis effuſionem. O filii: Venas omnes Dei Filius aperuit, ſanguinis torrentes effudit; præſertim verò ex latere, e quo manavit ſanguis & aqua; quapropter etiam in calice modicum aquæ vino miſcemus. O admirandum Memoriale! Et quis adeò ingrati animi vitio laborabit, ut eum tanti myſterii capere poſſit oblivio? Quì poterit animo excidere, quod in Provinciis omnibus & Regnis, Civitatibus & Oppidis, in ſingulis Eccleſiis a tam multis quotidie Sacerdotibus, nobis ob oculos ponitur, quodque adeo ſolemniter nobis toties repræſentatur?

Fuit Sacrificium hoc ſemel in Cruce Patri oblatum, atque ad triſte hoc ſpectaculum non potuere creaturæ omnes non commoveri: Sol obſcuratus eſt, denſiſſimæ factæ ſunt tenebræ ſuper univerſam terram, petræ ſciſſæ, terra mota, monumenta aperta ſunt, mortui reſurrexerunt, Centurio confeſſus eſt Dei Filium; alii demum, quem crucifixerant agnoverunt, & reverſi ſunt percutientes pectora

(a) *Pſalm. CX. v. 5.*

pectora sua (a). Illud idem quotidie, licèt incruentum, spectantibus nobis offertur, idem Christus in carne propria immolatur, idem sanguis exhibetur: Cur ergo eædem quoque in singulis nostrùm commotiones non inspiciuntur; cur non mundana omnis gloria & splendor obtenebrantur; saxea corda præ dolore non scinduntur; conscientiæ peccantium hominum, sepulchris fœtidiores non aperiuntur? Cur mortui gratiæ non resurgunt; in anima nostra salutares terræmotus non fiunt? Cur non compungimur, & Dei Filium non agnoscimus? Dicebat Apostolus: *Spectaculum facti sumus Mundo, & Angelis, & hominibus* (b). Fit nobis Christus quotidie spectaculum; & fieri potest, ut ejus obliviscamur, semperque tantam dignationem animo non evolvamus? Quì fieri potest, ut aliqui adeò sibi ipsis inimici ad Missas non accedant, vel eas adeò inconsideratè audiant! Cur loca, in quibus de his agitur, ex condicto non frequentantur, nempe tot sacratissima Oratoria, in Civitate hac erecta; Sancti Sepulchri Templum, & Ecclesiæ, in quas quadraginta Horarum preces distribuuntur? cùm tamen præter innumeros proventus, quos ex hac memoria & jugi consideratione percipimus, Dei nostri voluntatem, & sanctissimum desiderium grato obsequio impleamus, qui tot mediis, & præsertim sacratissimo Eucharistiæ pignore, a nobis hoc adeo solicitè requisivit.

Qui aures haberet audiendi, dilectissimi filii mihi credite, numquam Ecclesiam intraret, ante Altare genua flecteret, aut ad Sanctissimum Sacramentum adorandum accederet, quin in Dominum sibi dicentem audiret: *Recordare paupertatis, & transgressionis meæ, absynthii, & fellis* (c). Recordare dolorum ac vulnerum meorum, extremæ illius *paupertatis*, quam cùm dives essem in misericordia, cùm veræ *divitiæ & gloria in domo mea* essent (d), pro te lubens ego suscepi, nascens & vivens, ac postremò nudus moriens in Cruce; ego, inquam, qui lilia agri vestio (e), *aperiens manum meam impleo omne animal benedictione* (f). *Recordare transgressionis meæ*, excessûs nempe amoris in te mei; illius, inquam, de quo unà mecum in monte Thabor Elias & Moyses colloquebantur: *& absynthii, & fellis*, quales tu mihi potus, anima ingrata, *Vinea* mea, quam *ego plantavi* (g), in Cruce pro vino optimo reddidisti. His verbis quis non in lacrymas effu-

(a) Matth. XXVII. v. 51. & seqq., & Lucæ XXIII. v. 47. & 48.
(b) I. ad Corinth. IV. v. 9.
(c) Thren. III. v. 19.
(d) Psalm. CXI. v. 3.
(e) Lucæ XII. v. 27.
(f) Psalm. CXLIV. v. 16.
(g) Jerem. II. v. 21.

ſus reſpondeat: *Memoriâ memor ero, & tabeſcet in me anima mea (a)?* Hæc cogitans, mi dulciſſime Jeſu, quî umquam potero tuî oblivîſci? Emollietur cor meum & liqueſiet; recedent ſimultates & odia in proximos meos, quos pretioſo tuo Sanguine aſperſos intueor; amori inordinato valedicam, qui me tibi toties terga vertere ingratiſſimè compulit. Stabo in poſterum juxta Crucem tuam, lacrymans ſemper & dolens.

Adhuc plura, dilectiſſimi, ſunt, quæ nobiſcum, dum Sacroſancto aſtamus Altari, Dominus loquitur, verbis olim populo ſuo prolatis: *Non me invocaſti Jacob, nec laboraſti in me Iſraël. Non obtuliſti mihi arietem holocauſti tui, & victimis tuis non glorificaſti me: non te ſervire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure. Non emiſti mihi argento calamum, & adipe victimarum tuarum non inebriaſti me. Verumtamen ſervire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis (b).* Quid ipſe mihi, o infelix, priùs retribueras? quæ dona, quæ munera? quo pretio promeritus fueras, ut tanta te dilectione proſequerer, qui me potiùs ad iracundiam provocaveras ſemper, atque delictis exaſperaveras? Et tamen tam multa pro te pertuli, & in Crucem adactus ſum. *Reduc me* ſaltem *in memoriam (c)*; hæc ſaltem recogita. Tres ſunt, dilectiſſimi, ingratitudinis gradus: primus quidem, cùm pro bono bonum non reddimus, cùm facta factis non rependimus; alter verò, cùm ne verbis quidem gratias referimus; tertius demum ac omnium peſſimus, cùm ne muneris collati quidem recordamur, pro ut e converſo gratitudinis omnis hæc prima eſt (licèt ceterarum leviſſima) beneficii accepti recordatio. Hanc ſaltem a te exigit Dei Filius, o Chriſtiane; facilè ſiquidem, ſi Paſſionem ejus animo recogitaveris, inde reliqua conſequentur, ut nempe gratias referas non verbis modò, ſed etiam operibus.

Felices illos Eccleſiæ Sanctæ filios, qui primis temporibus viguerunt, qui Chriſti Domini Crucem proximiùs aſpicientes, eamdem quoque, in tanti muneris recordationem, animo ſemper impreſſam gerebant! Quanto caritatis replebantur ardore, utpote illi, quo Deus exarſerat, amoris incendio propinquiores! Hinc èt ipſos decolorabat, ùt vidimus, Sol ille Juſtitiæ ardentiſſimus, & incendebat, ùt dicere nobis poſſent: *Nolite* o poſteri *conſiderare, quòd fuſci ſimus & nigri, quia decoloravit nos Sol (d).* Hinc tanta in

(a) Thren. III. v. 20.
(b) Iſaiæ XLIII. v. 22. & ſeqq.
(c) Ibidem v. 26.
(d) Cant. Cantic. I. v. 5. & 6.

in eis egregiarum omnium virtutum copia, quia jugis mysterii hujus gravissimi meditatio eorum animis insidebat. Quidni ergo dulcissimus Ecclesiæ Sponsus Christus ejusdem varietatis & pulchritudinis amore captus, Sponsæ ornamenta commemorans & extollens, diceret: *Capilli tui sicut greges Caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad (a)?* nam sicut capilli colorum varietate ac aureo splendore fulgentes mulierem ornant; sic te, o Sponsa mea, Sanctorum atque Sanctarum varietas Sole ipso reddit splendidiorem. Innumera illa Sanctarum Virginum turba, Monachorum & Anachoretarum cœtus, Prædicatorum, Doctorum, ac Confessorum multitudo, invictorum Martyrum exercitus; hi *Capilli tui sunt, sicut greges Caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad*, in quo pascua uberrima virent; inde autem pinguissimæ redierunt. O admiranda Spiritus Sancti verba! Animadvertite, obsecro filii, amplissima mysteria: *Mons* hic Christus erat, verè *Mons Galaad*, qui *acervum* designat *testimoniorum (b)*; fuit quippe Verbum caro factum, testimoniorum acervus; ipsum namque omnes quotquot præcesserant Patriarchæ Sanctissimi atque Prophetæ, ipsum omnia cunctorum Oracula, Prophetiæ ac figuræ respiciebant; in ipso omnia consummata sunt, & adimpleta. *In hoc monte pascua* uberrima invenerant primi illi *nascentis, ut ita dicam, Ecclesiæ* alumni; & ideo *caritate tam pingues prodibant,* quia pascebantur in Monte hoc, quia *Christi Crucis ac Passionis* meditatione nutriebantur. Hæc Virginitatem servare suadebat, hæc ad antra & densissimas solitudines, relictis Civitatibus, homines etiam primores adigebat; hæc carnem domare, hæc vincula, catenas, carceres, equuleos, lapides, ignes, gladios, mortem denique non modo æquo animo perpeti, sed etiam veluti dulcissimam potionem appetere atque absorbere cogebat. Quid ego innumera hic sanctissimorum hominum exempla commemorem? Unum dumtaxat referam quadraginta fortissimorum Militum, invictæque cujusdam Mulieris, quorum hodie in Romana Ecclesia Matre nostra Natalis recolitur dies. Rege Licinio, & Agricolao Præfecto ad Sebasten Armeniæ Urbe quadraginta militum Fides in Jesum Christum, & fortitudo in cruciatibus perferendis enituit. Isti in horribilem carcerem detrusi, vinculisque constricti, cùm ipsorum ora fuissent contusa lapidibus, in stagnum gelidissimum conjecti sunt. Una autem erat omnium oratio: Quadraginta in stagnum ingressi sumus, quadraginta item

(a) Cant. Cantic. IV. v. 1. | (b) Genes. XXXI. v. 47. & 48.

Domine, coronâ donemur; ne una quidem huic numero desit. Est in honore hic numerus, quem tu quadraginta dierum jejunio decorasti, per quem divina Lex ingressa est in orbem terrarum: Elias quadraginta dierum jejunio Deum quærens, ejus visionem consecutus est. Et hæc quidem illorum erat oratio; ceteris autem custodibus somno deditis, solus vigilabat Janitor, qui illos orantes, & luce circumfusos, solutam glaciem, & quosdam e Cœlo descendentes Angelos tamquam a Rege missos, qui coronas triginta novem militibus distribuerent, intuens, ita secum loquebatur: Quadraginta hi sunt; quadragesimi corona ubi est? Quæ dum cogitaret, unus ex illo numero, cui animus ad frigus ferendum defecerat, in proximum tepefactum balneum desiliens, sanctos socios olim suos summo dolore affecit. Verùm Deus illorum preces irritas esse non est passus; nam rei eventum admiratus Janitor, mox custodibus e somno excitatis, detractisque vestibus, ac se Christianum esse clara voce professus, injecit in stagnum. Postridie manè, cùm satellites Janitorem quoque Christi Fidem amplexum fuisse cognovissent, pertractis omnibus ad litus, bacillis comminuta eorum crura fregerunt. In eo supplicio mortui sunt omnes, præter Melitonem natu minimum, quem, cùm præsens mater ejus, fractis cruribus adhuc viventem vidisset, sic cohortata est: Fili paulisper sustine: Ecce Christus ad januam stat adjuvans te. Cùm verò reliquorum corpora plaustris imponi cerneret, ut in rogum inferrentur, ac filium suum relinqui (eò quòd speraret impia turba, puerum, si vixisset, ad Idolorum cultum revocari posse) ipsum super humeros ferens Genitrix, vehicula Martyrum corporibus onusta strenuè prosequebatur, in cujus amplexibus Meliton spiritum Deo reddidit, ejusque corpus in eumdem illum ceterorum martyrum rogum pia Mater conjecit; ut qui Fide & virtute conjunctissimi fuerant, funeris etiam societate copulati, unà ad Cœlum pervenirent. Audistis, filii, Martyrum constantiam, Matris invictam fortitudinem, atque in puero virile animi robur? Audistis, quomodo priùs eorum animas divinus ignis, quàm corpora terrestris flamma combusserit; quomodo in gelidissimo etiam stagno nudi æstuaverint? Hæc omnia iis contulit Christi Crucis & Passionis meditatio. Hujusmodi innumera tunc temporis exempla cernebantur, quia vivificæ Crucis memoria eorum animis adeo erat impressa, ut eadem continuò mentibus obversaretur. Audite, quid Apostolorum temporibus proximus Tertullianus, Auctor gravissi-

vissimus de illis scripserit (*a*): *Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conversatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus.* Ideo B. Ephrem (*b*) cùm fratres suos admonuisset, ut postes suos pretiosa ac vivifica Cruce coronarent: *Depingamus*, inquit, *in januis, in frontibus nostris & oculis, & in ore ac pectore, & in omnibus membris nostris vivificum hoc signum Crucis. Armemur invincibili hac Christianorum armatura: quippe quæ victrix est mortis, spes fidelium, lux finium orbis terræ, reseratrix Paradisi, propulsatrix atque destructrix hæresum, firmamentum orthodoxæ Fidei, magna salutarisque custodia, & gloria perpetua Orthodoxorum Ecclesiæ.*

Studet quidem èt nunc, dilectissimi in Domino, Sancta Mater Ecclesia, filiis suis in re qualibet Crucis quoque memoriam suggerere, in Sacramentis, & in Benedictionibus, in Ordinationibus Sacris, in Missæ Sacrificio, in precibus, & in supplicationibus in Ecclesiis, & in altissimis turribus, in viis, cùm regeneramur fonte Baptismatis, quamdiu vivimus, & demum cùm morimur, sive in strato domestico, sive cùm ad supplicium aliquis ob admissa facinora ducitur, sive etiam post mortem, cùm ad sepulcrum cadavera deferuntur: *Ubique omni tempore adhiberi Crucem, præferri Crucem, ostendi vult Crucem, ut numquam Crux animis hominum excidat. Hanc ob rem*, venerandi Sacerdotes, & cùm Sacros Ordines suscepistis, Crux adfuit, & Crucem in capite ge[illegible]tis, & Sacra facientes Cruce ex omni parte ante & retro, stola [illegible] humeris, manipulo e brachio pendentibus, estis toti muniti, c[illegible] cumsepti, circumdati. Huc divina omnia Officia, quæ persolvi[illegible] quotidie, diriguntur; huc distinctæ per noctem ac diem Ho[illegible] tendunt, ut nempe expressiùs, quid quavis hora Dominus pass[illegible] sit, recogitetis. Ideo, filii, animarum Pastores Episcopi Cruce[illegible] collo appensam deferunt, ideo illis Crux præfertur, ideo vos o[illegible] nes nobis obvios Cruce signamus, Cruce benedicimus. Deniq[illegible] salutare hoc signum in Catholicis regionibus passim objicitur, qu[illegible] benignissima nostra Mater Ecclesia optaret, nos non degener[illegible] esse Majorum nostrorum filios; nos Christianam Fidem verè pr[illegible] fiteri; primis illis temporibus infelicia hæc secula adæquari; m[illegible] moriâ Dominicæ Passionis nos semper teneri; eam continuò med[illegible] tari ac recolere; illi omnia nos accepta referre; confiteri nos p[illegible] blicè Christum Crucifixum; denique non erubescere gloriam no[illegible]

tram

(*a*) Lib. *de Corona Militis* Cap. III. | (*b*) In Sermone *de vivifica Cruce*.

tram, quæ sola est in Cruce Domini nostri Jesu Christi (*a*). Sed proh dolor! Frustratur Mater piissima justissimis suis desideriis ac votis. Refriguimus nimiùm, defecit in nobis caritatis fervor: Ideo meritò vice nostrùm conqueritur Jeremias: *Væ nobis, quia declinavit dies, quia longiores factæ sunt umbræ vesperi* (*b*)! O nos infelices, pauperes & miseros, qui ad vesperam devenimus, in qua (sicut in diei vespera) tria nobis eveniunt: Primò enim deficit calor, longiùs recedente Sole; Idem prorsus accidit nobis, juxta quod Christus prædixerat: *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum* (*c*). Refriguit sanè caritas in Deum, refriguit dilectio in proximum; periit purus & sanctus Amor nostri, & viget tantùm inordinatus & impurus, malorum omnium fons & origo. Secundò, eadem de causa deficit lumen & splendor, aliò vergentibus solaribus radiis: Obscurantur oculi nostri in spiritualibus; & licèt perspicacissimi quidam nunc sint in terrenis negotiis tractandis, & lynceos habeant oculos ad temporalia procuranda, hebetes tamen sunt prorsus, & obtusâ oculorum acie, ad ea videnda, quæ in primis videre oporteret: *Sapientes* quidem *sunt, ut faciant mala, bene autem facere nescierunt* (*d*), de quo etiam lamentabatur Dominus dicens: *Quia filii hujus seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt* (*e*). Contingit nobis quod sævissimus ille Naas Ammonitarum Princeps Galaaditis facere decreverat (*f*); sed illi recusarunt: nos verò ultro & sponte oculos dexteros erui nobis permittimus, & sinistros tantùm retinemus; oculum, quo essent spiritualia cernenda, rejicimus, eo solo contenti, quo vana & temporalia intueamur. Tertiò demum in diei vespere umbræ fiunt longiores. Quid, obsecro, omnia Mundi bona, honores, divitiæ, quid voluptates, pompæ, convivia, quid omnia sensuum oblectamenta, nisi umbræ, sed fallaces bonorum, quæ vera sunt? Quonam apposito magis quàm umbræ nomine eorum potuisset vanitas exprimi? Et hæ umbræ factæ sunt longiores, quia multò jam pluris æstimamus caduca hæc bona, quàm mereantur: de his solis soliciti sumus & angimur; spiritualium verò atque cœlestium obliviscimur, imo nec locum aut tempus hisce optandis, quærendis ac considerandis invenimus, toti in illis immersi atque occupati. Cùm verò coangustatum sit stratum, & breve sit pallium, duos excipere & operire non potest; quapropter rejicitur Christus & exci-

(*a*) *Ad Galat. VI. v. 14.*
(*b*) *Jerem. VI. v. 4.*
(*c*) *Matth. XXIV. v. 12.*
(*d*) *Jerem. IV. v. 22.*
(*e*) *Lucæ XVI. v. 8.*
(*f*) *I. Regum XI. v. 2.*

excipitur Dæmon, negligitur Cœlum & appetitur Mundus: vera bona contemnimus, falsa complectimur; Solis splendor recedit, & umbræ fiunt longiores. Demum (proh dolor!) sicut Sol ab hemisphærio nostro recedens ad Antipodas tendit, illisque clarissimus dies illucescit, ac solaribus radiis ad ipsos adventantibus noctis caligo repellitur, calefiunt & illuminantur: Sic (o nos miseros!) recedit a nobis Sol Justitiæ Christus, & ad eosdem Antipodas tendit; ad Indos, ad Insulas illas nuper recognitas, ùt audimus quotidie: & illi quidem caritate inflammantur & splendent; nos verò atra noctis caligine paulatim involvimur.

Dulcissime Jesu: Ob hoc, inter cetera innumera, tu es Sole nostro quoque præstantior, quòd nequaquam, ùt ille, unicam tantùm Mundi partem eodem tempore illuminare potes aut calefacere; imo si infiniti adessent Mundi, omnibus infinitum tuum lumen illucesceret. Bene ergo audimus, quòd ad oppositas remotasque gentes lucem tuam transmittas; sed *mane* etiam *nobiscum* Domine, *quoniam* nobis, ùt flens video, *advesperascit* (a). Mane nobiscum gratiâ tuâ, splendore tuo & calore; mane in cordibus nostris, in voluntate, in intellectu, in memoriæ nostræ penetralibus: Fac tui semper recordemur, *Passionis tuæ acerbissimæ* semper memores simus, te semper crucifixum ante corporis & animi oculos propositum habeamus. *Non digni* sumus, qui tantum a te munus expectemus, *ut corpore nostro sacratissima* Stigmata tua, ùt olim servo tuo *Francisco aliisque*, manifestè imprimantur; nec desiderare præsumimus, ut iisdem latenter signemur, quemadmodum Sponsæ tuæ *Catharinæ Senensi*, id ex humilitate a te postulanti, concessum est.

Siquidem dona tua hæc sunt & munera pretiosissima in eos tantùm collata, qui egregiis virtutibus, & ardentissima caritate ad ea recipienda se disposuere, prout etiam duæ illæ adhuc viventes Mulieres, de quibus nuper, ùt diximus, ex fide digna relatione accepimus. Sed hoc te saltem rogamus, ut nostris tuum inferas amorem pectoribus, ut insculpantur cordibus nostris tua sacratissima Stigmata, spinæ tuæ, ac flagella; ut tibi condoleamus, intimè sentiamus acerbissimos dolores tuos, atque eosdem etiam in corpore nostro portemus, *semper mortificationem tuam in corpore nostro circumferentes*; *ut vita tua manifestetur in nobis* (b), & tibi hic compatientes, tecum quoque conglorificari mereamur (c). Amen.

HO-

(a) *Luc. XXIV. v. 29.* | (b) *II. ad Corinth. IV. v. 10.* | (c) *Ad Roman. VIII. v. 17.*

HOMILIA CIII.

IN EVANGELIUM JOANNIS


CAP. IX.

DE CÆCO

Habita in Basilica Metropolitana Mediolani

Dominica IV. Quadragesimæ

ANNO MDLXXXIV. XI. MARTII.



OSTER in aëre Sol refulgens, dilectissimi filii, perpetuò vastam hanc Mundi machinam circuit, se ipsum suosque radios diversimode inferioribus omnibus creaturis communicans; siquidem illuminat, calefacit, & fœcundam reddit terram universam: Verùm pro rerum diversa dispositione, diversos èt ipse operatur ac producit effectus. Nam alii quidem Soli fenestras occludunt, & quamvis splendidissimam lucem effundat, in tenebris tamen ipsi versantur; alia liquefiunt & molliuntur, ùt cera & glacies; nonnulla obdurantur, ùt lutum; quædam penitus exiccantur & arefiunt, ùt herbæ & plantæ; imo quibusdam Sol ipse mortis etiam est causa, humores in eis aut ferventiùs exagitans, aut adeo condensans, ut lethales plerumque morbos gignant. Sic æternus ac splendidissimus justitiæ Sol, Dominus noster Jesus Christus semper, & præcipuè cùm inter homines versaretur in terris, circumiens Palæstinam, ac per Civitates Vicos & Castella discurrens, id solum curabat, ut omnes illuminaret doctrinà, miraculis, atque operibus; inflammaret caritatis igne, quem venerat mittere in terras (*a*); corda emolliret, ac lapidea auferens & dura, carnea ac mollia introduceret (*b*); denique omnes homines bonis, ac Christianis virtutibus fertiles

(*a*) *Lucæ XII. v. 49.* | (*b*) *Ezechiel. XXXVI. v. 26.*

fertiles redderet atque fœcundos. Verùm diversimode hæc ei contigère, pro eorum, quibus loquebatur, varia diversaque animi dispositione: Aliqui enim lumen recipiebant, ùt hodiernus hic Cæcus; alii verò magis obdurabantur, ùt obstinati Judæi, & perfidi Pharisæi, quærentes divinam gloriam obtegere; cùm videntes nollent videre, superbiæ & invidiæ cœno excæcati, imo proficerent etiam in iniquitate, obstinationi suæ hoc gravissimum scelus adjicientes, ut èt ipsum Cæcum Deo gloriam dantem persequerentur: Ita verò, cùm Christus Dominus plerisque vitam corporis & spiritûs esset largitus, istis tamen non ex suæ benignitatis defectu, sed eorum malitiæ culpâ fuisse quodammodo videbatur mortis occasio; unde etiam de se ipso dicebat: *Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent* (a). Hoc idem in Evangelio Dominicæ præteritæ docuit Spiritus Sanctus accidisse (b), nam etiam illic clarissimos doctrinæ suæ radios emisit Dominus Jesus, sicut hodie illustri ac celeberrimo miraculo, quo Cæcum a nativitate, lumen cœli videre jussit: Utrobique tamen cœlesti lumini rebelles extiterunt ingratissimi Judæi; illic enim in convicia atque injurias prorumpentes, demum lapides arripuere; hic verò ad Cæci persecutionem, ejusque tamdem maledictionem devenerunt, eumdem quoque a Synagoga ejicientes. Congruè igitur Ecclesia Sancta primo Evangelio adjecit hodiernum, sicut de causa Evangelista Joannes illi historiæ istam subtexuit: qua etiam ad duabus subsequentibus Dominicis Evangelia recitabuntur, singillatim enarrantia, quibus ad iracundiam in Dei Filium ac mortem ei tamdem inferendam magis in dies Judæi acuebantur; ex his omnibus nos ad eamdem æterni Dei Passionem & mortem piâ religiosi animi meditatione recolendam excitemur. Magna sunt hæc, quæ hodie consideranda & a vobis diligentiùs attendenda proponuntur, eò quòd quamplurima contineant ad instructionem nostram admodum proficua: Docemur namque, quanta Domini nostri liberalitas, se suaque dona nobis clargiendo, quantùm studuerit omnibus benefacere, & qua itidem ratione: Tum verò, qua obedientia & humilitate æquum sit, ut nos amplectamur salutis nostræ media, quæ ipse Dominus suggerit, & qua constantia, animique gratitudine, Cæci hujus exemplo, post acceptam gratiam tentationibus omnibus obsistere debeamus, & ad varias tribulationes perferendas, Mundique persecutiones invicto animo sustinendas

(a) Joann. XV. v. 22. (b) Ibidem VIII. v. 31. & seqq.

ſtinendas præparemur: Poſtremò, quibus muneribus ac beneficiis idem Dominus in ejus Fide conſtantes remuneretur, & qua eos paterna dilectione complectatur: Quæ omnia breviter, per ampliſſimum hodierni Evangelii campum excurrentes, ſummis ſaltem labiis, Domino juvante attingemus.

Et præteriens Jeſus (*a*). Res magna quidem hæc eſt! Neque verò abſque fructu maximo ullus Chriſti tranſitus evenit. Diſcurrebat per Civitates & vicos quotidie, quærens hominibus quibuſcumque prodeſſe, atque eorum corpori & animæ conſulens. Ecce hodie pariter *præteriens*, mendicum Cæcum non præterivit, ſed *vidit* eum. O felicem illum, qui ab eo meruit ac potuit videri, cujus *oculi ſunt ſuper juſtos* (*b*)! Beatum illum, in quem Divinæ clementiæ directi ſunt radii! Et ſane, quid non effecit Dei Filius, in aliquem oculos figens? Zachæum videns, ſui hoſpitem reddidit; Magdalenam aſpiciens, ex peccatrice in Apoſtolam, & ex vaſe contumeliæ in vas gloriæ convertit; Matthæum ex telonio ad ſe pertraxit; duos etiam Fratres retia mittentes in mare, ex piſcatoribus piſcium piſcatores hominum fecit: Demum iiſdem oculis Petrum aſpiciens, ad amariſſimè flendam perjurii ſui culpam adegit, atque uberrimos lacrymarum fontes coëgit emittere. Verè beatos, quos eo, quo hunc hodie hominem cæcum *vidit*, dignatur Chriſtus intuitu! qui etiam in via præteriens ſolicitùs quærebat occaſiones operandi opera Patris ſui, infinitam videlicet miſericordiam ſuam exercendi.

Hinc ergo Diſcipuli, qui cum illo erant, nacti cauſam interrogandi, ab eo perquirunt: *Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur* (*c*)? neque enim hic potuit, antequam naſceretur, actu peccaſſe, neque juſtum videtur, ut pro peccatis parentum hic natus ſit cæcus, & tot annos vixerit dulciſſimâ lucis uſurâ carens. Hoc autem nemini accidere poſſe exiſtimabant, niſi præcedente peccato, qui paulo ante ipſummet Dominum alteri ſanitate donato dicentem audierant: *Ecce ſanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat* (*d*); tum quia etiam infirmi adhuc, & multarum rerum inſcii hoc errore cum ceteris Judæis detinebantur, qui felicitatem omnem terrenis hiſce bonis & præmiis metientes, eos tantùm adverſis affligi, & mala pati reputabant, in quos ob peccata Deus ad iracundiam provocatus

(*a*) *Joann. IX. v. 1.*
(*b*) *Pſalm. XXXIII. v. 16.*
(*c*) *Joann. IX. v. 2.*
(*d*) *Ibidem V. v. 14.*

catus vindictam pararet: unde ſi quempiam in ærumnis conſti-
tutum vidiſſent, aut temporalibus conſolationibus carentem, hunc
ſtatim peccatorem eſſe ſuſpicabantur. Quoniam verò Dei juſſu
in Sacris Literis ſcriptum legerant: *Anima, quæ peccaverit, ipſa
morietur: filius non portabit iniquitatem patris* (*a*); ideo ancipites ad-
modum animo hærebant, peccaſſet-ne hic, aut parentes ejus.
Sed errabant omnino, nam etiam filii pro parentum peccatis
plerumque puniuntur; & non quicumque adverſa patiuntur, hi
peccavere. Utrumque verò & ipſiuſmet Domini verbis, & exem-
plis clariſſimè dignoſcimus. Ac, ut de primo ſermo ſit, non-
ne Dominus loquens populo Iſraëlitico, ait: *Ego ſum Dominus
Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in ter-
tiam & quartam generationem eorum qui oderunt me* (*b*)? Moyſes
item, cùm *poſteriora* Domini *vidiſſet*, annon exclamavit: *Do-
minator Domine Deus, miſericors & clemens, patiens & multæ miſe-
rationis, ac verax. Qui reddis iniquitatem patrum filiis, ac nepoti-
bus in tertiam & quartam progeniem* (*c*)? Jeremias etiam inquit:
*Domine Deus, qui facis miſericordiam in millibus, & reddis iniqui-
tatem patrum in ſinum filiorum eorum poſt eos* (*d*). Exemplo verò
id quoque dilucidè compertum eſt nobis; nam & Davidis fi-
lius ex peccato natus, morte mulctatus a Domino fuit, qui
tamen nihil ſceleris perpetraverat: Quinimo pro ejuſdem Re-
gis peccato, ipſius populum dira peſte percuſſum agnovimus (*e*);
& mortuos quoque ſcimus Infantes innocentes propter peccata
Sodomitarum (*f*). Verùm conſideratione res eget; nec enim
Dei juſtitia patitur, ut quis propter peccata, quæ non com-
miſit, puniatur. Sed quoniam in difficultatem hanc incidi-
mus, facilè ab ea nos expediemus, ſi ſtatuamus, pœnam quam-
libet poſſe bifariam accipi, aut ſub ratione pœnæ pro peccato,
aut pro medicina peccati: Primo modo ſumptam, quis dubitat
eam ſoli peccato deberi? & ſic *anima* ſola, *quæ peccaverit, ipſa
ſola morietur: & filius non portabit iniquitatem patris*: Pœna autem
ſecundo modo conſiderata prout eſt medicina, irrogatur aliqui-
bus abſque propria quidem culpa, verùm non abſque cauſa.
Hujuſmodi pœna non ſolùm virtutem tutatur, ſed etiam a vi-
tiorum labe eximit; illamque æquo animo ferentibus mirabili-
ter

(*a*) *Ezechielis XVIII. v. 20.*
(*b*) *Exodi XX. v. 5.*
(*c*) *Ibidem XXXIV. v. 6. & 7.*
(*d*) *Jerem. XXXII. v. 18.*
(*e*) *II. Reg. XXIV. v. 15.*
(*f*) *Geneſ. XIX. v. 25.*

ter prodest: Isti verò ita affliguntur, ut pro aliorum peccatis jacturam non faciant bonorum spiritualium atque æternorum, sed corporalia tantùm & temporalia amittant. Et quoniam ad corpus pertinent res & bona patrum ac dominorum, puniuntur filii aliquando pro eorum peccatis, & e converso patres ac domini: In istis quidem pœna sunt, quæ patiuntur; in filiis autem & servis sunt medicina, ne similibus sceleribus contaminentur: Et ita hujusmodi pœna cedit in bonum eorum, quos afficit; aliquando enim calamitate urgente ad meliorem frugem se recipiunt; aliquando e vita migrant, ne in crimina prolabantur. Unde illi, qui propter Davidis peccatum mortem subiere (a), si inter justos numerabantur, a Mundi laboribus & ærumnis erepti fuere, atque a flagitiis, in quæ incidere potuerant, præservati. Similiter innocentibus Sodomæ utilis mors fuit, ne viventes se vitiis parentum coinquinarent. Itaque non inficiamur, quosdam non raró pro aliorum delictis puniri, sed non in spiritualibus æternisque bonis; nisi ipsi consentiant aliorum iniquitati, ejusque se participes reddant: Tunc enim punit Deus patres in filiis, & nepotibus usque ad tertiam, & quartam generationem. Quare autem filii innocentes propter patrum scelera in corpore solummodo, non verò in anima puniantur, id evenit, quia filii res patrum sunt quoad corpora, quæ genuerunt, non autem quoad animas, quas solus Deus creavit.

Alterum verò quod innuebamus, temporales nempe adversitates atque ærumnas non solis peccantibus a Domino inferri, nobis apertè compertum fiet, si tribulationum causas perpendamus. Siquidem Dominus quoque Apostolis interrogantibus respondit: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus* (b). Porrò Deus temporalibus pœnis & peccatores quandoque plectit, & justos; sed diversis de causis. In peccatoribus quidem afflictio corporis ac bonorum, est plerumque sceleris commissi correctio, vel æternæ pœnæ, quæ eos manet, initium: At secus in justis, qui pluribus de causis multa hic pati permittuntur, quarum aliquæ ad ipsos spectant, nonnullæ ad alios, aliquæ demum ad Deum ipsum, cujus jussu & voluntate vexantur.

Ac quoad ipsos quidem; quis nesciat, *septies in die justum cadere* (c)? neminem hic non peccare, aut in aliquo non offendere

(a) *II. Regum XXIV. v. 15.*
(b) *Joann. IX. v. 3.*
(c) *Proverb. XXIV. v. 16.*

dere (a)? Altera verò ex parte dubium non est, nihil coinquinatum posse in sanctam illam ac purissimam Civitatem intrare (b). Sunt ergo omnia vèl levia delicta, antequam illuc intretur, expianda atque delenda: Et ecce, quia prima hæc causa est, cur justi multa patiantur, nempe ut a nævis animæ inspersis expurgentur. Ita de Lazaro Pater *Abraham dixit: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris* (c). Nec verò præterita purgasse sat esset, nisi èt futura cavere studeremus: Quoniam autem, qui virtutum meritis cumulantur, facilè tentante Diabolo de se plus æquo præsumerent; ideo nos maximè præservat immissa tribulatio, adversùs vanæ gloriæ pestem atque jactantiam; quod Propheta cùm nosset dicebat: *Bonum mihi*, Domine, *quia humiliasti me* (d): & Paulus, *ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet* (e); & ecce secundam. Tertia verò est, ut eorum singularis patientia, animique constantia ceteris innotescat: *Numquid Job frustra timet Deum?* dixit Satan Domino: *Nonne tu vallasti eum, ac domum ejus, universamque substantiam per circuitum, operibus manuum ejus benedixisti, & possessio ejus crevit in terra* (f)? ac si diceret, non mirum esse, si virtutem ille sequeretur, tantâ fruens opulentiâ. Deus autem ut ostenderet, Sanctos suos non ipsum colere propter terrenam mercedem, omnem a servo suo Job substantiam eripuit, eum adigens ad paupertatem, & in gravissimum morbum incidere permittens. Quarta est, ut Justi magis conspicui reddantur: *tribulatio enim patientiam operatur: patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit* (g); & sicut in fornace aurum examinatur, sic èt homo in tribulationis camino (h). Quinta demum, ut cumulato ampliùs eorumdem merito, auctiora fiant èt præmia: *Non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (i).

Quoad alios verò, Justi primò adversis rebus premuntur, ne qui eorum vitam intuentur, de iis plus æquo sentiant; ideoque Paulus Corinthiis scribebat: *Nam, & si voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem enim dicam: parco autem, ne quis me existimet supra*

(a) *Jacob. III. v. 2.*
(b) *Apocalyps. XXI. v. 27.*
(c) *Luca XVI. v. 25.*
(d) *Psalm. CXVIII. v. 71.*
(e) *II. ad Corinth. XII. v. 7.*
(f) *Job I. v. 9.*
(g) *Ad Roman. V. v. 3. & seq.*
(h) *Ecclesiastici II. v. 5.*
(i) *Ad Roman. VIII. v. 18.*

pra id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me (*a*). Poteram enim, (quasi dicat) majora enarrare miracula, sed nolo, ne fortè miraculorum magnitudo in majorem me hominum existimationem inducat; unde èt subdit: *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi* (*b*). Hac de causa Petrus & Joannes, cùm divitem illam eleemosynam, nempe sanitatem pauperi ad Speciosam Portam petenti tribuissent, dicente Petro: *Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Jesu Christi Nazareni surge, & ambula* (*c*), & protinus ille surrexisset, & ambulasset, stuperentque omnes: *Viri Israëlitæ* (subjunxit Petrus,) *quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare* (*d*)? Sic Lystris cùm Paulus & Barnabas morarentur, & Paulus claudum a nativitate solo verbo sanasset: *Turbæ levaverunt vocem suam Lycaonicè dicentes: Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam Jovem, Paulum verò Mercurium: quoniam ipse erat dux verbi. Sacerdos quoque Jovis, qui erat ante Civitatem, tauros, & coronas ante januas afferens, cum populis volebat sacrificare. Quod ubi audierunt Apostoli, Barnabas & Paulus, conscissis tunicis suis exilierunt in turbas clamantes, & dicentes: Viri, quid hæc facitis? èt nos mortales sumus, similes vobis homines* (*e*). Quocirca huic malo consulens Dominus, servos suos affligi in hoc seculo, & plura pati permittit, ne plus quàm homines a ceteris reputentur.

Secunda verò causa est, ut alii hoc videntes animum suum erigant, cùm eadem, aut similia ipsos pati contigerit; quod etiam Dominus significavit, cùm dixit: *Beati estis cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùm vos mentientes propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos* (*f*). Tertia subinde causa est, ut inexcusabiles simus, si Sanctorum virtutes imitari non studuerimus, cùm fuerint ipsi quoque infirmi ac fragiles, & ejusdem, cujus nos sumus naturæ; ac voluntate tantùm dissimiles, quam illi totam Deo dicaverunt, nos verò nobis reservamus, unde Jacobus Apostolus ait: *Elias homo erat similis nobis passibilis* (*g*), & alibi in Sacris Literis: *Sum quidem èt ego mortalis homo, similis omnibus* in patiendo (*h*).

Quarta

(*a*) *II. ad Corinth. XII. v. 6.*
(*b*) *Ibidem v. 9.*
(*c*) *Act. Apost. III. v. 6.*
(*d*) *Ibidem v. 12.*
(*e*) *Ibidem XIV. v. 10. & seqq.*
(*f*) *Matth. V. v. 11.*
(*g*) *Jacobi V. v. 17.*
(*h*) *Sapient. VII. v. 1.*

Quarta est, ut nossent homines, non in temporalium bonorum copia sitam esse felicitatem, nec in eorum indigentia & privatione miseriam; non beatos esse censendos, qui divites, qui potentes, aut Principes sunt; nec miseros pauperes, nam *quem diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit* (*a*). Quinta demum est, ut a præsentibus cogitationem attollentes, futura spectemus; & morientes quidem carne, resurrecturos nos tamen aliquando in vitam æternam certò sciamus: *Si* enim, inquit Paulus, (*secundùm hominem*), *ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur* (*b*). Profectò enim *si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus* (*c*). At verò, cùm justos piosque viros, peccati prorsus expertes, in præsenti vita affligi animadvertimus, in spem firmissimam erigimur, aliam adfuturam vitam, in qua æterna illis consolatio reservetur.

Quoad Deum tamdem, expedit Justos affligi; inde enim ejus honor & gloria apud homines magis elucet, vel cùm eum mira facientem per debiles & infirmos homines cernimus, vel cùm eumdem mirabiliter, quando libuerit, ab infirmitatibus servos suos sanantem, aut ab ærumnis liberantem demum majora bona, quàm quæ amiserant, retribuentem videmus; sicut Beato Job contigit.

Utrumque in hodierno Cæco manifestissimè eluxit, glorificatus est enim maximè Dominus, cùm mendicus hic Cæcus superborum Pharisæorum arrogantiam confutavit, & cùm admirabili modo illum corporis pariter atque animi luce donavit; ideoque meritò Dominus ait: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus: sed ut manifestentur opera Dei in illo* (*d*). Hujus verò divinæ gloriæ opportunitatem captam innuit, subdens: *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est.* Quid enim magis esuriebat aut sitiebat, filii, Dominus, quàm divinæ voluntatis executionem? Hic ejus erat cibus (*e*), hic potus: Hoc nos docebat, quantæ nobis curæ esse deberet, muneribus nostris adimplendis incumbere, atque in vocatione nostra constantes manere. O qualem tibi stimulum injiciunt hæc verba, Christiane! Etiam te oportet operari opera ejus, qui misit te, qui te creavit,

(*a*) *Ad Hebr.* XII. v. 6.
(*b*) I. *ad Corinth.* XV. v. 32.
(*c*) *Ibidem* v. 19.
(*d*) *Joann.* IX. v. 3.
(*e*) *Ibidem* IV. v. 34.

vit, qui te in hanc lucem edidit, non ut ociareris (audi enim dicentem: *Quid hic statis tota die ociosi* (a)?) non ut peccares: *nemini* enim *dedit spatium peccandi* (b); sed ut operareris: & hoc, *donec dies est:*

Venit enim *nox*, *quando nemo potest operari* (c). Tempus hoc acceptabile est; vita præsens, tempus est pœnitentiæ, dies hominis: *Sed veniet nox*, veniet mors, quando ab operibus destitisse nimiùm pœnitebit; & utinam non frustra pœniteat! *Hac* quippe *animadversione* inter ceteras *percutitur peccator*, *ut moriens obliviscatur sui*, *qui dum viveret oblitus est Dei* (d). O infelices illos, qui quamdiu possunt, bene agere nolunt! qui pœnitentiam differunt; qui dicunt: cras operabimur; cùm senuerimus, tunc resipiscemus, pœnitentiam agemus, malè acquisita restituemus, a carnalibus concupiscentiis abstinebimus. Ergo-ne inveterata plaga faciliùs curabitur? Ergo-ne facilior erit restitutio, cùm restituenda in ingentem numerum creverint? Ergo-ne tunc peccator, carnem & carnis concupiscentias deseres, & non potiùs ab illis derelinquêris? Nunc, nunc est operandum *donec dies est*; *venit* enim *nox*, *quando nemo potest operari*: *donec*, inquam, *dies est*; ne morte superveniente, quando minus cogitaveris (quod horrendum est dictu) in peccatis moriaris, atque æternis cruciatibus manciperis; *Si* enim *ceciderit lignum ad Austrum*, *aut ad Aquilonem*, *in quocumque loco ceciderit*, *ibi erit* (e): Si in peccato vitâ decesseris, in æternum peribis; si in gratiæ statu morieris, in æternum coronaberis: Et ideo imprimat cordi suo quilibet nostrûm hodie Sapientissimi illius verba: *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus*, *nec ratio*, *nec sapientia*, *nec scientia erunt apud inferos*, *quò tu properas* (f).

Expuit Dominus *in terram*, *& fecit lutum ex sputo*, *& linivit lutum super oculos ejus*, *& dixit ei: Vade*, *lava in natatoria Siloë* [*quod interpretatur Missus*] (g): Quæ omnia, quis non videt, quantis sint referta mysteriis? Poterat quidem sine sputo, unico dumtaxat verbo illum sanare, qui solo verbo cuncta creaverat, & qui unico jussu multa alia miraculosa peregerat: Sed sputum, & lutum adhibuit, ad hoc ut se verum hominem ostenderet, & Humanitatem suam præcipuum esse Divinitatis organum, cùm *virtus*

(a) *Matth. XX. v. 6.*
(b) *Ecclesiastici XV. v. 21.*
(c) *Joann. IX. v. 4.*
(d) S. Augustinus Serm. III. de SS. Innocent.
(e) *Ecclesiastes XI. v. 3.*
(f) *Ibidem IX. v. 10.*
(g) *Joann. IX. v. 6. & 7.*

virtus de illo exiret, & sanaret omnes (*a*). Usus verò est medicinâ, curando Cæco adeò contrariâ, nempe luto, quod excæcandis pociùs, quàm illuminandis oculis aptum videtur: Primò, ut carnis prudentiam atque sapientiam stultam efficeret, qua freti nos ea plerumque nobis noxia fore putamus, quæ tamen postmodum plurimum afferunt utilitatis. Discas èt hinc, o Christiane, cùm tibi adversa contingunt, liberi eripiuntur, amici deficiunt; cùm substantias tuas latro rapit, vel hostis evertit, aut ignis absumit; cùm contumelias pateris, discas, inquam, spem non abjicere: nam luto Cæcus lumen recipit; nec dissimiliter his fortè mediis, quæ felicitati a te quæsitæ videntur opponi, vera tibi præparatur felicitas: Secundò, ut mente perciperemus, Deum, etsi aliquando creaturis utatur ad opera sua perficienda, non tamen earum egere adminiculo; ideoque contraria adhibet medicamenta. Quid putas, o homo, cùm Dominus te gratiæ suæ ministrum facit, ut peccatores convertat, aut præclarum quodpiam agat, te aliquid esse; virtuti tuæ adscribi debere, nec sine te fieri illud potuisse? Agnosce, & vide, quia nudum es Dei instrumentum, calamus & non scriba, malleus & non faber, lutum & non Christus; adeoque quòd tibi potiùs competat, spectatâ pravâ tuâ indole, lumen auferre, quàm dare; *pronus es siquidem in malum ab adolescentia tua* (*b*).

Luto quoque sanavit, se Redemptorem ostendens ejus, quem e luto formaverat. In Sabbato Cæcum luce donavit, ut se Dominum Sabbati declararet. Misit ad Siloë, ut ex longo itinere per civitatem manifestius miraculum fieret: Omnia verò hæc simul, ut Cæci Fides & obedientia exerceretur; scirentque omnes, Cæcum Domino imperanti cæcè paruisse, etiam in iis, quæ non modo non utilia, sed noxia fore, humano fretus consilio, judicare forte potuisset. Sic Saulus, cùm a Domino confestim visum recipere valeret, humiliatus tamen ad Ananiam est missus (*c*), ibique sanitatem obtinuit. Sic Naaman Syrus postquam diu hæsitasset, tamdem ut a lepra mundaretur, Prophetæ sibi obtemperandum esse cognovit, & ad Jordanem accedendum, in quo septies lotus morbo depulso convaluit (*d*): ut hinc colligant, quàm impie agant, qui Superiorum, & Majorum suorum facta aut præcepta temerè ad examen vocare præsumunt, soli-

(*a*) *Lucæ VI. v. 19.*
(*b*) *Genes. VIII. v. 21.*
(*c*) *Act. Apost. IX. v. 7. & seqq.*
(*d*) *IV. Regum V. v. 9.*

folicitè postulantes, quare hoc & non illud sit factum, & dijudicare audentes, quòd multò satiùs fuisset hoc præcipi, quàm illud: Si enim ad hæc inquirenda Cæcus iste animum curiosè convertisset, nequaquam profectò oculorum usum fuisset consecutus.

Porro superbissimum animal est homo; quo certè crimine nullum aliud magis Deus odit, atque execratur: Quid enim ille non est molitus, ut enorme hoc vitium ex hominum cordibus prorsus eradicaret? Hoc inter alia ad hominis intellectum deprimendum excogitavit, maxima nempe dona, per vilissima quandoque media ac instrumenta, illi tribuere; quemadmodum cum hodierno Cæco peregit. Quorsum, obsecro, tot mysteria in Sacramentis, sub communibus plerumque signis, aut panis vinique speciebus continentur? Essent quidem pleræque aliæ causæ in medium producendæ; sed inter omnes hæc non minima est reputanda, ut scilicet captivetur hominis intellectus in obsequium Fidei (*a*), & discamus, de nobis non nisi demissè sentire, *humiliemurque sub potenti manu Dei* (*b*).

Verùm majora adhuc, dilectissimi, sub saliva & luto latent arcana, quibus ne penitus frustremini, ea solùm indicasse sit satis: Lutum ex saliva, est *Verbum* æternum *caro factum*; linitio super oculos, est tanti mysterii Fides, est imitatio Christi virtutum. Cæcus mendicans, erat genus humanum; natatoria Siloë, Baptismus est, cujus fons Christus, qui e latere suo effudit aquas vivas & decurrentes, ad conficiendam natatoriam, in qua cùm spiritualiter renascimur, visum recipimus; idque credere hodiernum etiam miraculum cogit: Quis enim animadvertens, supra vim naturæ, aquis Siloë hodie Cæcum illuminari, & undis Jordanis mundari Leprosum, non credat etiam, sic Deo volente, iisdem vim inesse supernaturalem, hominum animas abluendi a peccatis, easque pristinæ innocentiæ restituendi? Verùm, filii, quantùm congruit huic sacratissimo tempori, quo ad Christi Domini Passionem meditandam vos hortari consuevimus, miraculi istius narratio! Quid quæso, est lutum ex saliva, nisi ille ipse Christus, Dei Filius conspututs, fœdatus, flagellis cæsus, vulneratus, ac Cruci pro nobis affixus? Sumus infelicissimi nos cæci omnes (quàmque hoc sit verum, nisi me tempus deficeret, & longiorem moram reliqua Evangelii

(*a*) *II. ad Corinth. X. v. 5.*

(*b*) *I. Petr. V. v. 6.*

gelii explicatio requireret, vobis apertè sub oculis ponerem: sed aliàs de hoc vobiscum Sermonem jam habui, novumque aliquando instituam) sumus igitur peccantes cæci. Quale ergo gaudium nobis esse potest, qui lumen non videmus (a)? Ergo-ne semper miseri futuri sumus? Minimè sanè: In nobis est, dilectissimi, illuminari, si velimus. Ad hoc duo nobis sunt peragenda: primò quidem luto liniendi sunt oculi nostri; considranda perpetuò sacratissima Christi Passio; revocandus in memoriam Dei Filius, pro nobis tam acerbè habitus: ille semper nobis ob oculos, & in corde esse debet; tum verò ad natatoriam Siloë, ad Sacramentum videlicet Pœnitentiæ debemus accedere, illicque lavari.

Sanctissima Christi vulnera, plagæ dulcissimæ, quàm suaves natatoriæ estis, ad quas si accesserimus leprosi, & peccatis innumeris fœdati, mundamur omnino atque lavamur! Cur non ego vos adeam? Cur non immergar totus in torrente sanguinis tui, benedicte Jesu? Nonne natatoriæ sunt plagæ tuæ, qui *Siloë* es, a Patre *missus* (b) ad hoc, ut sanguine tuo mihi lavacrum efficeres? Huc, huc dilectissimi, confugiendum; hic abluendi sumus, hic mundandi, hic illuminandi: neque enim aliunde salus nobis esse potest, quàm hic, unde bonorum omnium nostrorum fons emanat amplissimus. Quis umquam credidisset, luto Cæcum illuminandum? Et quis existimasset umquam, Christi opprobriis & sputis, flagellis ac spinis, Crucis ignominiâ & contumeliis universum terrarum orbem Divino subigendum imperio, Principem mundi hujus ejiciendum foras (c), dulcissima nos libertate filiorum Dei donandos, Cœli nobis januas aperiendas, de morte triumphum reportandum, Limbi carcerem recludendum, ac denique tot salutaria & prospera animarum bona fuisse derivatura? Confundere ergo humana superbia, & Deum nosce, Deum time, Deum solum adora.

SECUNDA PARS.

Abiit ergo, & lavit, & venit videns (d). Hic sane, Auditores, obedientiæ fructus est, corporis & animæ sanitas. Ad Dei potentiam atque virtutem manifestandam, per civitatem transivit qui priùs cæcus erat & mendicus, ac omnibus notus; quamobrem redeuntem illum non modo parentes ejus & vicini aspexere,

(a) Tobiæ V. v. 12.
(b) Joann. IX. v. 7.
(c) Ibidem XII. v. 31.
(d) Joann. IX. v. 7.

xere, sed etiam omnes Civitatis illius incolæ. Attamen qui cæcus erat, *videns* rediit: At qui se minimè cæcos, sed videntes reputabant, non poterant capere verbum istud; neque enim eis id humanâ ullâ ratione videbatur fieri potuisse.

Itaque vicini, & qui viderant eum priùs quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic est, qui sedebat, & mendicabat? Alii dicebant: Quia hic est. Alii autem: Nequaquam, sed similis est ei. Ille verò dicebat: Quia ego sum. Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi? Respondit: Ille homo, qui dicitur Jesus, lutum fecit: & unxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoria Siloë, & lava. Et abii, & lavi, & video. Et dixerunt ei: Ubi est ille? Ait: Nescio (*a*). Censebant isti, ea tantùm Dei Filium posse, quæ ipsi potuissent, Divinam potentiam a propria infirmitate metientes; & ideo, licèt expresse Cæcum audirent Deo gloriam dantem, sibi ipsis tamen minùs credentes, sapientiorum statuerunt perquirere & investigare sententiam. Sed miseri! quodnam lumen a *cæcis* illis, & *ducibus cæcorum* (*b*) recepturi erant, nisi ut pariter omnes in obstinationis & incredulitatis foveam præcipites ruerent (*c*)?

Adducunt ergo *eum ad Pharisæos, qui cæcus fuerat*. Egregios profectò Judices, qui hujus rei novitatem admirati, legale quasi examen instituentes, a Cæco in primis doceri volunt de eo, quod accidit; tum ab ejus parentibus idem expostulant, ac demum rursus eumdem, qui sanatus fuerat, ad se advocant: *Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi, quomodo vidisset. Ille autem dixit eis: Lutum mihi posuit super oculos, & lavi, & video. Dicebant ergo ex Pharisæis quidam: Non est hic homo a Deo, qui Sabbatum non custodit. Alii autem dicebant: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos. Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia Propheta est. Non crediderunt ergo Judæi de illo, quia cæcus fuisset & vidisset, donec vocaverunt parentes ejus, qui viderat* (*d*).

Videte autem, quàm malitiosè cum his omnibus egerint, ut Christi famam obtenebrarent, quantoque studio, ac malis artibus eos interrogando deterrere conarentur a veritate proferenda: *Interrogaverunt* enim *eos, dicentes: Hic est filius vester, quem vos dicitis quia cæcus natus est? Quomodo ergo nunc videt? Responderunt eis parentes ejus, & dixerunt: Scimus quia hic est filius noster, quia cæcus natus*

(*a*) *Joann. IX. v. 8. & seqq.*
(*b*) *Matth. XV. v. 14.*
(*c*) *Luca VI. v. 39.*
(*d*) *Joann. IX. v. 13. & seqq.*

natus est: quomodo autem nunc videat, nescimus: aut quis ejus aperuit oculos, nos nescimus: ipsum interrogate: ætatem habet, ipse de se loquatur. Hæc dixerunt parentes ejus, quoniam timebant Judæos: jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret. Propterea parentes ejus dixerunt: Quia ætatem habet, ipsum interrogate (a). Sed neque ab istis, quod optabant infelices, consequi potuerunt; siquidem *non est sapientia, aut consilium contra Dominum* (b); nec veritas latère potest, aut meridianus Sol abscondi, quin videatur.

Itaque denuo Cæcum hunc, modò videntem, aggrediuntur, sperantes, fore ut minacibus ac etiam injuriosis verbis ad veritatem negandam ille induceretur. *Vocaverunt ergo rursum hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo* (c). O miseri! Si gloriam Deo dederit, an vos credetis? Dabit certè Deo gloriam; sed vobis in desiderio esset, ut illam Deo negaret. Aliud dicitis ore, quàm conceperitis corde; dissentiunt a cogitationibus verba. *Nos*, inquiunt, *scimus, quia hic homo peccator est* (d). Et unde scitis? nempe quia contrarius est operibus vestris, & docet perversas esse vias vestras, detegens & damnans iniquitates vestras. *Dixit ergo eis ille: Si peccator est, nescio: unum scio, quia cæcus cùm essem, modò video. Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos? Respondit eis: Dixi vobis jam, & audistis: quid iterum vultis audire?* noverat enim, quo animo interrogarent, & ideo subdit: *Numquid & vos vultis discipuli ejus fieri? Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu discipulus illius sis: nos autem Moysi discipuli sumus* (e). O utinam talis in nos omnes maledictio jaciatur! Simus utinam veri discipuli tui, Domine Jesu; illi verò sint, cujus velint. Loquere nobis tu Domine, & non loquatur homo (f). Sed utinam Moysi etiam discipuli essent! Verùm ipse Moyses vos, o perfidi, accusabit (g), quem dicitis, quia Magister vester est, & quia scitis, quòd ei locutus est Deus; hunc autem, cui & Moyses perhibuit testimonium, & Patriarchæ omnes vestri atque Prophetæ, nescitis unde sit.

Respondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile est quia vos nescitis unde sit, & aperuit meos oculos: Scimus autem, quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc

(a) *Joann. IX. v. 19. & seqq.*
(b) *Proverb. XXI. v. 30.*
(c) *Joann. IX. v. 24.*
(d) *Ibidem.*
(e) *Ibidem v. 25. & seqq.*
(f) *Exodi XX. v. 19.*
(g) *Joann. V. v. 45.*

hunc exaudit. A seculo non est auditum, quia quis aperuit oculos caeci nati. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam (a). Sed quid in vanum laboras o homo? Quid fortitudinem tuam consumis, frustra fatigaris, atque in ventum projicis verba? Si Dominum tuum non audierunt, num te audient? Si ex Deo non sunt, sed ex patre Diabolo (b), num Dei verba suscipient? Si Dominum tuum (quemadmodum Dominico die præterito recitatum est) loquentem audire ampliùs non sustinentes, ad lapides accurrerunt, iisque illum conterere voluerunt, credent-ne tibi?

Responderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et ejecerunt eum foras (c). O intolerandam Pharisæorum superbiam, qui se a nemine doceri posse censebant, qui ceteros omnes, præter se ipsos, peccatores vocabant! O pervicacem eorum invidiam! qua tabescentes intimè quodammodo corrodebantur, ac, si in Christum præsentem manus tunc inferre potuissent, penitus dilaniassent; eum, inquam, a quo tam multis fuerant affecti muneribus, cùm tot eorumdem infirmos sanasset, atque ad filios Israël (d) in primis curandos accessisset.

O quanto studio ab hac dira peste cavendum est nobis, dilectissimi filii, peste, inquam, invidiæ! Hæc siquidem Spiritui Sancto adversatur, hostis est omnis boni, quod operatur Deus, ejus gratiam semper impugnans: hæc caritati virtutum omnium Reginæ directè opponitur, vitiis quibuscumque deterior; cetera quippe uni tantùm bono opponuntur, hæc verò omnibus. Hæc instigavit, armavitque Dæmonem ad humani generis perniciem procurandam: *Invidiâ* siquidem *Diaboli mors introivit in orbem terrarum* (e). Hæc malis & ærumnis proximorum pascitur atque impinguatur, velut ciconia stercoribus: hæc in amicos & fratres æquè desævit, ac in hostes acerrimos. Hæc difficillimè curatur; progreditur enim ac tantò augetur, quantò auctior est eorum quibus invidet proventus. Hæc demum excæcat hominem eo ipso fonte, unde lumen haurire debuerat: *per diem* enim *incurrunt* invidi *tenebras, & quasi in nocte sic palpant in meridie* (f). Quemadmodum enim oculos habens infirmos, Solis radiis offenditur; sic èt hi fratrum bonis læduntur: Heli similes (g), qui *nec poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur*. Sicut enim *diligentibus Deum omnia*

(a) *Joann. IX. v. 30. & seqq.*
(b) *Ibidem VIII. v. 44.*
(c) *Ibidem IX. v. 34.*
(d) *Matth. XV. v. 24.*
(e) *Sapient. II. v. 24.*
(f) *Job V. v. 14.*
(g) *I. Regum III. v. 2. & 3.*

omnia cooperantur in bonum (a), ita invidis omnia vertuntur in malum; siquidem serpentum more quidquid comedunt, in venena transmutant. Invidia soli miseriæ parcit, adeoque nobilitatis animæ hostis est sævissima, rabiem, qua repletur, in ejus perniciem effundens. Dum tamen alios lædere tentat, se ipsam priùs & possessorem suum dirè excruciat, laceratque; unde scriptum de ipsa legimus: *Invidiâ, Siculi non invenere Tyranni majus tormentum.* Hæc vitam ipsam consumit & membra, *putredo* siquidem *ossium* est *invidia* (b). Sicut autem caritas aliena bona, facit sua sine labore; sic invidia fatigatur & omnia amittit; & quemadmodum ex mutua dilectione Christi discipuli cognoscuntur (c), ita Diaboli filios designat Invidia. Hæc quoque corpus deformat, cùm ejusdem sectatores monstris similes, vultum minacem, torvum aspectum, pallorem in genis præseferant, tremulisque labiis, ac dentibus se invicem concutientibus contumeliosa verba effutiant, & violentas manus in æmulos injicere velle videantur. Hæc tamdem plerumque homines ad pessimum mortis genus trahit; quòd cùm in Sacris Literis de invidis adnotatum sit, *laqueo peribunt qui oblectantur casu justorum: dolor autem consumet illos antequam moriantur* (d). Sed quæ mala a te, veluti perniciosissimo fonte, non proveniunt, o lues invidiæ? Tu Angelorum omnium pulcherrimum, Dei Filio invidentem, ac ei similem se fieri appetentem, in profundum Gehennæ præcipitem detrudisti; Cain in fratrem innocentissimum Abel armasti; fratres Joseph adegisti, ut eum Ismaëlitis impiè venundarent; maledictis Pharisæis, ut Christo mortem inferrent, suasisti. Tu hostis Dei atrocissima, Spiritus Sancti adversaria, impugnatrix gratiæ, inimica caritatis; tu fera pessima, stimulus Diaboli, virus inficiens, pestis & morbus, mortis & homicidiorum mater; tu rubigo invidum rodens, vipera eum enecans, intra cujus viscera lates; tu oculorum cæcitas, vermis animam consumens, putredo ossium, vitæ consumptio, tu demum apertissimum Diaboli Insigne. Recede ergo procul a nobis serpens maledicte; recede monstrum horrendum, & in Inferno patriâ tuâ te recipe, apud patrem tuum Diabolum, apud possessores tuos Pharisæos.

Nos verò Cæci hujus sanati constantiam ac Fidei magnitudinem imitari conabimur, quæ profectò maxima in eo eluxit,

(a) Ad Roman. VIII. v. 28.
(b) Proverb. XIV. v. 30.
(c) Joann. XIII. v. 35.
(d) Ecclesiastici XXVII. v. 32.

xit, cùm lumen ſpirituale a Chriſto receptum impigrè conſervare ſtuduerit. Confitetur enim liberè Chriſtum; ubique memorat præcedentem cæcitatis ac mendicitatis ſuæ ſtatum, ut ab hoc peccator converſus, diſcat miſeram ſuam quæ præceſſerat conditionem ſine rubore fateri. Coram Phariſæis nomen Jeſu deprædicat, quod illi adeò deteſtabantur, quamvis mendicus eſſet atque omnium indigens eleemoſynis; ut nulla nos terrena incommoda a Chriſtianæ Fidei profeſſione deterreant. Non dicat quiſpiam: ſi malè parta reſtituero, pauperem vitam, & plenam ærumnis tranſigam; nudos relinquam filios, nuptui tradere filias non potero: Non hæc, inquam, dilectiſſimi, in mentem vobis adducite; ſed ſola Domini Dei gloria noſtris ſemper oculis procuranda obverſetur.

Malitiam Phariſæorum infringit Cæcus, Chriſtum commendando, quem ipſi peccatorem eſſe conſtanter aſſeverabant; atque ob id quoque ejici ſe a Synagoga æquo animo patitur. O felicem commutationem! Expellitur hic e Synagoga, & intra Eccleſiæ gremium recipitur. Rejicitur a Phariſæis, & a Chriſto admittitur. Non vult eum Diabolus, & ſuſcipit Chriſtus. Quòd ſi ejici Synagogâ, tam grave olim videbatur, heu quantùm horrere Chriſtiani debent ſacri anathematis fulmen, quo a Sanctæ Matris Eccleſiæ gremio, a bonorum omnium communione rejiciuntur, atque ideo ab ipſo Deo repelluntur! neque enim habere quis poteſt Deum Patrem, qui non habuerit Eccleſiam Matrem. Hoc, filii, pertremendum eſt atque horrendum flagellum; hoc ſæpe integras Civitates, ne dicam privatos homines, ad extremam perduxit calamitatem, Provincias ſubvertit, Regna tranſtulit, & infeliciſſima reddidit.

Mirum ſane videri poteſt, quòd Cæci hujus miraculoſam ſanitatem conſecutæ ſtatim ſint acerbiſſimæ Phariſæorum perſecutiones, injuriæ, maledicta, ejectio demum tamquam indigniſſimi & ſceleſtiſſimi hominis e Synagoga. Sed ſi quis hæc omnia, & quæ in ſacris Literis ſcripta ſunt, quidque Chriſto Domino acciderit, mente revolvat, id novum non eſſe comperiet; ſtatim enim ac converſus fuerit a peccato ad pœnitentiam, a carnali ad ſpiritualem vitam; hæc ipſa, & multò majora quoque a Mundo, a mundanis hominibus, a Dæmone, a Carne ipſum manebunt incommoda. Quorſum enim dicitur: *Fili accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia, & timore, & præpara animam*

tuam

tuam ad tentationem (*a*)? Quorſum Chriſtus ſtatim baptizatus, in deſertum eſt ductus, ut tentaretur a Diabolo; niſi ut ſciamus, virtutis iter aggredienti, ſtatim primo loco ſpinas occurrere ac tribulos? Sed forti animo hæc omnia ſunt ſuperanda, conſtantes nos eſſe oportet, quemadmodum ſe geſſit beatus hic Cæcus; iſta enim Evangeliei profectùs eſt via. Sic Chriſti Regnum in Mundo amplificatum fuit; ſic Apoſtolorum toleratis contumeliis, & effuſo inter multiplicia tormenta Martyrum ſanguine, Sancta Mater Eccleſia tam longè, ùt videmus, fines ſuos extendit: Sic ab uno Cæco & mendico, per omnia tentato, confunditur horribilis Phariſæorum faſtus & arrogantia: Sic demum a Chriſto Domino reprobantur illi, & aſſumitur hic; rejiciuntur ſuperbi, & humilibus cœleſtia munera conferuntur; ſubjungit enim Dominus Jeſus: *In judicium ego in hunc Mundum veni, ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant* (*b*).

Profectò, quis non libenter ab hominibus ſe ejici patiatur pro Chriſto, ejuſdem gratitudinem ac benignitatem erga Cæcum e Synagoga ejectum perpendens? *Audivit* enim *Jeſus quia ejecerunt eum foras: & cùm inveniſſet eum, dixit ei*. Qua in re admirabilem Dei ſolicitudinem de iis, qui ſuî causâ quidquam adverſi patiuntur, conſiderate; Dominus enim eorum eſt vindex, eos quærit & invenit, quia *cum ipſis eſt in tribulatione: eripiet eos & glorificabit eos* (*c*). Quantum huic Cæco advênit ſolaminis & gaudii, cùm a Dei Filio inveniretur, quaſi inter alios tam multos ſolus ipſe diu perquiſitus fuiſſet! Et *dixit ei: Tu credis in Filium Dei? Reſpondit ille, & dixit: Quis eſt, Domine, ut credam in eum* (*d*)? Similem habuit Paulus promptitudinem, dicens: *Quis es Domine* (*e*)? Oſtendit ſe hic promptum Divinæ parère voluntati, offert ſe his verbis Domino in holocauſtum, & liberaliter aperit celeriter os ſuum; & videte quàm abunde Dominus impleat (*f*) illud, dicens: *Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt. At ille ait: Credo Domine. Et procidens adoravit eum* (*g*). Poſt hæc feliciſſimo huic homini revelatâ facie ſe Dominus manifeſtavit in Patria; ubi per gloriam ſe totum illi exhibet, cui ſe tam effusè hic communicavit per gratiam. Et quis non videat, quanta ei fuerit gratia collata? Quid enim fuit

(*a*) *Eccleſiaſtici II. v. 1.*
(*b*) *Joannis IX. v. 35.*
(*c*) *Pſalm. XC. v. 15.*
(*d*) *Joann. IX. v. 36.*
(*e*) *Act. Apoſt. IX. v. 5.*
(*f*) *Pſalm. LXXX. v. 11.*
(*g*) *Joann. IX. v. 37. & 38.*

fuit ardentissimum illud desiderium, cùm dixit: *Quis est, Domine, ut credam in eum?* Quid perfecta illa Fides, cùm subdidit: *Credo Domine*, corde priùs quàm ore? Quid demum fuit tam evidens Fidei manifestatio operibus facta, cùm *procidens adoravit eum*, nisi amplissimum Dei munus, & copiosissima gratia?

Quòd si recepto oculorum lumine, tantum spiritu profecit hic Cæcus; si pro suscepto beneficio tantum exultavit, ut Pharisæorum calumnias, maledicta, & exilium a Synagoga negligeret; si tantam excitavit in parentibus, vicinis, & in universa etiam Civitate commotionem: heu quàm mirabiliùs hæc omnia contingunt, cùm, operante dextera Dei excelsi, homo qui in peccatis annos plurimos consumpserat, in tenebris densissimis vixerat, in voluptatum fœdarum cœno permanserat, avaritiæ & illicitorum contractuum servus fuerat & captivus; Mulier quæ pompis dedita, integros dies in ornatu corporis consumere assueverat, ut conspicuam se redderet, per Civitatem vagabatur, Ecclesias, & Doctrinæ Christianæ Scholas effugiens contemnebat; cùm, inquam, e tenebris ad spirituale lumen, e diro carcere ad libertatem, e morte ad vitam, e sordibus ad animæ mundiciem revocantur; cùm in Cœlis conversari incipiunt degentes in terris; spiritualem & Angelicam vitam instituunt; detestantur quæ priùs eis erant dulcissima; malè acquisita restituunt, vanitates fugiunt, & solidas Dei delectationes gustare aggrediuntur; cùm Sacramenta Sanctissima frequentant; totos dies in Ecclesiis transfigunt; & qui demum fuerant tenebræ, jam facti *lucernæ ardentes ac lucentes* (*a*), ceteros illuminant, & caritatis ignibus inflammant! Cùm hæc fiunt, oriuntur in Civitatibus schismata, admirantur parentes & vicini, dicentes: Hæccine est mulier, qua nihil erat vanius, quæ facta erat ad capiendas animas Dæmonis rete, quæ corpus suum sibi pro Deo effinxerat? Est-ne hic, qui sanguinem pauperum sitiebat, qui per fas & nefas ditari conabatur, qui Deum, & res omnes sacras nihili aut parvi pendebat? Heu, quàm mutatus ab illo, qui fuit! Aliqui autem, *quia hic est*, affirmant; alii verò vix credunt, & utrum *alter similis ei* (*b*) sit, dubitant.

Interim ipse lætus & exultans omnium dicta contemnit: Vilescunt ei quæ in pretio fuerant, amarescunt quæcumque dulcia existimaverat; nil nisi de Deo cogitat, ac tantùm de cœle-

(*a*) *Joann. V. v.* 35. | (*b*) *Ibidem IX. v.* 8. *&* 9.

cœlestibus loquitur; nil quærit, præter Deum, neque aliud odit ac refugit, præterquam id, quod displicet Deo. Mundum ejusque asseclas execratur: *omnia arbitratur ut stercora, ut Christum lucrifaciat* (*a*).

Eja ergo dulcissime Jesu, qui Cæcum hunc hodie corporeo & cœlesti lumine donasti, adest hic populus, hactenus in peccatis cæcus; cupit èt ipse sanari, ad tuos pedes prosternitur; ipse quoque paratus est te, Fidemque tuam publicè, etiam cum vitæ periculo, profiteri: Sana ergo etiam ipsum; & fac, *ut videat* (*b*), quàm atrox sit peccati servitus, quàm terribiles Inferni cruciatus, quàm suavia & magna Cœli præmia; quantùm tu diligi merearis, & omnibus præferri, quanta tui sit bonitas & benignitas: ut hæc videns incedat per *viam mandatorum tuorum* (*c*), donec eò pervenire valeat, ubi te *videat facie ad faciem* (*d*) in sede Majestatis, ad dexteram Patris sedentem, tibique unà cum eodem Patre & Sancto Spiritu, hìc & semper laudes ex intimis cordis visceribus concinat. Amen.

TOMI TERTII FINIS.



(*a*) Ad Philippenses III. v. 8.
(*b*) Lucæ XVIII. v. 4.
(*c*) Psalm. CXVIII. v. 32.
(*d*) I. ad Corinth. XIII. v. 12.

INDEX
RERUM NOTABILIUM,
Quæ in hoc Tertio Volumine continentur.

A

Quo

Uni-

C

 Indi-

JOSUE

Index Rerum Notabilium.

Divi-

Index Rerum Notabilium.

Super-

